2º
H. Lit. P. 1.

Comparavit P. Colomannus 0.
cum compactura pro 30. Xr. 1786.

ACTA
SACRORVM SAECVLARIVM ACADEMIAE ALTORFINAE.

R

Bayerische
Staatsbibliothek
MÜNCHEN




Paulus Decker. del. *Hieronymus Bölmann sculps.*

ACTA
SACRORVM SAECVLARIVM
QVAE
FAVENTE
DEO IMMORTALI
SVB
AVSPICATISSIMO GLORIOSISSIMOQVE IMPERIO
CAROLI VI
AVGVSTISSIMI ATQVE INVICTISSIMI
ROMANORVM IMPERATORIS
EX AVCTORITATE ET MVNIFICENTIA
ILLVSTRIS
SENATVS NORIMBERGENSIS
A. D. III KAL. QVINCTIL. A. S. R. CIↃ IↃCCXXIII
PIO SOLENNIQVE RITV
CELEBRAVIT
ACADEMIA ALTORFINA

EXCVDEBAT
IODOC. GVIL. KOHLESIVS ACAD. TYPOGR.

BIBLIOTHECA
REGIA
MONACENSIS.

Bayerische Staatsbibliothek MÜNCHEN



S. R. I. LIBERAE AC PERILLVSTRIS
REIPVBLICAE NORIMBERGENSIS

SENATVI SPLENDIDISSIMO

PATRIBVS PROCERIBVSQVE PATRIAE
VETVSTA GENTILITIARVM IMAGINVM DIGNITATE
ET IMMORTALIVM VIRTVTVM MERITORVMQVE
GLORIA ILLVSTRIBVS

DOMINIS AC NVTRITORIBVS SVIS
MVLTO BENIGNISSIMIS

D. D.

SVMMA FIDE ET OBSEQVIO DEVINCTISSIMA

ACADEMIA ALTORFINA.

MAgnum et immortale erga bonas artes, genusque humanum, eorum fuit beneficium, qui condendae huius dedicandaeque Academiae auctores atque principes extiterunt; ſed maius eſt, quod VOS, PATRES PROCERESQVE PATRIAE, in ea conſeruanda ampliusque ornanda collocatis. Neque uero illuſtrius, omniumque ſaeculorum memoria dignius, dare potuiſſetis documentum, quanta cura, quantoque impendio, literarum uirtutumque ſtudia prouehatis; quam cum, aperto ſingularis munificentiae fonte, decerneretis, ut haec alumna et filia ueſtra, centum annorum ſpatio feliciter confecto, nouum ſaeculum auſpicato aperire, et DEI pariter ac AVGVSTORVM, itemque VESTRA IPSORVM, ſumma in ſe beneficia, ſolenni feſtoque ritu celebrare poſſet.

Equidem, quo maius ueſtrae in adminiſtranda Republica iuſtitiae, et incorruptae integritatis, priſcaeque grauitatis, lumen elucet; quo ſanctiori fide ac ueneratione AVGVSTVM, IMPERIVMQVE SACRVM, ſemper proſequimini; quo denique honeſtioribus praemiis literas literatosque ornatis: hoc facilius orbem cultiorem iamdudum in ueſtrorum admirationem meritorum excitaſtis, IPSORVMQVE CAESARVM SACRATISSIMORVM honorifica uobis identi-

identidem conciliaſtis iudicia. At enimuero, hoc nouo excellentis beneficentiae exemplo, promeritis laudibus ueſtris addidiſtis cumulum, eamque ſimul animorum magnitudinem comprobaſtis, quam omnis poſteritas, ſi quem ueris uirtutibus, artibusque eximiis, habitura ſit honorem, ſuſpiciet, nosque, quibus hac felicitate frui datum eſt, fortunatiſſimos praedicabit.

Quemadmodum igitur de VOBIS, NVTRITORES SERVATORESQVE ACADEMIAE MVNIFICENTISSIMI, nunquam conticeſcent Muſae, ueſtram in ſe benignitatem gratis perpetuisque praeconiis proſecuturae; ita nos eam pietatem uenerationemque, quae altis defixa radicibus in noſtris inſedit animis, quodammodo teſtaturi, haec ipſa ſacri ſaecularis Acta, quae munificentiae ueſtrae unice debentur, VOBIS publica ueterique dedicandi formula conſecramus. Quae monimenta etſi ad concelebrandam gloriam ueſtram non erunt ſatis; erunt nihilo ſecius erga VOS, INCLVTAMQVE REMPVBLICAM, cuius clauum iam tenetis, ueluti teſtes aeterni cultus atque obſequii noſtri.

Nec uero VOBIS non poterit eſſe iucundum, ſi hinc intelligatis, tot praecipue ILLVSTRES ORBIS CHRISTIANI ACADEMIAS, ad ueſtra, quibus rem publicam atque literariam amplificatis, merita ueriſſi-

me praedicanda, tam mirifico conſenſu, tamque laeta congratulatione, conſpiraſſe: credibileque eſt, MAIORVM etiam VESTRORVM, PATRVM egregie cordatorum, cineres ſingulari quodam laetitiae ſenſu affici, ſi quidem ſenſerint, hoc ſuum conſilium, inſtitutumque glorioſum, DEO fortunante, tam bene proſpereque proceſſiſſe, neque a VOBIS ſolum, poſteris digniſſimis, prolixe approbari, ornarique; ſed etiam, poſt decurſam tot temporum aetatem, tam ſolenni orbis eruditi applauſu, adhuc magnifice condecorari.

Interim, ſicut in hac animorum religione, et in fiducia clientelae ac conſtantis ueſtri erga nos fauoris, conquieſcimus; ita DEVM, moderatorem tanti operis et muneris, atque beneficiorum remuneratorem largiſſimum, pie comprecamur, ut REMPVBLICAM NORIMBERGENSEM, tot illuſtrium egregiorumque VIRORVM PARENTEM, et tam beneficam praeſtantiſſimarum artium doctrinarumque Altricem, coeleſti praeſidio fultam, perpetuoque florentem, praeſtet, ac vos, VESTRASQVE GENTES GENEROSISSIMAS, in poſſeſſione maximarum laudum, ſempiternaeque felicitatis, retineat, confirmetque, ut, omnium rerum optandarum affluentia diuinitus cumulati, tot parta decora, totque eximias uirtutes, publico Patriae Reique ſacrae ac literariae bono, cum immortali laude ueſtra, quamdiutiſſime impendatis!

c LECTO-

LECTORI BENEVOLO
S. D.
CHRISTIANVS GOTLIBIVS SCHVVARZIVS, P. P.

Fulserat alma dies! Iam uidit tempora festa,
Quae multa optarat Norica Musa prece.
Vidit ter felix, quae nunquam uiderat ante;
Quaeque aetas hominum conspicit una semel.
Centenos abiit reuolubilis annus in orbes;
Et decies decimum sol superauit iter:
Ecce, renascentes reserarunt templa Camenae;
Et noua Pieriae fata iniere domus!
Aurea doctrinae reuirescit protinus aetas;
Virtutique suus continuatur honor.
Laeta Palaecome solennia uota rependit:
Namque suo sospes statque uigetque loco.
Gestiit, et plausu retulit sua gaudia Pindus;
Omnia festiuis sunt operata sacris.
Pulchraque tunc doctae dedimus spectacula turbae;
Et dignis uenit laurea grata comis.
Aoniae faciles ierant in carmina Diuae;
Auratamque tulit Cynthius ipse chelyn.
Gaudia conspirans Ciuis celebrauit, et Hospes;
Aut si quem Patriae cura DEIque tenet.
Ecquis tot memoret iactas ad sidera uoces?
Quisque tot ominibus uota probata canat?
Vicini colles, nemorum uicina uireta,
Laetitiae plenos tunc retulere sonos.
Pegnesus solito caput altius extulit udum,
Atque exultantes plenior egit aquas.
Nec minus iuerunt passim gratantibus undis
Nominis haud parui flumina Teutoniae.
Quis credat? Voces nostras Thetis audiit ipsa,
Et miti motu signa secunda dedit.
Hei, quot Musarum, celsae quot Apollinis arces,
Visae sunt nostris plaudere uelle bonis!
Gratia summa DEO, qui tanta haec gaudia nobis
Praestitit, et pondus iussit habere preces.
Huic succensa piis crepitauit laurea flammis;
Auspicio ut felix magnus hic annus eat.

Huic arsere sacrae facibus melioribus aedes:
Nam quodcunque sumus, muneris omne DEI *est.*
Et TVA *tunc fuimus uenerati Numina,* CAESAR;
O CAESAR, *quo nil altius orbis habet!*
Qua dextra tot sceptra regis, Populosque gubernas;
Hac Artes etiam Pieridesque foues.
Auspice TE, *fulget studiis ornatius aeuum;*
Otia iam tellus, otia Pindus agit.
Diximus: AVSTRIADVM, *quorum est celsissima uirtus,*
Perstet, et aeternum floreat, alma DOMVS!
Augeat imperium CAROLI DEVS, *augeat annos;*
Inque oras coeli non nisi tardus eat!
O utinam surgat tanto de sanguine Natus,
Qui gerat auspicio, quo PATER, *orbis onus!*
Iam tibi, iam quantum debemus, o INCLVTA NORIS,
Sancta o uirtutum Castalidumque Parens!
Quid tibi, iustitiae uindex, VENERANDE SENATVS;
VOBIS, *o Patriae lumina clara piae!*
In uestras equidem audebamus surgere laudes;
Viribus at nostris copia maior erat.
Ingenium exsuperat rerum grauitasque, nitorque;
Et nostra his meritis ora minora patent.
Tot benefacta tamen ne postera nesciat aetas;
Haec animi memoris iam monimenta damus.
Quamuis defuerint uires; at recta uoluntas
Se probat, in magnis si uoluisse sat est.
Hic loquitur Pietas, et grati pectoris ardor;
Si quid habet charta haec, hinc petit omne decus.
Inuida gens Musis, procul hinc! procul inde facesse,
Ah, Liuor, meritis ingeniisque grauis!
Quisquis amas Musas, quisquis uirtutis honores,
Huc ades, et nobis lingua animoque faue!
Huc ades, et laudes dignorum laudibus addas;
Atque iuues uotis publica uota tuis!
Tu uero salue, qui surges, optime Vates,
Si quondam renouant altera saecla uiam!
Nostros excuses ausus, tenuesque labores;
Et melius praestes nobilis artis opus.
Vt maiore canas res magnas ore, lyraque;
Non animo poteris candidiore loqui.

✿ ✿ ✿

INDEX

INDEX SCRIPTORVM
QVAE
IN ACTA SACRORVM SAECVLARIVM ACADEMIAE ALTORFINAE
SVNT RELATA.

PARTE I continentur :

BReuis expoſitio de ortu et progreſſu ACADEMIAE ALTORFINAE, rebusque quibusdam ſingularibus, quae in ſuperiora eius tempora inciderunt. pag. 1.

Ordo et ſeries ILLVSTRIVM ACADEMIAE CVRATORVM, a primo huius Lycei ortu. p. 49.

Ordo et ſeries RECTORVM ACADEMIAE. p. 53.

Ordo et ſeries PROCANCELLARIORVM ACADEMIAE. p. 58.

Ordo et ſeries PROFESSORVM PVBLICORVM, qui intra hos centum annos in hac Academia uixerunt, et ex parte adhuc uiuunt. p. 59.

PARTIS II
SECTIONE I
exhibentur :

Commemoratio SOLENNIVM SACRI SAECVLARIS ACADEMIAE ALTORFINAE, III Cal. Iul. A. S. R. CIƆIƆCCXXIII feliciter celebrati. p. 65.

SECTIONE II:
Scripta Academiae Altorfinae ad promulgandum ſolennitatis ſaecularis inſtitutum exarata.

I. Programma RECTORIS SENATVSQ. ACADEMIAE ALTORFINAE, quo ſacri ſaecularis celebrandi ratio, auctoritate publica, primum denuntiata eſt. p. 85.

II. Literae Academiae Altorfinae ad ILLVSTRISSIMVM S. R. I. COMITEM DE VVOLFSTEIN. p. 89.

III. Literae ad ILLVSTRISSIMVM S. R. I. MARESCHALLVM HEREDITARIVM SVBSEN. ET COMITEM DE PAPPENHEIM. p. 90.

IIII. Literae ad INCLVTAS ACADEMIAS inuitandi cauſa perſcriptae; nimirum ad HEIDELBERGENSEM, LIPSIENSEM, FRANCOFVRTENSEM, IENENSEM, HELMSTADIENSEM, et HALENSEM. p. 91. Conf. p. 69.

V. Literae itidem inuitandi cauſſa ſcriptae ad INCLVTAS ACADEMIAS, INGOLSTADIENSEM, et VVIRZEBVRGENSEM. p. 92.

VI. Literae, quibus inſtituti ſacri ſaecularis ratio INCLVTIS ACADEMIIS, VPSALIENSI et HAFNIENSI, fuit ſignificata. p. 94.

VII. Literae, quibus decreta celebritas ſaecularis aliis INCLVTIS GERMANIAE ACADEMIIS, nimirum ERFVRDIENSI, ROSTOCHIENSI, GRYPHISVVALDENSI, TVBINGENSI, VVITTENBERGENSI, MARPVRGENSI, REGIOMONTANAE, GISSENSI, RINTELENSI, ARGENTORATENSI, TEVTOBVRGENSI, et KILONIENSI, fuit ſignificata. p. 95.

SECTIONE III:

Responsiones ad superiores Academiae Altorf. Literas redditae.

Responsio ILLVSTRISSIMORVM S. R. I. COMITVM DE VVOLFSTEIN, et DE PAPPENHEIM. p. 97, 98.

Responsiones INCLVTARVM XXII ACADEMIARVM; quarum Epistolae, secundum aetatem cuiusque Academiae, quantum quidem nobis constat, sunt collocatae. p. 99, seqq.

SECTIONE IV:

Epistolae quaedam eucharisticae Academiae Altorfinae, de honore Legationis sibi ab aliis inclutis Academiis destinato, habitoque.

I. Literae eucharisticae ad inclutam Academiam HEIDELBERGENSEM. p. 129.

II. Literae eucharisticae ad inclutam Academiam LIPSIENSEM. p. 130.

III. Literae ipsius Ablegati Honorarii, GODEFRIDI THOMASII, ad inclutam Academiam LIPSIENSEM. p. 131.

IIII. Literae eucharisticae ad inclutam Academiam IENENSEM. p. 133.

V. Literae eucharisticae ad inclutam Academiam IVLIAM. p. 134.

VI. Literae eucharisticae ad inclutam Academiam FRIDERICIANAM. p. 135.

SECTIONE V:

Scripta ad ipsam celebrationem sacri saecularis pertinentia.

I. Programma, MAGNIFICI ACADEMIAE RECTORIS nomine, publice propositum, ad Ciues Academiae pietatis et modestiae intra solennia sacra commonefaciendos. p. 137.

II. D. GVSTAVI GEORGII ZELTNERI concio sacra, ipso die saeculari, in templo habita. p. 139.

III. Oratio solennis, nouo Academiae Altorfinae saeculo, iussu et auctoritate ILLVSTRIVM ACADEMIAE NVTRITORVM, dicta a CHRISTIANO GOTLIBIO SCHVVARZIO, P. P. p. 157.

IIII. Eiusdem ODAE SAECVLARES, quas ante et post orationem modulati sunt symphoniaci. p. 185.

V. Descriptio NVMISMATVM, in memoriam saeculi noui Academiae Altorfinae percussorum. p. 189.

VI. Descriptio LVMINVM QVORVNDAM FESTIVORVM, primo die sacri saecularis post solis occasum accensorum. p. 194.

VII. Carmen Germanicum, ILLVSTRIBVS ACADEMIAE CVRATORIBVS a *Studiosa Iuuentute* oblatum, et sub uesperam natalis saecularis inter concentus musicos decantatum. p. 196. *d.*

SECTIONE VI:

Acta alterius diei festi, quo honorum Academicorum Candidati solenniter sunt inaugurati.

I. Programma BRABEVTAE Ordinis Theologici, ad promulgandam II Candidatorum Theologiae inaugurationem, III Cal. Quinctil. propositum. p. 197.

II. Programma DECANI Ordinis Iuridici, quo septem Candidatos summis in Iure honoribus ornandos indixit. p. 198.

III. Programma DECANI Ordinis Medici, quo octo Candidatis summos in arte medica honores impertiendos significauit. p. 200.

IIII. Programma DECANI Ordinis Philosophici, quo septem Candidatos summis in Philosophia honoribus, et praeterea duos laurea poetica, condecorandos indicauit. p. 202.

V. D. IO. IACOBI BAIERI, RECTORIS ACADEMIAE, Allocutio ad omnium Ordinum Candidatos, antequam ad solennem inaugurationem honorum Academicorum deducerentur. p. 204.
VI. Oratio IOHANNIS IACOBI PFIZERI, Theol. Doct. et Prof. Publ. Brabeutae Ord. Theol. recitata in saeculari inauguratione duorum Doctorum Theologiae. p. 205.
VII. Oratio D. IOHANNIS GEORGII FICHTNERI, ICti, Decani et Brabeutae Ord. Iuridici, in solenni inauguratione VII Doctorum Iuris dicta. p. 213.
VIII. Oratio IOANNIS HENRICI SCHVLZE, Medic. Doct. et Prof. Publ. Decani et Brabeutae Ord. Med. in solenni inauguratione VIII Doctorum Medicinae recitata. p. 221.
VIIII. Oratio GEORGII CAROLI VVOELCKERI, Magnifici Academiae Procancellarii, in panegyri saeculari, pridie Cal. Iul. A. cIↄ Iↄcc xxiii, habita, qua tribus Decanis facultatem Doctorum sui cuiusque Ordinis creandorum concessit. p. 229.
X. Renuntiatio duorum Doctorum Theologiae. p. 237.
XI. Renuntiatio VII Doctorum Iuris. p. 239.
XII. Renuntiatio VIII Doctorum Medicinae. p. 242.
XIII. Oratio IOHANNIS HENRICI MVLLERI, Physic. et Mathes. Prof. Publ. Decani et Brabeutae Ord. Philosophici, solenni renuntiationi VII Magistrorum Philosophiae et duorum Poetarum praemissa. p. 244.
XIIII. Altera pars Orationis GEORGII CAROLI VVOELCKERI, Magnifici Academiae Procancellarii, qua Decano Ord. Philosophici potestatem dedit creandi Magistros et Poetas. p. 251.
XV. Renuntiatio VII Magistrorum Philosophiae. p. 255.
XVI. Renuntiatio II Poetarum. p. 256.
XVII. Carmen eucharisticum, quod finita inaugurationis Doctorum et Magistrorum Poetarumque caerimonia, *Io. Ignatius Michahelles*, Poeta recens creatus, recitauit. p. 347.

SECTIONE VII:

Acta tertii diei festi, quo Consulatus Academici munus Successori traditum est.

I. Oratiuncula RECTORIS ACADEM. IO. IAC. BAIERI, dicta in templo, cum ipse Magistratum deponeret. p. 260.
II. Oratio IACOBI VVILHELMI FEVERLINI, P. P. RECTORIS ACAD. in primum noui saeculi annum constituti. p. 263.

SECTIONE VIII:

Solennia quaedam Gratulationis Monimenta, ex ILLVSTRIBVS ACADEMIIS, LIPSIENSI et TVBINGENSI, transmissa.

I. Carmen Gratulatorium Inclutae Academiae LIPSIENSIS. p. 270.
II. IOHANNIS MICHAELIS HALLVVACHS, in perantiqua studiorum Vniuersitate TVBINGENSI, Historiarum, Eloqu. ac Poeseos Prof. Publ. Ordinarii, Programma, quo tres Orationes in memoriam et honorem natalis saecularis Academiae Altorfinae habendas indixit. p. 279.

III. Oratio FRIDERICI CHRISTOPHORI DIZINGERI, Philosophiae Candidati et SS. Theologiae Cultoris, in incluta Academia TVBINGENSIVM sacris saecularibus Altorfinis dicata. p. 285.
IIII. Oratio CHRISTOPHORI VLRICI GRASSI, Philol. et Philos. Cultoris, de quibusdam Iureconsultis Altorfinis, TVBINGAE dicta. p. 294.
V. Oratio ligati generis IACOBI FRIDERICI MOEGLINGII, Philol. et Philos. Cultoris, de origine et incrementis Academiae et urbis Altorfinae, TVBINGAE habita. p. 301.

SECTIONE VIIII:

Gratulationes QVORVNDAM NORIMBERGENSIVM.

I. IOACHIMI NEGELINI, Antistitis Norimbergensis, CHRONOGRAPHA. p. 309.
II. CHRISTOPHORI AVGVSTI LAEMMERMANNI, V. I. D. et Aduocati Ordin. Reip. Norimb. *Metrum saecularibus Altorfinis accommodatum.* p. 311.
III. Dedicatio omnium Imaginum Procancellariorum et Professorum Academiae Altorfinae, quas in memoriam sacri saecularis Academici aere exscribi curarunt *Heredes Tauberiani*, Bibliop. Norimbergenses et Altorfini. p. 314.

SECTIONE X:

Gratulationes quaedam Altorfinae.

I. Programma CHRISTIANI GOTLIB. SCHVVARZII, Eloqu. Prof. ad Orationem publicam de *Schola aulica CAROLI M.* audiendam, et ad uota pro auspicata sacri saecularis celebratione facienda, inuitantis. p. 317.
II. IOHANNIS ALBERTI SPIESII, Norimbergensis, Philos. et Legum Cultoris, Oratio, de *Schola aulica CAROLI M.* die III ante solennitatem saecularem recitata. p. 319.
III. Programma CHRISTIANI GOTLIBII SCHVVARZII, P. P. post sacra saecularia feliciter peracta, ad *Orationem eucharisticam* nomine Beneficiariorum Noricorum dicendam inuitantis. p. 327.
IIII. IOH. BALTHASARIS STARCKII, Philos. et Theol. Cultoris, Oratio nomine Beneficiariorum Noricorum, in fidem demissi cultus gratique animi erga NVTRITORES MVNIFICENTISSIMOS, dicta. p. 329.
V. Carmen Germanicum, ILLVSTRIBVS ACADEMIAE CVRATORIBVS a Beneficiariis Noricis, festiuitate sacri saecularis feliciter finita, declarandae pietatis caussa exhibitum. p. 340.

Accessio.

RECTORIS SENATVSQVE ACADEMIAE ALTORFINAE Programma de ordine Praelectionum et Acroasium publicarum in posterum obseruando. p. 351.

CORRIGENDA QVAEDAM:

Pag. 6, uersu 16. et pag. 53, u. 5, lege: *Io. Thomas Freigius.* Pag. 8, u. 37, lege: *Henricus Risius.* Pag. 19, u. 33, leg. SCHOLARCHAS. Pag. 32, l. 28, leg. *condecorarit.* Pag. 40, u. 16, leg. *Altorfinae.* Pag. 107, u. 27, leg. *benignissimum.* Pag. 208, u. 9, leg. *auctoritate.* Pag. 213, u. 29, leg. *beneficiis.* Pag. 236, u. 37, leg. PHILIPPVM LVDOVICVM. Pag. 238, u. 9, leg. *Doctoribus.* Pag. 268, u. 19, leg. *necessaria.* Pag. 292, u. 8, leg. *secundus.* Pag. 334, u. ult. leg. IO. LEONHARDO. Pag. 339, u. 44, leg. *Ob.* cIↄIↄc LXXII. Pag. 340, u. 6, leg. *Ob.* cIↄIↄc XCII. Ibid. u. 10, leg. *Ob.* cIↄIↄc LXXVII. Ibid. u. 16, leg. *Ob.* cIↄIↄc XCIV. Ibid. u. 28, leg. *Ob.* cIↄIↄcc XXII. Ibid. u. 29, leg. *Hilpoltsteinio-Noricus, nat.* 1672, *access.* 1695. etc.

BREVIS

BREVIS EXPOSITIO
DE
ORTV ET PROGRESSV ACADEMIAE ALTORFINAE
REBVSQVE QVIBVSDAM SINGVLARIBVS
QVAE IN SVPERIORA EIVS TEMPORA
INCIDERVNT.



SAecularem huius Academiae ſolennitatem, pro eo, ac a DEO IMMORTALI optaueramus, proſpere feliciterque celebrare nobis diuinitus contigit. Neque uero huic feſtiuitati iucundior alia, et pietati conuenientior, conſtare potuit ratio, quam quum ad praeterita conuerteremus animos, et praecipua, quibus per ſuperiorum temporum decurſum hic coetus fuit ornatus, diuina humanaque beneficia in memoriam reuocaremus. Quorum ſumma ut in aliorum quoque notitiam quodammodo perueniat, ac ſerae grataeque tradatur poſteritati; operae pretium facturi uidemur, ſi primaria rerum noſtrarum momenta, quae in praeterlapſa huius Academiae tempora inciderunt, paullo altius repetita mittamus in compendium, et Lectorum ſciendi cupidorum oculis animisque, quanto fieri poteſt breuitatis ſtudio, ſubiiciamus. Neque uero attinet iam digredi in ueriſſimas quidem, at multo maiores laudes, quam quae hoc loco pro dignitate ſatis praedicari poſſint, quas mirifico amplectendarum ornandarumque optimarum artium ſtudio, iam ab illo tempore inprimis ſibi proprias reddere coepit SENATVS POPVLVSQVE NORIMBERGENSIS, ex quo primum manſuetioribus Muſis in Germania aliquis locus honosque datus eſt. Ne uero nunc antiquiora huius rei et uelut remotiora afferamus teſtimonia, inde ordiemur, unde primum quaſi gradum aditumque ad altius prouehendam rei literariae in his locis culturam, condendamque Academiam, factum intelligimus.

Equidem iam diu quatuor potiſſimum ſcholae maiores publica auctoritate inſtitutae ſunt Norimbergae, in quibus adoleſcentes erudiuntur ad pietatem ac doctrinam, et ad altiora artium ſtudia praeparantur: in his primo loco habendum eſt merito Gymnaſium Aegidianum, iam anno cIↃ IↃ XXVI, ſub initium diuinarum humanarumque literarum in Germania renaſcentium, publice dedicatum, et coenobio ſodalitatis D. Benedicti ſurrogatum, primas eo tempore in Republica partes tenentibus, CASPARO NVZELIO, et HIERONYMO EBNERO; (a) remque

(a) Vid. Camerar. *in Vita Philippi Melanchthonis, p.* 103.

que facram ac literariam figillatim curantibus, SIGISMVNDO FVRERO, LEONE SCHVRSTABIO, et HIERONYMO BAVMGARTNERO, fingulis Senatoribus egregia fapientiae ac uirtutis laude illuftribus. Iam tum de hoc infigni ludo literario praeclara quaeque polliciti funt uiri ad difciplinas honeftas ibidem tradendas publico confilio accerfiti, IOACHIMVS nimirum CAMERARIVS, *Papebergenfis*; HELIVS EOBANVS HESSVS, MICHAEL ROTINGVS, *Sulzfeldenfis Francus*; IOHANNES SCHONERVS, *Caroloftadienfis*; et IOHANNES PODENSTEINIVS: quorum plurimorum eruditio quantum lumen attulerit rei literariae, aliunde facile conftat. Imo ad bene praeclareque fperandum optimis aufpiciis fignum etiam extulit ille communis Germaniae Praeceptor, PHILIPPVS MELANCHTHON; qui non folum, ab illuftri SENATV NORIMBERGENSI inuitatus, comite CAMERARIO, anno cIↃIↃXXV, VVitemberga uenerat Norimbergam, de Lyceo nouo aperiendo confilium initurus; fed etiam altero poft anno reuerfus eius fcholae inaugurandae cauffa, in folenni totius fere SENATVS inclyti confeffu, et in corona doctiffimorum uirorum, eximiam habuit orationem: adhaec et anno cIↃIↃLII, cum ad concilium Tridentinum profecturus aliquandiu fubftitiffet in Vrbe, triginta acroafes in publico auditorio habuit, ut et hoc nomine de re literaria Norimbergenfium bene mereretur. Cuius tota oratio *(b)* uti ad praedicandas inclyti SENATVS laudes, animosque in tam gloriofo inftituto confirmandos, erat comparata; ita non poffumus, quin fequentia inprimis uerba inde hunc in locum transferamus. *Non pigeat*, inquit, *adieciffe hoc decus reliquis ornamentis Vrbis ueftrae, quae iam ante opibus, aedificiis, opificum ingeniis, ita floruit, ut conferri cum quauis laudatiffimarum urbium apud ueteres recte poffit. Neque alia urbs in Germania doctiores hactenus ciues habuit, qui, quia ad gubernandam rempublicam fcientiam optimarum artium adhibuerunt, effecere, ut reliquis Germaniae urbibus haec longe praeftaret omnibus. Nunc autem, cum hic domicilium honeftis difciplinis conftituitis, ad illum cumulum laudum ueftrarum, incredibile eft, quanta fiat acceffio. Nam fi pergitis excitare hominum ftudia ad difcendum, praeclare merebimini primum de patria, deinde et de exteris.*

Tantum autem abeft, ut in his initiis fubftiterit cura fapientiffimorum SENATORVM; ut de literarum ftudiis magis magisque ornandis diu multumque deliberarint. Aufpicato illis in mentem uenit, extra Vrbem, in alium ditionis Norimbergenfis locum, transferre Gymnafium literatum, ut uel hac ratione animi adolefcentum, a ftrepitu aliisque auocamentis uitae urbanae feiuncti, intentius exquifitiusque literis ac uirtuti nauarent operam, et quafi extra Lares patrios bene recteque uiuere maturius adfuefierent. Nullus huic confilio aptior commodiorque locus uifus eft, quam hoc ipfum opidum Altorfinum, tribus tantum milliaribus ab Vrbe disiunctum, quod multis nominibus prae ceteris facile fe commendauit. Nihil igitur curae, nihilque laboris ac fumtus, reliquum factum eft, ut commodum huic bonarum mentium officinae domicilium extrueretur. Cuius fundamenta feliciter iacta funt pridie Calendas Octobres, A. cIↃIↃLXXI, praefen-

(*b*) Vid. *T. I. Declamationum felectarum Philippi Melanchthonis*, *p.* 447.

praeſentibus SENATORIBVS ſplendidiſſimis, HIERONYMO PAVMGAERTNERO et CHRISTOPHORO FVRERO. Quorum autem ſigillatim Patrum Conſcriptorum cura atque prouidentia potiſſimum tota ea res tunc geſta fuerit, commonſtrat numus argenteus, fundamento aedificii inſertus, in cuius anteriore facie haec leguntur uerba:

D. O. M. S
ANNO A NATO CHRISTO CIↃIↃLXXI ROM
IMP. DIVO MAXIMILIANO II RESPVBLICA
NORIBERGENSIS PATRIBVS PATRIAE
ET SEPTEMVIRIS EIVSDEM ANDREA IM
HOF SEBALDO HALLER IODOCO TETZEL
BALTHASARO DERRER GABRIELE NVZEL
GEORGIO VOLCKAMER ET THOMA LOEF
FELHOLZ TVM OPPIDI PRAEFECTO BAL
THASARO PAVMGAERTNER DOMVM HANC
PRO GYMNASIO IVVENTVTI IN STVDIIS PIE
TATIS ET LITERARVM INSTITVENDAE A
PRIMIS FVNDAMENTIS EXTRVI CVRAVIT
IN CVIVS MEMORIAM GEORGIVS VOLCKA
MER ET HIERONYMVS PAVMGAERTNER OB
DEMANDATAM ECCLESIARVM ET SCHOLA
RVM PROCVRATIONEM HOC NVMISMA F. F.

Alteri eiusdem numiſmatis parti, circum inſignia Reipublicae Norimbergenſis, ſupra quae S. R. I. Aquila biceps conſpicitur, haec inſcripta ſunt uerba:

FVNDAMENTVM SALVTIS NOSTRAE CHRISTVS.

Totum aedificium lapide quadrato ſubſtructum, quod paucis in Germania *Collegiis Academicis* commoditate ac dignitate ceſſerit, iam ſtetit anno CIↃIↃLXXV, et, die diuis Petro et Paullo in faſtis ſacro, ſolenni ritu inauguratum eſt. *(c)* In cuius exaedificationem, praeter impenſas publicas, etiam liberalitas *Generoſiſſimarum* quarundam *Familiarum Norimbergenſium* non parum contulit; cum in maiore, eaque media totius Collegii parte, inferioris contignationis auditoria, IMHOFII, GEVDERI, et PFINZINGII; ſuperioris pauimenti conclauia, ad dextram, FVRERI, PAVMGARTNERI, TEZELII, LOEFFELHOLZII; ad ſiniſtram, NVZELII, VOLCAMERI, SCHEVRLII; et denique tertiae contignationis muſea, ad dextram, POEMERI, TVCHERI, DERRERI, HOLZSCHVHERI; ad laeuam, iterum TVCHERI, PFINZINGII, et OELHAFII, munifice extrui curarint.

Praecipua uero cura ILLVSTRIS MAGISTRATVS fuit, ut noua haec ingeniorum palaeſtra non ſolum utiliſſimis legibus inſtitutisque, ſed et eruditis ornaretur uiris, qui optimis artibus diſciplinisque aetatem adoleſcentium ad humanitatem atque uirtutem informarent. Quo conſilio, nominatim Argentorato huc euocatus eſt *Valentinus*

B *Ery-*

(c) Huius inaugurationis ſolennitas peculiari libello deſcripta extat, cui hic titulus factus eſt: *Introductio nouae Scholae Altorfianae Noribergenſium, expoſita aliquot doctorum Virorum orationibus. Acceſſerunt Leges et Inſtituta huius nouae Scholae. Norimb.* CIↃIↃLXXVI.

Erythraeus, Lindauienſis, haud infelix diſciplinae Sturmianae aemulus; qui moderandis regendisque huius Gymnaſii rebus praefectus ſpartam ſuam magno ardore, neque impari ſucceſſu, aggreſſus erat: cui adiuncti fuerunt alii uiri eruditi, nominatim *Iohannes Piccartius*, Papebergenſis, Theologus; *Georgius Glacianus*, Vilſecco-Palatinus; *VVolfgangus Hegius*, Norimbergenſis; *Caſpar Odontius*, VVeiſenburgenſis; et *Georgius Pulmarius*, Reichenhallenſis: qui omnes coniunctis uiribus, et pulchra contentione, ad erudiendam iuuentutem ſcholaſticam, quisque pro ſua parte, operam contulere. Verum, ſicuti identidem rerum praeclararum initia ſuis obſtructa difficultatibus eſſe ſolent; ita et parum abfuit, quin haec eximia ſchola, ſeptem circiter menſibus poſt, quam condita erat, partim imminentis luis timore, partim immatura Rectoris ſui morte, concuteretur. Sed malum, quod inſtabat, DEVS propitius auertit; atque in *Erythraei* locum, anno cIↃIↃLXXVI, die diuo Andreae ſacro, *(d)* ſurrogatus eſt *Thomas Freigius*, uir iuris et literarum politiorum bene peritus, ſimulque in Collegium docentium adſcitus eſt *Iohannes Praetorius*, mathematicus eximius: qui omnes nulli pepercerunt labori, quo partes ſibi demandatas recte feliciterque ſuſtinerent.

Fortunauit DEVS inſtitutum, ita, ut noua haec ingeniorum officina in dies maiora caperet incrementa; ad quae impenſius amplificanda haud ita diu poſt, pro ſingulari munificentia ſua, ILLVSTRIS SENATVS NORIMBERGENSIS curauit, ut ne illi, qui in ſapientiae atque humanitatis ſtudiis egregias fecerant progreſſiones, nulla Academica operae bene collocatae praemia conſequi poſſent, neque adeo neceſſe haberent, hanc bonarum artium ſedem intempeſtiue relinquere, et ad alias Academias, non ſine graui incommodo, ſe conferre, aliunde hos doctrinae induſtriaeque fructus petituri. Voto precibusque PATRVM BENIGNISSIMORVM clementiſſime annuit, qui tunc ſummae rei Imperii Romani glorioſiſſime praeerat, DIVVS RVDOLPHVS II, Imp. diplomate iam anno cIↃIↃLXXVIII, XVI Nouembris, eam in rem dato, ut in hoc Gymnaſio Altorfino primi pariter atque ſummi honores ſtudii philoſophici impertirentur bene merentibus, hoc eſt, ut, qui idonei cogniti iudicatique fuerint, pro cuiusque doctrina ac meritis, more aliarum Academiarum, *Baccalaurei* et *Magiſtri bonarum artium atque Philoſophiae*, publice ſolenniterque crearentur. Sed temporum aliarumque rerum conditio fuit impedimento, quo minus ante annum a Chriſto nato cIↃIↃLXXX, die quidem diui Iacobi, iſtud Auguſtiſſimi IMPERATORIS priuilegium promulgaretur. Anno autem ſequenti, Calendis Iuniis, primum hoc loco honores philoſophici, in templo ſolenniter fuerunt diſtributi, ipſis quatuor Profeſſoribus claſſicis, boni auſpicii cauſſa, ſummam lauream capeſſentibus, *Procancellarii* uices obeunte *Philippo Camerario*, et *Decano* ac diribitore *D. Iohanne Buſenreutho*, ICto. *(e)*

Ini-

(*d*) Videantur primae PANEGYRES ALTORFINAE, *una cum Natali Academiae Altorfinae, anno* cIↃIↃLXXX *celebrato. Altorfii,* cIↃIↃLXXXI.

(*e*) Prodiit eodem anno Norimbergae *Deſcriptio ſolennitatis et actus huius renunciationis*, adiecta primis *Panegyribus Altorfinis*.

Iniquum uero foret, non recolere nomina SENATORVM de patria ac re literaria immortaliter meritorum, quorum auſpiciis ac conſilio, maximeque cura ſingulari, tunc eae res geſtae adminiſtrataeque ſunt, ita, ut non ſolum Gymnaſium Altorfinum primum ſolenniter dedicaretur; ſed et deinde tam eximia dignitatis acceſſione ornaretur. Quarum rerum memoriam omnium optime nobis tradit tabula aureis literis inſcripta, quae in porticu *Collegii Academici* publice propoſita eſt:

B. F.
HOC PIETATIS ET DOCTRINARVM OMNIVM LAV
DANDARVM DOMICILIVM INCLVTVS SENATVS
NORIB. LIBERALITER EXSTRVI CVRAVIT DIE
QVAE BB. PETRO ET PAVLO SACRA INAVGVRAVIT
ET PVBLICAVIT ANNO CHRIST. SALVTIS CIƆIƆLXXV
IMPERANTE DIVO MAXIMILIANO II CAES. AVG. P. P.
CVRATORIBVS ECCLES. ET SCHOLARVM
GEORGIO VOLCAMERO PHILIPPO GEVDERO
ET HIERONYMO BAVMGARTNERO
OPPIDIQVE PRAEFECTO BALTHAS. BAVMGARTNERO
ADES O DEVS ET PIIS CONATIBVS VOLENS PRO
PITIVSQVE FAVE

*

VT CERTE FAVOR EXINDE NVMINIS ELVXIT
DVM ANNVS QVIDEM CIƆIƆLXXVIII
SVBSCRIBENTE VOTIS LAVDATISSIMI SENATVS
AVCTORITATE ET CLEMENTIA
AVGVSTISSIMI ET INVICTISS. IMP. RVDOLPHI II
CVRATORIBVS
HIERONYMO BAVMGARTNERO VVILI
BALDO SCHLVSSELFELDERO BARTHO
LOMAEO POEMERO ET IVLIO GEVDERO
IN CVLMEN ACADEMIAE GYMNASIVM E
VEXIT.
TANDEMQVE ANNVS AE. CHR. CIƆIƆCXXIII
EIVSDEM SENATVS DESIDERIVM SANCTISSIMVM
PROSPERANTE DIVINITVS PLENISSIMA INDVLGENTIA
SACRATISSIMI CAESARIS AVG. D. FERDINANDI II
SCHOLARCHIS
CHRISTOPHORO FVRERO
GEORGIO CHRISTOPHORO VOLCAMERO
VDALRICO GRVNDHERRO
ET CAROLO SCHLVSSELFELDERO
VNIVERSITATIS TITVLO PRIVILEGIISQVE PERBEAVIT.
FAC PROPRIVM HOC NOBIS BONVM O FONS AETERNE BONI

Ab eo tempore uidiſſes hoc ipſum bonarum mentium ſacrarium uelut nouam uitam maiusque robur ſumſiſſe; cum non ex Germania ſolum, ſed etiam ex Gallia, Britannia, Scotia, Hibernia, Suecia, Dania, Polonia, Vngaria, Pruſſia, Lotharingia, Liuonia, Tranſiluania, aliisque cultioris orbis partibus, identidem iuuenes, maioris ingeniorum cultus

 capes-

capeſſendi cauſſa, huc confluerent, et famam tam felicis literarum domicilii longe lateque amplificarent. Neque id mirum fuit, cum paſſim uiri, quorum eruditio et uirtus multis experimentis ſpectata erat, honorificis conditionibus huc inuitarentur, qui omnes diuinae humanaeque ſapientiae partes, magno cum applauſu, exoptatoque cum ſucceſſu, publice priuatimque explicarent. Praeter THEOLOGOS enim eximios, quorum nomina et uitas, ſingulari Libro ante hoc biennium edito, diligenter copioſeque deſcripſit *D. Guſtauus Georgius Zeltner*, Theologus noſter primarius, intra annos circiter quinquaginta a prima huius Lycei origine, huc uenerant IVRISCONSVLTI praeſtantiſſimi: *Io. Thomas Freigius*, Friburgo-Brisgouienſis, A. cIↄ Iↄ LXXVI, cuius iam ſupra iniecta eſt mentio; *Io. Buſenreuthus*, Auguſtanus, A. cIↄ Iↄ LXXX; *Obertus Giphanius*, Bura-Geldrius, A. cIↄ Iↄ LXXXI; *Hugo Donellus*, Catalauno-Burgundus, A. cIↄ Iↄ LXXXVIII; *Matthias Indenius*, Marcoduro-Iuliacus, A. cIↄ Iↄ XC; *Scipio Gentilis*, ex Caſtello S. Geneſii Marcae Anconitanae, eodem anno; *Petrus VVeſenbecius*, Antuerpienſis, et *Conradus Rittershuſius*, Brunſuicenſis, A. cIↄ Iↄ XCI; *Iacobus Tetenſius*, Eiderſtadio-Holſatus, A. cIↄ Iↄ XCIII; *Matthias Hubnerus*, Anclamo-Pomeranus, A. cIↄ Iↄ XCVIIII; *Andreas Dinnerus*, VVurzburgenſis, A. cIↄ Iↄ C VI; *Aegidius Agricola*, Solisbaco-Palatinus, A. cIↄ Iↄ C XIII; *Eraſmus Vngebauer*, Numburgo-Miſnicus, A. cIↄ Iↄ C XVI; et *Io. Gerhardus Frauenburger*, Norimbergenſis, A. cIↄ Iↄ C XVIII.

Neque minus, iisdem temporibus, in arte ſalutari illuſtranda excelluerunt MEDICI egregii, qui huic Academiae ſuam addixerant operam: *Nicolaus Taurellus*, Montbeliardenſis, A. cIↄ Iↄ LXXXI; *Philippus Scherbius*, Epiſcopo-Cellenſis Heluetus, A. cIↄ Iↄ LXXXVI; *Erneſtus Sonnerus*, Norimbergenſis, A. cIↄ Iↄ C V; *Caſpar Hofmannus*, Gothano-Thuringus, A. cIↄ Iↄ C VII; et *Georgius Noeslerus*, Berolino-Marchicus, A. cIↄ Iↄ C XVIII.

Sed nec ii quicquam fidei et induſtriae in erudienda iuuentute Academica fecerant reliquum, qui tradendis philoſophiae diſciplinis, proferendisque liberalium artium literarumque elegantiorum ſtudiis, publica auctoritate fuerunt conſtituti: nimirum, praeter *Valentinum Erythraeum*, iam ſupra commemoratum, *Georgius Glacianus*, Vilſecco-Palatinus, A. cIↄ Iↄ LXXV; *Io. Praetorius*, ex Valle Ioachimica Bohemus, A. cIↄ Iↄ LXXVI; *Georgius Riſius*, VVertheimio-Francus, A. cIↄ Iↄ LXXIX; *Georgius Pfalerus*, Norimbergenſis, A. cIↄ Iↄ LXXX; *Matthias Bergius*, Brunſuicenſis, A. cIↄ Iↄ LXXXII; *Theophilus Maderus*, Heluetus, A. cIↄ Iↄ LXXXIII; *Georgius Queccius*, Norimbergenſis, A. cIↄ Iↄ LXXXVII; *VVolfgangus VValdungus*, Norimbergenſis, A. cIↄ Iↄ XCII; *Georgius Mauritius*, VVittembergenſis, A. cIↄ Iↄ XCIII; *Chriſtophorus Colerus*, Francus, A. cIↄ Iↄ XCVIII; *Michael Piccartus*, Norimbergenſis, A. cIↄ Iↄ XCIX; *Arnoldus Clapmarius*, Bremenſis, A. cIↄ Iↄ C; *Michael Virdungus*, Kizinga-Francus, A. cIↄ Iↄ C V; *Daniel Schvventer*, Norimbergenſis, A. cIↄ Iↄ C VIII; *Io. Caſpar Odontius*, Norimbergenſis, A. cIↄ Iↄ C XII; *Petrus Saxonius*, Huſa-Holſatus, A. cIↄ Iↄ C XVII; *Iohannes Kobius*, Hilpershuſanus, A. cIↄ Iↄ C XX.

Licebit

Licebit et illud hoc loco annotemus, ſtatim poſt prima impetrata Auguſtiſſimi IMPERATORIS priuilegia, diſtinctas ſeparatasque fuiſſe rationes Academiae atque Gymnaſii. In illa tradebantur ſublimiores diſciplinae a Profeſſoribus publicis quatuor ordinum, qui iam tum more aliarum Academiarum peculiarem conſtituebant Senatum Academicum, ita quidem, ut tantiſper, dum haec Academia pleniora iura atque honores conſequeretur, etiam iuris ac medicinae Profeſſores, qui ſimul aliquam philoſophiae partem publice docebant, aeque ac Philoſophi ipſi, certa ſtataque ſerie, uices *Decani philoſophici* obirent, honoresque philoſophicos Candidatis ex legum ſanctione probatis impertirentur. In Gymnaſio autem, in quatuor claſſes, ſiue curias, diuiſo, tanquam in *Seminario* quodam, adoleſcentes praeparabantur ſtudiis Academicis a Praeceptoribus ac Profeſſoribus, qui *claſſici* inde cognominabantur. Quorum non pauci uti ad Academica deinceps munia ſunt euecti; ita ſuo loco et tempore aliquando ordini philoſophico, *Decani* nomine praeſederunt, unusque ex illis alternis uicibus quotannis ad publicos Senatus Academici conuentus admiſſus eſt. Cui diſciplinae ſcholaſticae ut eo maior conſtaret auctoritas, gubernando Gymnaſio, explorandisque adoleſcentum profectibus non ſolum praefuit Rector Academicus, cum Profeſſoribus quibusdam, *Viſitatorum* nomine ſibi adiunctis; ſed et ipſi illuſtres rei ſacrae ac literariae CVRATORES quotannis praeſentes adeſſe non grauati ſunt; qui ad excitandam confirmandamque adoleſcentum induſtriam, ſingulis annis, luculento publici erga literas fauoris ac munificentiae argumento, diligentioribus nummos diſtribuerunt argenteos, eo conſilio flatos, ac *ſingularibus emblematibus* ingenioſe ſignatos; quae *emblemata* deinceps a quatuor diſcipulis breuibus oratiunculis conſueuerant explicari. *(f)* Quemadmodum uero Rectoris munus ab initio coeperat eſſe perpetuum; ita, ab anno CIƆ IƆ LXXXII, poſt abitum *Io. Thomae Freigii*, conſtitutum eſt, ut ſingulis annis mutaretur, et exinde usque huc per uices annuas a Profeſſoribus quatuor ordinum Academicorum geratur.

Statim ſub initium naſcentis huius literarii coetus huc etiam translatum eſt *Contubernium XII Alumnorum Norimbergenſium*, quorum uitae ſtudiisque moderandis praeeſt *Inſpector*, uir ſpectatae eruditionis uirtutisque; et quibus apparet famulus communis. Hi, ILLVSTRIS SENATVS NORIMBERGENSIS munificentia atque cura ſuſtentantur, et communi conuictu, communique muſeo, itemque bibliotheca quadam (cui poſtea ſigillatim ex legato B. *Reinharti*, Theologi, non parum acceſſit,) aliisque commodis, fruuntur. Hanc ſodalitatem CONRADVS GROSS, uir de publica re Norimbergenſi optime meritus, iam anno CIƆ CCCXXXIII liberaliter inſtituerat, eo potiſſimum conſilio, ut in *aede Spiritus Sancti* ſtatis horis pſallerent, et, inter ſacra, cantus numerosque moderarentur. *(g)* Poſtea uero, anno quidem CIƆ IƆ XXVI, eadem ſodalitas, maioris ingeniorum cultus capeſſendi

C caußa,

(f) Extant *Emblemata anniuerſaria Academiae Norimbergenſis*, inde ab anno CIƆ IƆ LXXVII usque ad annum CIƆ IƆC XVI, typis exſcripta, 4.

(g) Vid. *Io. Heldii Hiſtor. Enarrat. de Gymnaſii Aegidiani origine, incrementis, et decrementis, translatione et propagatione ad annum usque* CIƆ IƆC LXXIII.

caussa, cum Gymnasio Aegidiano tunc recens condito fuit coniuncta, usque dum Altorfium commigrare iuberetur. Praeter hos autem XII Alumnos etiam alii beneficiarii ex eiusdem munifici SENATVS beneficio ad conuictum publicum duarum mensarum iam inde ab anno cIↃIↃCXV institutarum admittuntur, quibus ut in coenaculo Academico uictum quotidianum pro exiguo statoque pretio praebeat, oeconomus publica auctoritate constitutus est. Praeterea incredibile memoratu est, quam multa et quam egregia *stipendia* atque subsidia literaria ad excitandos iuuandosque indigentiores Musarum cultores in hac illustri Republica publice priuatimque quotannis liberalissime dispensentur.

Anno cIↃIↃLXXXV, ex singulari liberalitate Senatoris Norimbergensis optime meriti, SEBALDI VVELSERI, maius Academiae auditorium adornatum, et publicis solennibusque Actibus Academicis destinatum est, teste hac *epigraphe*, marmori insculpta:

DEO VNI ET TRINO SACRVM
SEBALDVS VVELSER PATRICIVS AVGV
STANVS ET NORIMBERGENSIS LOCVM
HVNC PVBLICIS ALTORFIANAE SCHOLAE
VSIBVS DESTINATVM SVA IMPENSA EX
ORNARI FECIT CAL. IVNII ANNO A CHRI
STO cIↃIↃXXCII.

Anno cIↃIↃLXXXXVIII, *Georgius Sigelius*, Theologiae Professor et Antistes huius opidi eximius, libris suis Academiae legatis, auspicata publicae Bibliothecae fundamenta posuit, quae progressu temporis in dies felicius succreuit.

Exurgentis Academiae felicitas non parum interpellari uisa est, cum anno cIↃIↃCVI contagio quaedam in uicinia uulgaret morbos, qui et ipsi hoc opidum infestare coeperant, ita, ut non solum quidam Ciues Academici, sed et celeberrimus, qui tunc hoc loco florebat Medicus, *Nicolaus Taurellus*, necopina morte extinguerentur. Quam Academiae calamitatem cum nimis exaggeraret Fama extera, eam ob rem, eodem anno, mense quidem Octobri, carmen edidit *Cunradus Rittershusius*, Iurisconsultus, et tunc Academiae Pro-Rector, cui titulum fecerat: *Fama de pestilentia Altorfina, refutata studio ueritatis boni publici, illius disseminatione impediti.* *(b)* Quod malum, licet sexto post anno recruduerit, diuina tamen prouidentia contigit, ut, mense uix

(*b*) Illam calamitatatem Rittershusius sequentibus uersibus expressit:

Visa fuit sane nobis prope dira minari
Pestis, uastitiemque Scholae inuectura fugaci,
Quando decus nostrum, TAVRELLVS, *transit ad umbras,*
Praetereaque unus comes illi accessit et alter,
De Grege Museo. Hinc quasi fulmine territa plebes
Cetera dilapsa est, quaerens fugiendo salutem,
Praesidio et uitam satagens tutarier isto,
Dum feriunt unum, plures quoque fulmina terrent:
Parua tamen constans manus in statione remansit.

uix elapso, remitteret, *(i)* nec ab illo tempore, usque ad hunc diem, quae immensa DEI immortalis benignitas est, unquam amplius hoc opidum attigerit, uexaritque.

Cum annus cIↃIↃCXVII sacrorum centum ante annos emendatorum memoriam renouaret; eam et haec Academia pio ritu prosecuta est, non solum pridie Cal. Nouembr. habitis in templo opidano concionibus sacris; sed etiam illa ipsa hebdomade orationibus Academicis ab *Andrea Dinnero*, ICto; *Caspare Hofmanno*, Medico, et *Michaele Piccarto*, Philosopho, iussu publico solenniter recitatis.

Annus cIↃIↃCXXI coetui huic erudito satis accidit grauis, nec nihil metus damnique intulit, cum ob infelicem caussam Friderici V, regnum Bohemiae prensantis, duo exercitus potentissimi, Bauarus nempe et Palatinus, peditum et equitum circiter quinquaginta millia, uno tantum milliari ab hoc opido castra haberent, nec satis certo constaret, quae ducum consilia essent, quis ordo, quisque finis belli futurus. Quo metu autem per diuini Numinis gratiam propulsato, *Dinnerus*, Iurisconsultus, eodem anno, III Cal. Nouembr. grauem orationem habuit, et publici iuris factam ξενικὰ στρατεύματα inscripsit; in qua fassus est, se incredibili dolore affici ex maximae solitudinis desertorumque auditoriorum huius Academiae conspectu, quae paucas ante hebdomadas fuerint frequentissima.

Sed exitium omni lue ac bello maius huic Academiae minabatur pestilentissima infausti illius Socini doctrina; cuius uirus uti in aliis quibusdam Europae partibus paullo ante sparsum fuerat, ita inde plantae quaedam uenenatae furtim in hunc quoque fundum fuerant translatae. Nominatim, anno cIↃIↃCVII, huc uenerat *Michael Gittichius*, Venetus, qui moderandis quorundam Polonorum nobilium studiis praeerat. Accesserat postea etiam *Samuel Przicopuius a Przopkovvice*, aliique, qui sensim quorundam imprudentum iuuenum animos noxiis detestandisque illis opinionibus imbuerant; inter quos praecipui innotuerunt *Martinus* ac *Ioachimus*, *Ruari*, Crempenses Holsati, Socinianorum partes postea palam secuti; item et *Iohannes Crellius*, Hemelhemensis Francus, cui aliquandiu locus fuerat inter alumnos Noricos, et qui postea, ad socios se dignos extra Imperii Romani limites digressus, itidem Socinianorum placita publice propugnarat; adhaec *Iohannes Vogelius*, et *Ioachimus Peuschelius*, Norimbergenses; quorum ille in VVittembergensem Academiam, hic in Ienensem, se receperant. Istis autem occultis ueritatis diuinae corruptelis uix patefieri et in lucem proferri coeptis, illico sapientissimi huius Academiae NVTRITORES omnem solicitudinem, omnemque curam et operam, in eo collocarunt, ut mentibus iuuenum praua opinione illusis mature adhiberetur remedium, eaque ratione errores pullulantes quasi in herba opprimerentur. Vtque adeo uniuerso orbi Christiano facerent testatum, se non aliarum rerum, quam incontaminatae ueritatis coelestis retinendae tuendaeque esse studiosiores; grauissimis edictis propositis, praescriptaque a se *L. Aphorismorum* norma, ad quam cumprimis Alumni Norici

 explo-

(i) Vid. Andr. Dinneri, ICti, *Gratiarum actio ad* DEVM OPT. MAX. *cum in Academia Norimbergensi pestis remisisset, pridie Cal. Ian. A.* cIↃIↃCXIII *edita.*

explorarentur, prouide feuereque cauerunt, ne incauta iuuentus in fimiles errores abrepta falutis aeternae iacturam faceret. Anno igitur cIↄIↄcxvi, ipfo die natali Academiae, in magno hofpitum ciuiumque concurfu, in medio huius opidi foro, libros eiusmodi prauis opinionibus refertos cremari iufferunt: cuius incendii flammam tam alte adfcendiffe, *Dinnerus*, IC. argute commemorat, *(k)* ut ex ipfa Sarmatia atque Belgio confpici potuerit. Decreuerunt praeterea iidem, praeceperuntque publice, ut ciues fui fe abftinerent lectione peftilentium huiusmodi fcriptorum, atque hominum eo ueneno infectorum congreffum confuetudinemque, quantum fieri poffet, defugerent; et ut denique omnes tam corruptae doctrinae addicti fe ab hac literaria focietate quam primum feiungerent. Imo et re ipfa exteros non nullos eius fectae, alias nobiliffimo honeftiffimoque loco prognatos, hinc difcedere iufferunt; quosdam uero beneficiarios fuos, qui, eiusdem damnatae doctrinae rei, alibi uel latebant, uel uagabantur, tempeftiue conquirendos ftatuerunt, ac figillatim Vogelium et Peufchelium, fupra iam memoratos, ex Saxonum Academiis retractos fic ad faniorem mentem redigi curarunt, ut, tandem meliora atque rectiora edocti, anno cIↄIↄcxvii, xxv Ianuarii, in ore et confpectu illuftrium Academiae CVRATORVM, itemque Profefforum ac Ciuium omnium, in Auditorio VVelferiano, erroribus fuis publice folenniterque renunciarint. *(l)* Atque adeo fingulari Numinis diuini prouidentia, et incredibili illuftris SENATVS NORIMBERGENSIS circumfpectione, facile contigit, ut, euulfis iftis zizaniis, plantisque noxiis eradicatis, mox priftina forma, atque fama integra, fundo huic Academico redderetur. Qua de re plura fortaffe poffent commemorari, nifi fatius effet, adhuc DEO immortali pro doctrina coelefti pure integreque feruata, meritam gratiam iuftis honoribus piaque mente perfoluere, et quafi poftliminio admirari fummam illam curam atque prudentiam, qua illuftris SENATVS NORIMBERGENSIS in hoc atroci malo tempeftiue fuffocando ufus eft; quam uetera illa Academiae noftrae uulnera nunc ueluti retegere, et rerum tam calamitofarum copiofius hoc loco meminiffe. *(m)*

Poffumus nunc animos paullifper ad gratiorem rerum uiciffitudinem referre, quae memoriam noftram ad melioris fortunae cogitationem excitat. Quemadmodum enim ILLVSTRIS SENATVS NORIMBER-

(*k*) Vid. *Fama Altorphina*, *auctore Andr. Dinnero*, *IC.* perfcripta ad *Iacobum Schopperum*, Doctorem Theologum, et Academiae tunc Rectorem: *impreffa Norimbergae*, *A.* cIↄIↄcxvi; cui fcripto iterum edito adiunctum eft illuftris SENATVS NORIMBERGENSIS *Edictum Germanicum*, A. cIↄIↄcxvi, in die fefto Petri et Paulli publicatum; item et Rectoris ac Senatus Academici *Programma* eodem anno, Calendis Augufti, eadem de cauffa propofitum.

(*l*) Extant illae Orationes publicis typis fub hoc titulo exfcriptae: PHOTINISMVS *a Iohanne Vogelio et Ioachimo Peufchelio*, *Norimbergenfibus*, *S. Theologiae Studiofis*, *die* xxv *Ianuarii*, *qui memoriae Conuerfionis D. Paulli facer eft*, *publice retractatus*, *in inclyta Norimbergenfium Altorfina*, *A.* cIↄIↄcxvii. 4.

(*m*) Plenam *Crypto-Socinifmi Altorfini* hiftoriam dabit *D. D. Zeltnerus* nofter.

BERGENSIS nullis hucusque curis, nullisque impensis, pepercerat, ut haec Academia omnibus studiorum colendorum commodis ornamentisque abundaret; ita, quamuis iam passim in Germania gliſceret belli calamitas, et alias Academias dissipatura, aut certe grauiter afflictura, uideretur: hic tamen magnis tunc animis, et omni aeuo memorabili munificentia, Academiae suae altius euehendae rationes iniit. Qua de re publico nomine missi sunt in Augustissimi IMPERATORIS aulam, CHRISTOPHORVS FVRER AB HAIMENDORF, illustris Reipublicae Septemuir, atque Academiae Curator et Scholarcha; itemque, D. GEORGIVS HEHER, S. CAES. MAIEST. et INCLVTI SENATVS consiliarius: quorum precibus humillimis annuit clementissime Diuus FERDINANDVS II, Imperator; qui, diplomate anno cIↃIↃcxxii, iii Octobr. dato, hanc Academiam ad peculiarem tutelam suam atque indulgentiam pertinere uoluit, eiusque priora priuilegia non solum confirmauit, sed etiam iis omnibus commodis, iuribus, dignitatibus atque praerogatiuis, largissima manu adauxit, quibus tot aliae sacri Romani Imperii Societates eruditae, quas *Vniuersitates* uocant, alibi fruuntur. Sigillatim uero, magno clementiae argumento, tunc indulsit, ut, qui id studiis moribusque mererentur, hic non tantum *Poetae laureati*, et *Philosophiae Baccalaurei* atque *Magistri*, sed etiam *Iuris ac Medicinae Licentiati et Doctores*, legitimo solennique ritu crearentur. Vt igitur istis Sacratissimi IMPERATORIS priuilegiis nouisque iuribus solennissime inauguraretur haec Academia, pro insitato suo ornandarum literarum omnisque generis scientiarum studio atque ardore curarunt, et Senatusconsulto in peruigilio S. Pentecostes A. cIↃIↃcxxiii publice proposito, ac paullo post etiam uoce Ministrorum uerbi diuini, Norimbergae et Altorfii, significari iusserunt CONSVLES, ACADEMIAE CVRATORES AC SCHOLARCHAE, TOTVSQVE SENATORIVS ORDO REIPVBLICAE NORIMBERGENSIS. Quam multiplici autem apparatu, qua religione et caerimonia, quibusque potissimum curantibus, ista celebritas Academica, eo ipso anno cIↃIↃcxxiii, die quidem xxviiii mensis Iunii, felicissime fuerit peracta, pluribus edocet peculiaris libellus, qui illius solennitatis caerimonias et omnes eius argumenti orationes sacras atque Academicas complexus est. *(n)* Sed, cum libellus iste non amplius in multorum uersetur manibus, descriptionem illius inaugurationis, ex iis ipsis *Actibus Priuilegiorum Academiae Altorfinae Anno Christi* cIↃIↃcxxiii *publicatorum*, repetitam hoc loco exhibere uisum est.

CVm dies, Diuis Petro Pauloque Apostolis sacer, Sole serenissimo, quod boni ominis signum libenter interpretamur, illuxisset, iamque tum pridie, tum illo ipso diluculo, maxima honoratissimorum hospitum multitudo affluxisset, primum mane inter quintam et sextam, signum campana datum fuit in Collegio, eoque paulo post conuene-

D

(*n*) Cui libello Altorphii A. cIↃIↃc xxiv typis exscripto hic titulus factus est: *Actus publicationis Priuilegiorum doctoralium Vniuersit. Altorph. Norimbergensis, in anniuersaria Panegyri DD. Petri et Pauli Apostolor. A. C.* cIↃIↃcxxiii *celebratus.*

uenerunt Magnificus Dominus Rector, quatuorque Facultatum Decani, cum caeteris Professoribus et Studiosis, adeoque totum corpus Academicum. Magnificus Dominus Rector, qui tunc erat GEORGIVS NOESSLERVS, *Philosophiae ac Medicinae Doctor ac Professor publ. amictus toga talari coccinea, cui epomis eiusdem coloris aureo limbo praetexta, superinducta erat, pileum quoque rubrum ex holoserico uilloso striatum gestabat: cui ornatui cultus quoque Decanorum fere respondebat, nisi quod color uestitus Theologi niger, Jurisconsulti ruber, Medici purpureus, ac denique Philosophi, uiolaceus inesset. Erant autem Decani, Theologicae quidem Facultatis, Dn.* GEORGIVS KOENIG, *Pastor et Professor; Iuridicae, Dn. D.* ANDREAS DINNERVS, *Antecessor primarius; Medicinae, Dn. D.* CASPARVS HOFMANNVS, *Professor publ. Philosophici denique Collegii, Dn. M.* DANIEL SCHVVENTERVS, *Sacro-sanctae linguae Professor. Sexta iam audita, Magnif. Dn. Rector caeterique Professores et Studiosi, praeeunte cum sceptro Pedello, ordine bini incedentes, contulerunt se in aream interiorem arcis oppidi, praestolaturi illic Nobilissimis et Amplissimis Dominis Senatoribus et Scholarchis etc. ubi mox a Dominis Duumuiris, caeterisque primariis Reipublicae Norimbergensis Senatoribus ac Consiliariis, Rector, Decani, aliique omnes Professores, oblatione dextrarum, ut moris est, excepti fuerunt. Hinc pompa duci coepit extra arcem, ubi in oppido dextra sinistra armati, qua ciues, qua milites, longa serie satisque pulcro ornatu dispositi constiterant, uia, qua eundum, desabulata, siue arena atque herbis insuper odoriferis iniectis constrata, superque arboribus, siue frondibus uiridibus, utroque latere defixis amoena. Sic igitur itum est, primo quidem ad hospitium Caesarei Legati, deinde porro in templum, ubi Actus Publicationis Priuilegiorum celebrandus erat. Ante hospitium, quod diximus, praestolabantur sex tubicines, siue buccinatores ciuitatis Norimbergensis, rubro et albo serico conspicui, qui simulac pompa ex arce progrediens in conspectu fuit, tubas siue buccinas inflare coeperunt, moxque ubi iam prima pars pompae aderat, pone praefectum oppidi sese collocantes, concentu suo Processionem ad templum usque celebrare perseuerarunt. Caeterum ordo agminis in hac Processione in tres partes descripti talis fuit: Primum incesserunt tres simul ordinum Ductores, splendide uestiti, telisque militaribus instructi. Hosce secutus est Praefectus oppidi, Dn.* GEORGIVS POEMERVS, *scipionem dextra tenens. Dehinc duo simul ingressi sunt Senatores Reipubl. Norimb. Dn.* GEORGIVS PAVLVS NVTZELIVS, *et Dn.* IOANNES CHRISTOPHORVS TVCHERVS, *ad deducendum ex hospitio* SACRAE CAES. MAI. LEGATVM *constituti, ac subinde duo alii, nempe Dn.* LVCAS FRIDERICVS BEHAIM, *et Dn.* IOANNES CHRISTOPHORVS HARSDOERFFER, *quibus deductio Illustrissimi ac Celsissimi Principis ac Domini, Domini* GEORGII OTTONIS, *Comitis Palatini ad Rhenum, Ducis Bauariae et Comitis*

tis Veldentii, ac Spanheimensis etc. iniuncta fuerat. Atque ab his in arcem ex hospitio suo honorifice deductus, ibique a DD. Duumuiris debita reuerentia exceptus Illustrissimus PRINCEPS *solus in Processione exinde incedens, perrexit ad hospitium usque* CAESAREI LEGATI. *Hinc longum agmen Nobilium, Consiliariorum, Doctorum, aliorumque hospitum splendidissimorum, successit. Postquam ad illud, quod memorauimus, Legati Imperatorii hospitium in foro peruentum est, ibi paulisper pompa siue agmen Processionis substitit, donec* LEGATVS *(is erat Illustris ac Generosissimus Dominus, Dn.* HENRICVS HERMANNVS, *Baro ac Dynasta in Burgmilchling et VVilhermsdorff etc.) cum Illustri et Generoso Dn. Barone, Dn.* GEORGIO ALBERTO *a VVolffstein, Dynasta in Ober-Sulzburg et Pyrbaum etc. deductus, a quibus dictum Senatoribus, hospitio progrederetur: moxque Legatus ad latus Principis dextrum accessit: Baro uero ad sinistrum sese applicuit, atque ita terni cnm magno comitatu subsequentium, quorum paulo ante mentio facta, ad templum porro oppidi incesserunt. Et haec quidem fuit facies primi agminis.*

Alterum uero agmen duxit nouus Pedellus, absque sceptro adhuc ambulans, toga rubra amictus: quem septem adolescentuli Patricii insecuti sunt, eodem ac pari inter se cultu uestituque omnes, ac nouae Vniuersitatis insignia gestantes. Ex his singulares item tres, alius post alium, incesserunt. Primus, PAVLVS HARSDOERFFER, *iunior, Sceptrum nouum deauratum in panno filis argenteis contexto prae se ferens: secundus,* CHRISTOPHORVS FVRER, CHRISTOPHORI, *Scholarchae, filius, Priuilegia noua operimento serico uilloso coloris rubri contecta gestans in puluino Attalico, siue auro intexto: tertius,* IOANNES IACOBVS KRESS, *noua sigilla, Iuridicum et Medicum, in aurata pelui portans. At gemini post hos ingressi,* GEORGIVS CHRISTOPHORVS VOLCKAMER, GEORGII CHRISTOPHORI, *Scholarchae, filius, Matriculam Vniuersitatis, tegmine item uilloso-serico uiolacei coloris, auratisque bullis insigni conspicuam: et* VLRICVS GRVNDHERR, VLRICI, *Scholarchae, filius, Matriculam Facultatis Iuridicae pari ornatu, sed colore rubro insignem, gestarunt: nec non* OCTAVIANVS IMHOFF, *cum Matricula Facultatis Medicae, pari cultu, uiridem colorem, ut et* IOHANNES ANDREAS BEHAIM, *cum Matricula Poeticae Facultatis, purpureum referente, bini subsecuti sunt. Hanc pompam Duumuiri exceperunt, Dn.* GEORGIVS VOLCKAMER, *et Dn.* LEONHARDVS GRVNDHERR, *bini item incedentes: mox caeteri Senatores primarii progressi sunt, intermixtis Consiliariis eiusdem Reipublicae, nec non Praefecti oppidorum, Patriciique alii, et Assessores Iudiciorum: quin et Aduocati, Medici ac Theologi eiusdem Ciuitatis subsecuti fuere: tandemque hoc agmen clausit magna copia mercatorum, aliorumque ciuium splendidissimorum eiusdem Vrbis Noriberg. nec non hospites paris dignationis sat multi.*

 Ter-

Tertium agmen, interiectis aliquot passibus, praecessit CONRADVS IBERER, *Notarius Academiae, quem sex cornicines siue symphoniaci Ciuitatis Norimb. consecuti, alterno cum praecedentibus buccinatoribus cantu personuerunt. Hinc alii septem Patricii adolescentes, itidem, ut priores, culti uestitique, uetera insignia Academiae portarunt: ac primus quidem,* VVOLFGANGVS LOEFFELHOLTZ, *in puluino Attalico prae se tulit Priuilegium uetus Academiae, serico uilloso coloris rubri tegmine munitum: at secundus,* SIGISMVNDVS GABRIEL HOLTZSCHVHER, *iunior, uetera sigilla, Theologicum et Philosophicum, in argentea pelui gestauit: tertius denique,* CAROLVS SCHLVSSELFELDER, CAROLI, *Scholarchae, filius, claues fisci et carceris serico funiculo aptas tenuit. Atque hos tres praecedentes ordine singulos, gemini subsecuti sunt,* GEORGIVS VVILHELMVS POEMERVS, *cum matricula ueteri Academiae, serico heteromallo uiolacei coloris conspicienda; et* MARCVS LAVRENTIVS TVCHERVS, *cum legibus Academiae, aurato operimento fulgentibus: ac subinde* LAZARVS HALLERVS, *iunior, matriculam Facultatis Theologicae, nigro uilloso-serico uelatam; et* IACOBVS VVELSERVS, *iunior, matriculam Facultatis Philosophicae, heteromallo serico uiolacei item coloris opertam, praeferentes. Inde uetus pedellus togam suam rubram indutus, ac sceptrum antiquum tenens, incessit. Mox in conspectum sese dederunt Domini Scholarchae: e quibus Dn.* CHRISTOPHORVS FVRER *et Dn.* GEORGIVS CHRISTOPHORVS VOLCKAMER *medium duxerunt Dn. Rectorem,* GEORGIVM NOESSLERVM, *Med. D. etc. cuius uestigia pressit patricius adolescens,* PAVLVS ALBRECHT RIETER*: at Dn.* VLRICVS GRVNDHERR *et Dn.* CAROLVS SCHLVSSELFELDER *latera cinxerunt Decano Facultatis Theologicae, Dn.* GEORGIO KOENIG, *pastori etc. Deinde D.* GEORGIVS REMVS, *Consiliarius Reip. Norimb. loco Procancellarii, et D.* ANDREAS DINNERVS, *Iuridicae Facultatis Decanus, et D.* ERASMVS VNGEPAVR, *Prof. Pand. terni itidem incesserunt. Hosce D.* AEGIDIVS AGRICOLA, *Iurisconsultus, et D.* CASPARVS HOFMANNVS, *Decanus Facultatis Medicae, et D.* IOHANNES GERHARDVS FRAVENBVRGIVS, *IC. item terni ingredientes, exceperunt: Sic et Dn.* GREGORIVS QVECCIVS, *iun. Med. D. et M.* DANIEL SCHVVENTERVS, *Decanus Facultatis Philosophicae, et M.* GEORGIVS RITTERVS, *Ecclesiastes, terni simul ambularunt, ac dehinc eodem modo caeteri Professores, ut M.* CORNELIVS MARCI, *Ecclesiastes; M.* GEORGIVS QVECCIVS, *Ethicorum et Graecae linguae Professor;* MICHAEL VIRDVNGVS, *Eloquentiae et Histor. Prof. publ. Item* PETRVS SAXONIVS, *Mathematum; M.* IOANNES KOBIVS, *Logicae et Metaphys. M.* GEORGIVS MAVRITIVS, *Poeseos, Professores publici, eundem in progrediendo ordinem tenuerunt, subsecutis Praeceptoribus classicis, et Inspectore Alumnorum, cum ipsis Alumnis, in togis suis nigris per strias diuisis. Hinc*

longus

longus studiosorum omnium Facultatum ordo, ac dein Consules et decuriones oppidi Altorphini successerunt, tandemque hoc agmen tertium rursus clausit ingens multitudo omnis generis hospitum, qui ex diuersis locis ad spectandum audiendumque et frequentandam Panegyrin adfluxerant. Vix dum, qui pompam ducebant, templi limen libauerant, quum inibi symphoniaci in tres choros diuisi, simul uniuersi concentu suauissimo Musicae, qua uocalis (ut uulgo appellant) qua instrumentalis, canere coeperunt. Exinde in sedibus ad hoc ipsum dispositis, Caesareus Legatus, Princeps, Baro, Nobiles, Senatores, caeterique omnes, suo quisque ordine, collocantur. Erant autem templi parietes non solum tectorio nouo opere politi eleganter, sed et aulaeis ac peripetasmatis intus magnifice uestiti exornatique, quo cultu inprimis etiam altaria et umbo concionatorius et hyperoa, siue tabulata templi, superbiebant. Porro, depositis iam nouis quidem insignibus Vniuersitatis in altari summo siue primario, ueteribus autem in altari medio siue minore, subselliisque iam omnibus undique occupatis, cani coeptus est hymnus: VENI SANCTE SPIRITVS, *etc. quo finito, Reuerendus Dn. M.* IOANNES SAVBERTVS, *Altorphinus, Ecclesiae Norimb. ad Diu. Mariae Pastor, suggestum conscendens, concionem habuit luculentam; qua* SPIRITVI SANCTO *hanc nouam Vniuersitatem, ter iterata consecratione, uoce gestuque ardentissimis usus, dedicauit. Finita concione rursus symphoniaci concinuerunt:*

Das Aug am Leib / die Schul im Land /
Wie wirs gar wohl erfahren /
Werd'n für zwey nöthig Stück erkannt /
GOtt woll sie uns bewahren.

Inde D. IOANNES CHRISTOPHORVS OELHAFIVS, *Comes Palatinus Caes. et inclytae Reipublicae Norimb. Consiliarius, eloquentissimus, grauissimus, ac prudentissimus uir, accedens ad altare summum, nomine* SENATVS NORIMBERGENSIS *dicendi initium fecit, orationemque habuit Germanicam, quo ab omnibus, qui aderant, intelligeretur, qua primum antiquitatem Academiarum, a primo, quod aiunt, ouo, hoc est, ab Adamo usque repetens, demonstrauit: in cuius rei probationem spatiosius excurrens, per omnium fere nationum historias peregrinatus est, totoque orbe dispersas Academias collegit. Quibus fauorabili oratione praemissis, tandem de Priuilegiis ueteribus a Dn. RVDOLPHO II laudatissimae memoriae Augusto etc. Scholae Altorphinae* XXVI *Nouembr. anno* CIↃIↃLXXIIX *concessis uerba facere coepit: quo simulac peruentum est, Dn.* IOANNES MVLLER, *Senatus Norimbergensis Bulogrammateus, surgens de loco suo, ad altare minus accessit, atque inde summa cum reuerentia Diploma ueterum priuilegiorum tollens, ad altare primarium adtulit: in cuius gradu infimo inter duos liberalium artium Magistros, Dn.* GEORGIVM FRIDERICVM BLINZIGVM, *Sueuo-Hallensem, et Dn.* MENONEM HENNECKE, *Frisium, consistens, illud*

 aperuit,

aperuit, et ambobus Caesareum sigillum ad recognoscendum exhibuit, moxque concessionem eorum Priuilegiorum inibi perscriptam (utrinsecus Diploma tenentibus Magistris, et in eo singulos uersus siue lineas ad legendum digito demonstrantibus) clara, et quae ab omnibus exaudiri percipique posset, uoce perlegit. Quo facto, eadem Priuilegia Dn. OELHAFIVS *Germanice interpretatus, summam eorum ad certa capita redegit, ac subinde quatuor Facultates Academicas cum quatuor fluentis Paradisi comparauit, quae in diuersas inde partes terrarum orbis diffunderentur, eaque ipsa occasione nomina Comitum, Baronum, ac Nobilium ordine Alphabetico, (uidelicet absque praeiudicio dignitatis singulorum,) percensuit, quotquot his quinquaginta ferme annis hic Altorphii studiis operati fuerant. Exinde noua Priuilegia Dn. FERDINANDI II, Imperatoris etc. Domini nostri clementissimi, (quibus etiam uetera illa Dn. RVDOLPHI II repetita et confirmata continebantur,) eadem prorsus ratione, ab illo, quem diximus, Bulogrammateo, illis duobus, quos itidem nominauimus, Magistris adminiculantibus, perlecta fuerunt. Dies autem ei Diplomati locusque subscripti erant* VIENNAE III OCTOBRIS ANNO CIↃ IↃCXXII. *Neque solum* SACRA CAES. MAIESTAS *propria manu eis Priuilegiis subscripserat, sed et Reuerendissimus atque Illustrissimus Princeps ac Dominus, Dn.* IOANNES SCHVVEICKHARTVS, *Archiepiscopus et Elector Moguntinus, Sacri Romani Imperii in Germania Archicancellarius etc. insuperque eadem se uidisse etiam, Illustris Baro, Dn.* IOANNES LVDOVICVS AB VLM, *Imperii Vicecancellarius, sua item manu consignatum reliquerat, ultimoque loco subscripserat* HERMANNVS A QVESTENBERG, *Secretarius. Horum quoque Priuilegiorum summam Dn.* OELHAFIVS *Germanice paucis complexus, post etiam multae mentionem fecit, quae uiolatoribus tam ueteris, quam noui Priuilegii in utroque Diplomate irrogatur, centenae nempe marcae auri puri: adstruens insuper sex argumentis, id omne a Deo esse factum, atque ita quidem, ut sit mirabile in oculis nostris, sumpta ansa a textu concentus Musicalis, qui lectionem noui Priuilegii, ad demonstrandam publicam laetitiam, statim insequebatur. Hinc oratione ad* DOMINOS SCHOLARCHAS *conuersa, nomine* SENATVS NORIMBERGENSIS, *ipsis Priuilegia illa noua Academiae in Vniuersitatem exaltatae quam diligentissime commendauit.*

Tunc D. GEORGIVS REMVS, *Patricius Augustanus, et Reipubl. Norimb. consiliarius, quum in praesentiarum D.* PHILIPPI CAMERARII, *Academiae Procancellarii, qui uiribus ob extremam senectutem* LXXXVI *annorum defectus, hunc obire actum non potuerat, uices gereret, conscensa cathedra a D.* OELHAFIO, *noua Priuilegia, deauratum sceptrum, noua sigilla Facultatum, aliaque Insignia, in nomine* SS. ET INDIVIDVAE TRINITATIS, *loco* DOMINORVM SCHOLARCHARVM, *cum debito honore ac reuerentia accepit: atque heic* OELHAFIVS *idem nomine*

SENA-

SENATVS NORIMBERGENSIS, *ſtudioſos illos, qui in ueteri matricula, duntaxat absque infamia, relegati habebantur, tanquam per repentinas Ferias, a relegatione illa abſoluit, adeoque in integrum reſtituit, ea ſpe, fore, ut cum nouo Priuilegio poſthac etiam nouum uitae emendatae ac Deo placentis genus amplexi, integros et a culpis uitiisque immunes ſeſe praeſtarent. His peractis*, *D.* GEORGIVS REMVS, *conuerſus ad* DOMINOS SENATORES REIPVBLICAE NORIMBERGENSIS, *breui oratione, item Germanica, gratias* AMPLISSIMO ORDINI, *nomine* DOMINORVM SCHOLARCHARVM, *pro commiſſis et concreditis Priuilegiis egit, moxque Magnifico Dn.* RECTORI, *(qui, D.* OELHAFIO *interim ad priorem ſuum locum regreſſo, cathedram tunc conſcenderat,) praemiſſa oratione Latina pereleganti, eadem Priuilegia, cum caeteris nouis inſignibus, tradidit, ipſi et Vniuerſitati illa commendans: poſtremo orationem ſuam tali uoto clauſit, ut eadem Vniuerſitas perpetua felicitate florens gigneret et educaret Auguſtinos, Scaeuolas, Hippocrates, Galenos, Platones, Ariſtoteles, Cicerones, Marones, Archimedes, Scaligeros, horumque pares ac ſimiles.*

Iamque illo etiam digreſſo, Magnificus Dominus RECTOR *orationem habuit pereruditam, qua primum* DEI OPT. MAX. *deinde* CAESARIS *ac* SENATVS NORIMBERGENSIS *beneficia erga Academiam debita gratiarum actione celebrauit: deinde eiusdem Academiae, ſiue nouae Vniuerſitatis, ſalutem, incrementum et dignitatem, porro* NOBILISSIMO ET AMPLISSIMO SENATVI *commendauit. Qua forma fere, ut ſic dicam, percuſſa fuerunt argumenta orationum, quas panxerunt* DECANI *ſingularum Facultatum, cum orationibus Hebraicae Graecaeque linguae Profeſſorum. Sed et carmine M.* GEORGIVS MAVRITIVS, *nomine Facultatis Poeticae, idem tinniit; qui tamen Poeta inſignis, ut et caeteri iam dicti Decani ac Profeſſores, tunc ob temporis breuitatem, audiri non potuit. Poſtremo D.* MICHAEL VIRDVNGVS, *Profeſſor Eloquentiae et Hiſtoriarum, gratiarum actione generali, non ſolum erga* DEVM TER OPT. MAX. CAESAREAMQVE MAIESTATEM, *ac* SENATVM NORIMBERGENSEM, *item* NOBILISSIMOS DOMINOS SHOLARCHAS, *nominatimque erga* DOMINOS LEGATOS, *quorum opera potiſſimum Priuilegia Vniuerſitatis obtenta fuerant; ſed et erga omnes, quotquot actum cum ſua praeſentia cohoneſtarant, omnium dignitatum ordinumque ſpectatores et auditores, nomine Rectoris ac Profeſſorum, perfungi debuerat. Verum et hic temporis breuitate tunc excluſus, ſequenti demum die, eodem tamen loco, poſt creationem Rectoris noui, omnium cum admiratione et applauſu perorauit. Illis uero, quae ſupra diximus, primo die peractis, rurſus hymnus cani coeptus eſt:* Sey Lob und Ehr mit hohem Preiß: *cui tubicines et cornicines laetitiae publicae teſtificandae ſono ſuauiſſimo, iuxta atque aptiſſimo, concinuerunt,*

ac

ac mox post collectam a M. CHRISTOPHORO REICHIO, *Ecclesiaste Norimbergensi, recitatam, ac Benedictionem pronunciatam, actus iste in templo finem accepit.*

Inde Pompa uniuersa eodem, quo templum ingressa fuerat, ordine rursus egressa est, nisi quod quatuordecim Patricii illi adolescentes, Insignia qua uetera qua noua Academiae portantes, in tertio agmine pone cornicines, siue symphoniacos, gemini tunc, alii post alios, collocati fuerunt, sequentibus utroque sceptro duobus Pedellis: atque ita primo quidem ad LEGATI CAESAREI, *deinde eodem ordine ad* ILLVSTRISSIMI PRINCIPIS *hospitium processum est: tandemque in arcem caeteri, praecinentibus tubicinibus, deducti fuerunt. At Nobilissimi Dn. Scholarchae, cum Rectore et Professoribus coetuque Studiosorum, deflexerunt, ordine incedendi seruato, in Collegium: quumque ingressi essent Auditorium VVelserianum, inibi in Repositorio ad hoc parato, a quatuordecim illis, quos diximus, Patriciis adolescentibus, Insignia Vniuersitatis, qua uetera, qua noua, collocata, eademque mox, inspectantibus omnibus, arcae ibidem inclusa, arcaeque claues Dn. Rectori et Vniuersitati commissae atque concreditae sunt. Paulo post cornicinibus et buccinatoribus in arce personantibus, tempus conuiuii indicatum est, iterumque ad* LEGATVM CAESAREVM, *item ad* ILLVSTRISSIMVM PRINCIPEM, *bini Senatores, inuitatos eos deducturi, ierunt: sed et ad idem conuiuium plerique omnes alicuius dignitatis hospites inuitati conuenerunt, adeo, ut cum* LEGATO CAESAREO, PRINCIPE PALATINO, *et* BARONE A VVOLFSTEIN, *circiter ducenti, qua extranei Nobiles, qua Senatores, Patriciique, et Consiliarii Reipublicae Norimb. qua eiusdem Ciuitatis Aduocati, Medici ac Theologi, aliique ciues primarii, qua pari splendore hospites, humilioris uero conditionis plures quadringentis, in arce publico epulo accepti fuerint. Quod quidem non sine honore* SAC. CAES. MAIESTATIS *peractum fuit. Etenim nomine incluti* SENATVS NORIMBERGENSIS *poculum argenteum inauratum magni ponderis, et arte Daedalea elaboratum, paulo ante a Magnifico et Nobilissimo Viro, Dn.* GEORGIO VOLCKAMERO, *Duumuiro Seniore, Dn. Rectori, caeterisque Professoribus, praesentibus et futuris, in memoriam alterius huius Natalis Academiae dono datum erat, quod mox, praeeunte illo ipso Magnifico Patrono Vniuersitatis, per omnes mensas circumlatum, et cum debita reuerentia a singulis conuiuis in manus acceptum, et in salutem* SAC. CAES. MAIEST. *eductum fuit. In cuius quidem poculi operculo intus haec uerba incisa sunt:*

VNIVERSITATIS ALTORPHINAE
BONO FVNDATAE PVBLICO
RECTORI MAGNIFICO DOCTORI
BVS PROFESSORIBVS VIRIS CLARISSIMIS
AC EORVNDEM SVCCESSORIBVS

IN

IN PERENNATVRAM REI MEMORIAM
INAVGVRALE HOC POCVLVM
COSS. ET SENATVS R. P. NORIMB.
CVM VOTO DESTINARVNT
A. S. CIↃ IↃC XXIII ANNIVER
SARIO PETRO PAVLINO

In fundo autem, siue pede, haec insculpta leguntur:

CVRATORIBVS VNIVERS. ALTORPH.
CHRIST. FVRER GEORG. CHRIST.
VOLCAMER VLR. GRVNDHERR
CAROL. SCHLVSSELFELDER
PROCANCELLARIO PHILIP. CAMERARIO I. C
OPIDI ALTORPH. PRAEFECTO
GEORGIO POEMERO

Praeterea duo Numismata argentea, Caesareum beneficium, nouaeque Vniuersitatis erectionem, ipsa forma, qua incusa fuerant, loquentia et contestantia, singulis conuiuis distributa fuerunt. Numismatis uero maioris epigraphen cum emblemate, altero die quatuor adolescentes in promotione Classicorum solenni, oratiunculis explicarunt. Soluto uero conuiuio illo solenni, quod diximus, comoedia Latina in theatro Collegii Academici, de amicitia Titi et Gisippi, actore et auctore M. Christophoro Speccio, praeceptore classico, acta fuit: quae, iam appetente nocte, finita, finem quoque huic festiuitati imposuit.

Postremo illud quoque silentio minime praetereundum uidetur, quod in tanto hominum numero, non solum arce, sed et omnibus diuersoriis, adeoque plerisque ciuium et incolarum aedibus, multitudine conuiuantium, hilariterque sese (ut in tali festiuitate) inuitantium refertis, nihil omnino turbarum, nihilque rixarum extiterit, quod eius diei laetitiam hilaritatemque publicam interpellaret, ac uel minima ex parte offuscaret: Sole insuper, luce floridissima, ac serenitate non interrupta uelut huic festiuitati fauente, et, ut audacius quispiam dixerit, suis radiis applaudente.

Denique laeta, tranquilla, quieta omnia, Studiosis etiam modestiam singularem, ergaque hospites, tum comitatem, tum obseruantiam, praestantibus, boni ominis auguriique loco in futurum quoque accepta sunt. Quod quidem augurium, ut re ipsa euentuque comprobetur, DEVM TER OPT. MAX. *supplices ueneramur: cui et pro immensis hisce beneficiis sit laus, honor et gloria in omnia post futura secula, Amen.*

Altero illius festiuitatis die, octo philosophiae et bonarum artium Magistri a *Daniele Schvventero*, Linguae sanctae Professore, qui eo tempore praefuerat ordini Philosophorum, publice sunt renunciati. At Iurisconsultorum et Medicorum ordinis *Decani*, eodem die, *programmata* saltem publico in loco proposuerant, quibus etiam Candidatos ad honores et praemia suae doctrinae rite capessenda inuitarent. Neque euentus non respondit optatis, cum adhuc illo ipso anno, die quidem XXIIII Nouembris, praesentibus illustribus Academiae CVRATORIBVS, CHRISTOPHORO FVRERO ab Haymendorf, Ephoro, GEORGIO CHRISTOPHORO VOLCAMERO, VLRICO GRVNDHERRO, et CAROLO SCHLVSSELFELDERO, itemque comitante GEORGIO REMO, qui *Procancellarii* uices gerebat, et magna honoratiorum hospitum corona congratulante, *Andreas Dinnerus*, Collegii iuridici *Decanus*, tres Iuris Doctores solennissime crearet; et *Caspar Hofmannus*, Medici ordinis *Decanus*, duobus Candidatis summos in medicina honores pari caeremoniarum solennitate largiretur. *(o)*

Quo minus autem, a prima origine usque in hunc diem, summa cura atque munificentia illustrium CVRATORVM unquam defessa fuit, aut cessauit, in salute ac dignitate Academiae suae non solum retinenda, sed etiam cumulatius augenda; eo felicius, DEO excitante, identidem et alii extiterunt, qui priuata pietate inducti suum erga hoc Musarum sacrarium fauorem eximiis documentis declararunt. Sic, anno cIↃIↃc XXVI, ex singulari ILLVSTRIS SENATVS munificentia, Hortus medicus, in magnum huius Academiae ornamentum, coepit condi; cuius cultura deinceps eo usque progressa est, ut is nulli alii in Germanorum Academiis nunc secundus uideatur. Ei autem ornando primam curam adhibuit *Ludouicus Iungermannus*, celeberrimus Medicus, ex Gissensi Academia huc euocatus.

Eodem anno, *Georgius Vogelius*, Iurium Candidatus, pro suo erga patriam Academiam amore, trecentos *florenos* legauit, quorum annuo reditu Bibliotheca publica augeretur. Cui tunc hoc monimentum positum fuisse legimus:

MEMORIAE AETERNAE SACRVM

GEORGII VOGELII

QVI HONESTO LOCO NATVS NORIMBERGAE

HONESTATI ETIAM PIETATIQVE

DVM VIXIT LITAVIT

HANC ACADEMIAM STVDIORVM SVORVM NVTRICEM

VITAEQVE ET MORVM RECTRICEM

LEGATO CCC FLORENORVM

IN VSVM BIBLIOTHECAE

GRATE PIEQVE PROSECVTVS

OBIIT LVGDVNI BATAVORVM

A. cIↃIↃCXXVI PRID. NON. IANVAR.

FORMA GENVS SPLENDORQVE ET OPES POST FATA VALETE

HOC HABEO QVODCVNQVE DEDI PIETATE MAGISTRA

Sicuti

(o) *Actus Promotionis quinque Doctorum primus, celebratus in Vniuersitate Altorphina, ad diem* XXIIII *Nouembr. Anno Christi* cIↃIↃCXXIII, singulari libello descriptus et *Actui publicationis Priuilegiorum doctoralium* adiunctus, tunc in lucem prodiit.

Sicuti uero, a condito hoc Lyceo, a munificentiſſimis NVTRITORIBVS laudabiliſſime inſtitutum fuit, ut ad ingenia Ciuium Academicorum crebrius exercenda frequentiores Diſputationes a ſingularum diſciplinarum Profeſſoribus, item et Declamationes, in *Circulo Academico* haberentur, ſumtibus publicis eo nomine liberaliſſime ſuppeditatis; ita A. cIↃ IↃ CXXVII idem officium, ex eadem ILLVSTRIS SENATVS munificentia, ſigillatim et Theologiae Profeſſoribus iniunctum, aut certe tunc renouatum eſt. Quod inſigne beneficium ad hunc usque diem haec Academia cum paucis aliis Germaniae Academiis commune habet.

Cum anno cIↃ IↃ CXXX memoria *Confeſſionis* CAROLO V, Imperatori glorioſiſſimo, Auguſtae Vindelicorum, centum ante annos traditae, pio ritu recoleretur; haec etiam Academia, ſacris praecipue concionibus orationibusque publice inſtitutis, diem XXV Iunii eo nomine ſolennem feſtumque habuit.

Sed nobis uel inuitis nunc relabendum eſt ad rerum triſtium commemorationem; cum grauiſſimi illius, quo Germania per triginta circiter annos miſere flagrauit, belli calamitates haec quoque Muſarum ſedes diu multumque perſenſerit. Inprimis uero annus ſupra milleſimum et ſexcenteſimum triceſimus primus, item et triceſimus ſecundus, ei perquam fatalis accidit; cum non ſolum exercitus ampliſſimi hanc inundarent uiciniam; ſed etiam non exiguae copiae militares hoc ipſum opidum inuaderent, occuparentque. Quamuis uero tunc belli duces ac praefecti Academiae obſecranti ſupplicantique hanc facerent gratiam, ut Profeſſores moderatius benigniusque haberentur, et ut, data fide praeſidioque, caueretur, ne hoc opidum praedae ac direptioni militum cederet; impediri tamen non potuit, quo minus coetus Academicus aliquantiſper diſſiparetur, omnesque Profeſſores de uoluntate ac iuſſu illuſtrium NVTRITORVM per aliquot menſes Norimbergam ſe reciperent. Quid? quod VIII Iunii A. cIↃ IↃ CXXXII contigerat, ut *Georgius Noeslerus*, tunc Prorector Academiae, et *Agricola*, Iuriſconſultus, itemque aliquot Ciues Academici, ex Vrbe ituri Altorfium, a Croatiis palantibus in captiuitatem fuerint abducti; quorum plurimi non exiguo pretio ſe redimere neceſſe habuerunt. DEVS autem immortalis tandem his quoque malis finem impoſuit. Poſtquam enim pax omnium uotis deſideriisque diu efflagitata, denique Oſnabrugae et Monaſterii conſtituta, ac Norimbergae anno cIↃ IↃ CL confirmata, tam diuturno tamque atroci bello exoptatum attulit exitum, et incredibili gaudio uniuerſum perfudit Imperium Romanum; hoc etiam bonarum artium domicilium uenit in partem publicae felicitatis, et quaſi nouam uitam, nouasque uires, tunc recipere uiſum eſt: quamquam iam inter ipſas communes Germaniae turbas eidem melior identidem fortuna affulſerit.

Vt enim in praeſenti non attingamus inuſitatam nulliſque temporum calamitatibus interruptam ipſius ILLVSTRIS SENATVS erga Muſas ſuas munificentiam, quae uerbis exprimi ſatis non poteſt; anno cIↃ IↃ CXXXIII, *Iacobus Schnerr*, Norimbergenſis, uir ſpectatae fidei atque integritatis, Academiae noſtrati legauit donauitque praedium

 ruſti-

rusticum *Deckersbergii*, ex quo usque adhuc aliquid commodi prouenire solet. Praeterea, anno cIↃIↃCXXXXI, uir generosae propaginis, inclytaeque uirtutis, *Iohannes Iodocus Schmidmaier a Schvvarzenbruck*, parario *Hackspanio*, linguarum orientis Professore dexterrimo, nunquam interituram a Musis nostris gratiam initurus, primum *trecentos florenos* muneri dedit, ut Arabum, et Syrorum, Rabbinorumque characterum typi, ad eius generis scripta imprimenda, pararentur. Deinde, anno cIↃIↃCXXXXIIII, commonente atque instigante uiro illustri, LVCA FRIDERICO BEHAIM, rei sacrae ac literariae tunc Ephoro, idem SCHMIDMAIERVS, aucta liberalitate, uiuus adhuc laetusque, cum perenni nominis sui laude, *mille florenos* elargitus est, e quorum annuo prouentu Bibliotheca Academica etiamnum libris egregiis locupletatur. *(p)*

Data hinc uidetur fuisse occasio, ut haec ipsa Bibliotheca, quae huc usque in angusto superioris ambulacri museo latuerat, in ampliorem commodioremque *Collegii Academici* locum, in quo ad hunc usque diem felicia capit incrementa, transferretur. *(q)* Quae res quorum auctoritate et opera fuerit peracta, haec superstes commonstrat inscriptio:

BIBLIOTHECA

HVC TRANSLATA

AVSPICIIS

NOBILISS. AMPLISS. DNN. SCHOLARCHARVM

LVCAE FRIDERICI BEHAIM

ALBERTI POEMERI

GEORGII IMHOF

IODOCI CHRISTOPHORI KRESS

SEPTEMVIRI ET SENATORVM OPTIME MERENTIVM

RECTORE MAGNIFICO

THEODORICO HACKSPAN

S. LINGVAE PROF. PVBL.

BIBLIOTHECARIO

GEORGIO KOENIG S. THEOL. D.

ANNO cIↃIↃCXXXXIIII.

Sed neque ex memoria nobis excesserit, IO. DITERICVM, S. R. I. *Nobilem Bandophorum et Liberum Baronem de* TAVBE, qui in hac Academia studiorum caussa uersatus, contra uota et opinionem omnium, in florentissima aetate, anno cIↃIↃCXXXXVII, diem suum obiit, bene uoluisse Musis nostris; utpote quibus ad augendam rem librariam trecentorum *florenorum* annuam legauit usuram, singulisque, qui in hac Academia tunc floruerunt, Professoribus quoddam beneuolentiae suae pignus reliquit. *(r)* Tacemus nunc, et b. *Iungermanni*, medici praestantissimi, legatam supellectilis suae literariae partem, et postea,

(p) Vid. Felvvingeri *Oratio funebris in memoriam huius* SCHMIDMAIERI *bene merentissimi anno* cIↃIↃCXXXXVIII *dicta*.

(q) Vid. G. Koenigii *Oratio de studiis uirorum illustrium in condendis Bibliothecis, habita Altorphii A.* cIↃIↃCXXXXIIII.

(r) Videatur Nicol. Rittershusii *Laudatio postuma piis manibus perillustris huius Liberi Baronis eodem anno dicta*.

poſtea, A. cIↃIↃCCVII, b. *VVagenſeilii*, ICti celebratiſſimi, quendam rerum curioſarum apparatum Academiae liberaliter donatum, emtosque eiusdem Libros *Rabbinicos*, item et aliorum liberalitatis documenta, identidem Bibliothecae Academicae acceſſiſſe.

Anno cIↃIↃCL, locus ſecandis aperiendisque humanis corporibus, in eodem Collegio Academico, accommodatus, ex munificentia illuſtrium NVTRITORVM adornari coepit. Cuius rei memoriam adhuc ſeruat ſequens elogium:

QVISQVIS ES QVI TE IPSVM NOSSE AMAS
INTVS QVI ET IN CVTE SIS
HVC ADES ET STVDIIS PRAEDITVS FORTIBVS
DISSECTIONES SPECTA HVMANI CORPORIS
SIMVLQVE GRATO ANIMO
INCLVTAE REIPVBLICAE NORIMBERG. BENEFICIVM
AGNOSCE
NON HIC MOMI FENESTRA
SED PARVVM THEATRVM EST.
NOBILISS. ET AMPLISS. DNN. SCHOLARCHAE
GEORGIVS IMHOFF SEPTEMVIR
ALBERTVS POEMER
IODOCVS CHRISTOPH. KRESS A KRESSENSTEIN
LEONHARDVS GRVNDHERR
SENATORES BENE MERENTISSIMI
MAGNO ACADEMIAE INCREMENTO F. F.
RECTORE MAGNIFICO
VVILHELMO LVDVVELL ICTO
ANATOMICO
MAVRICIO HOFFMANNO DECANO MEDICO.
A. cIↃ IↃC L.

Non minus et annus cIↃIↃCLVI arti ſalutari fuit auſpicatus, cum hortus medicus noua acceſſione, et nominatim hibernaculo, floribus plantisque peregrinis fouendis commodo, ornaretur: id quod ex ſubiecta inſcriptione cognoſcere licet:

B. F.
VITAE ET VALETVDINIS HVMANAE PRAESIDIA
MIRA VARIETATE ET COPIA SESE OSTENTANTIA
CVRAM MINIMAM COLLIGENDI
DISCERNENDI MAXVMAM
AEQVALEM FACILEMQVE REDDI
HORTO IN HOC MEDICO
PAVLLO POST VNIV. COND. ADORNATO
QVICVNQVE CERNIS
GRATVS INCLVTAE REIP. NORIMB. BENEFICIVM
AGNOSCE
NATVRAE MVNIFICENTIAM SVPERANS

CVIVS PERPETVITATI IVVANDAE
NOBILISS. ET PRVDENTISSIMI
DNN.
GEORGIVS IMHOFF III.VIR
LEONHARDVS GRVNDHERR VII.VIR
IODOC. CHRISTOPH. KRESS A KRESSENSTEIN
IO. IACOBVS STARCK A RECKENHOFF
SENATORES ET SCHOLARCHAE BENEMERITISSIMI
MAGNO SALVTIS PVBLICAE COMMODO
REIQVE MEDICAE INCREMENTO
HIBERNACVLVM HOC PLANTARVM
A FVNDAM. EXTRVI CVRARVNT
PRAEFECTO OPPIDI
CHRISTOPH. ANDREA IMHOFF
BOTANICO
MAVRITIO HOFFMANNO DOCT.
A. C. cIↃIↃCLVI.

Altero poſt anno, itidem ex ſingulari illuſtrium NVTRITORVM benignitate, ſpecula ſpectandis ſiderum motibus primum extructa, uel certe inſtaurata eſt, in turricula, quae eſt in medio circiter ambitu muri opidani, qua ad ſeptentriones uergit, et a mathematum Profeſſore illo tempore florente turricula TREVVIANA appellari conſueuit. Cui rei hoc dedicatum fuit monimentum:

B. F.
ILLVSTRIS REIPVBLICAE NORIMBERGENSIS
PROCERES NOBILISSIMI AC PERSTRENVI
TRIVMVIR SEPTEMVIRI AC SENATORES
IIDEMQVE
EPHORVS AC SCHOLARCHAE BENIGNISSIMI
DN. GE. IMHOFF DN. LEONH. GRVNDHERR
DN. IOD. CHRISTOPH. KRESS DN. IOH. IACOB. STARCK
TEMPLVM HOC VRANIAE
INSTAVRARI INQVE FORMAM HANC PRO OBSER
VATIONIBVS COMMODIOREM
SINGVLARI MVNIFICENTIA
EXTRVI VOLVERVNT
CVRARVNT
PROF. MATH. ET PHYS. ABDIA TREVV
A. C. cIↃIↃCLVII.

Anno cIↃIↃCLVIIII, partim ex ILLVSTRIS SENATVS NORIMBERGENSIS benignitate, partim ex ſingulari Generoſiſſimae GENTIS OELHAFIANAE erga hanc Academiam fauore, publica noſtra Bibliotheca

theca mille et quadraginta libris liberaliter adaucta fuit, testante hac Epigraphe:

IN HAC BIBLIOTHECAE PARTE
(EX ALTERA EMTIONIS TITVLO A FRATRE
ACQVISITA HVICQVE ADDITA
MAGNIFICO NOBILISSIMO PERSTRENVO AC PRVDEN
TISSIMO
CVRATORVM ACADEMIAE HVIVS COLLEGIO
SINGVLARIS MVNIFICENTIAE GLORIAM
SIBI VINDICANTE)
OLIM SVA
NVNC LEGATI IVRE NOSTRA
VIVERE VOLVIT ET NOMINIS FAMAM PERPETVARE
CETERA MORTALIS
VIR NOBILISSIMVS
DN. HIERONYMVS OELHAFEN A SCHOELLENBACH
PATRIC. NORICVS
QVI COLLATIS AMPLISSIMIS BENEFICIIS
A MAGNIFICO ET NOBILISSIMO PARENTE
DN. IOH. CHRISTOPHORO OELHAFIO
AB ET IN SCHOELLENBACH
ICTO CELEBERRIMO
IN HANC VNIVERSITATEM
CVIVS ERAT PROCANCELLARIVS
HANC ETIAM PATERNAE HEREDITATIS PARTEM
TESTAMENTO ADIECIT
CVI GRATITVDINIS TEST. ERGO H. M. L. M. P.
ACADEMIA ALTORFINA
A. cIↃ IↃC LIX.

Occupauerat eo usque Germaniae Academias nomine *Pennalismi* praua quaedam et inueterata licentia nouellos Ciues Academicos uexandi, seruilique prorsus modo tractandi, unde saepius et animi studiosae iuuentutis ad mores perditos fuere traducti. Cum itaque anno cIↃ IↃCLXI Ordines Imperii in comitiis Ratisponensibus malum illud acrioribus remediis tollendum communibus suffragiis censuissent; etiam Nutritores huius Academiae tanto maiori curae sibi tunc habuerunt, ut, edicto proposito, disciplinam Academicam grauiter uindicarent, emendarentque; quanto saepius iam antehac compescendae eius generis consuetudini salutaribus consiliis legibusque occurrerant.

Quoties adhuc Senatus Academicus conuocari consueuerat, locis uel non certis, uel non satis commodis, conuenisse uidetur: quamobrem hac etiam ex parte maiori Academiae commoditati, anno

cIↄIↄCLXXVII, conſuluit illuſtris Patriae Senator, GABRIEL NVZELIVS, Curator Academiae primarius, muſeo Nuzeliano conuentibus huiusmodi deſtinato, benigniſſimeque adornato. Id quod ſequentibus uerbis memoriae proditum legitur:

GABRIELI. NVZELIO
PATRIAE. PATRI
SEPTEMVIRO. ATQVE. NVNC. PROTOSCHOLARCHAE
PIO. SAPIENTI. FELICI
QVOD. IS. APPLAVDENTE. ET. APPROBANTE
NOBILISSIMO. AC. STRENVISSIMO
DNN. SCHOLARCHARVM
ORDINE
NVZELIANVM. HOC. MVSEVM
PRIVATVM. ANTIDHAC. IAM. PVBLICVM. FECERIT
ET. INVSITATA. POSTERISQVE. PRAEDICANDA. BENEFICENTIA
ADMINISTRANDAE. IVSTITIAE. COGNOSCENDIS. CAVSSIS
PVBLICIS. ACADEMICI. SENATVS. SINGVLARVMQVE. FACVLTATVM
CONGRESSIBVS. DICAVERIT
AD. PERENNEM. GRATAE. MEMORIAE. TESTIFICATIONEM
MONVMENTVM. HOC. LVBENS. MERITO
RECTORE. VNIVERSITATIS. CENTESIMO
IOHANNE. SAVBERTO
S. THEOL. D. ET. PROF. PRIMAR.
SENATVS. ACAD. P.
MENSE. MAIO. A. cIↄIↄCLXXVII.

Anno cIↄIↄCLXXXII, in foſſa, quae opidum ambit, peculiaris camera, uiribus rerum naturalium igne explorandis, quae *Laboratorium chimicum* appellatur, et ad quam aditus in poſteriore *Collegii Academici* area per murum opidanum patet, impenſis NVTRITORVM munificentiſſimorum, ex quadrato lapide extructa, omnisque generis inſtrumentis huic inſtituto idoneis referta eſt. Cui hanc inſcriptionem conſecratam legimus:

B. F.
CHEMIAE
ARTIVM. ANTIQVISSIMAE
ADMIRANDORVM. NATVRAE. OPERVM. AEMVLAE
SOLVENDO. ET. COAGVLANDO
VNIVS. REI. INTERITVM
ET. ALTERIVS. PRINCIPIVM. SIMVL. AFFECTANTIS
EXERCITIO

DOMI-

DOMICILIVM. HOC. PVBLICVM
EX. SINGVLARI. ET. POSTERIS. PRAEDICANDA
INCLVTAE. REIP. NORIMB.
MVNIFICENTIA
PRO. FVTVRO. ACADEMIAE. ORNAMENTO
MEDICINAE. INCREMENTO
SALVTIS. CIVIVM. EMOLVMENTO
A. R. S. cIↃ IↃcLXXXII
FVNDITVS. EXTRVI. CVRARVNT
MAXIME. STRENVI. GENEROSI. ET. PRVDENTISSIMI
D O M I N I
GABRIEL. NVZEL. AB. ET. IN. SINDERSPVHL
III. VIR
VVILHELMVS. IMHOFF
IO. PAVLVS. PAVMGARTNER. AB. HOLENSTEIN
ET. LOHNERSTADT. IN. GRVNSBERG
CAROLVS. VVELSER. A. NEVNHOF
SENATORES. ET. SCHOLARCHAE. SVMME. MERITI
RECTORE. VNIVERSITATIS
IACOBO. PANCRATIO. BRVNONE
PHIL. ET. MED. D. HVIVSQ. P. P.
FACVLT. MED. DECANO
IOH. MAVRITIO. HOFFMANNO
MAVR. F. PHIL. ET. MED. D.
TV. VERO
QVICVNQVE. LOCVM. HVNC. ACCESSERIS
LABORIOSAS. EVM. DELICIAS. ALERE. NON. DESIDIAS
ET. VVLCANI. PALLADISQ. IN. IVCVNDA. SOLICITVDINE
NEGOTIOSVM. OTIVM. FOVERE. SCITO
NEVE. TVRBES. CAVETO

Annus cIↃ IↃcLXXXXVI. huic Academiae memorabilis fortunatusque extitit, cum eius iura atque priuilegia, dato diplomate, non ſolum clementiſſime confirmauit, ſed et inſigniter auxit Diuus LEOPOLDVS, Glorioſiſſimus Romanorum Imperator, et orbis Chriſtiani literatique amplificator optimus maximusque. Poſtquam enim, a condita quidem Academia, Theologi eximii non ſine felici ſucceſſu hic publice priuatimque docuerant literas diuiniores; iis uero ad iſtum usque diem defuerat facultas bene merentibus ſummos in Theologia

 hono-

honores impertiendi : diuinis tandem auſpiciis, et LEOPOLDI, ſacratiſſimi Imperatoris, indulgentia, illuſtriumque NVTRITORVM bonitate, euenit, ut illud quoque egregium ornamentum, et praecipuae dignitatis felicitatisque quaſi ſupplementum, huic ipſi Academiae ex uoto accederet. Decernente igitur ac praeſcribente inclyto SENATV NORIMBERGENSI, anno cIↃ IↃCLXXXXVII, ipſa anniuerſaria Academiae panegyri, auguſtiſſimum illud priuilegium feſto ſolennique ritu promulgatum eſt, ſimulque DEO, et AVGVSTO, itemque NVTRITORIBVS, eae, quae debebantur, pietatis gratique animi ſignificationes factae, et altero die poſt, non ſolum tunc primum Theologiae, ſed etiam, more iam recepto, Iuris atque medicinae Doctores, itemque bonarum artium ac philoſophiae Magiſtri, unusque Poeta laureatus, ſolenniſſime ſunt creati. (s) Quo tempore rei ſacrae atque literariae curandae ſumma cum laude praefuerunt hi quatuor uiri Generoſiſſimi, nunc beatiſſimi : CAROLVS GOTTLIB. HARSDOERFER, Ephorus; VITVS ENGELHARDVS HOLZSCHVER; CAROLVS SIGISMVNDVS GRVNDHERR, et IACOBVS VVILIBALDVS HALLER, Senatores conſulares optime meriti. Neque uero ab harum rerum commemoratione alienum putamus, iſta DIVORVM IMPERATORVM priuilegia, quae NVTRITORES BENIGNISSIMI noſtrati impetrarunt Academiae, hoc quoque loco poſteris memoriae tradi.

NOS LEOPOLDVS, Diuina fauente clementia electus Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Sclauoniae etc. Rex, Archidux Auſtriae, Dux Burgundiae, Brabantiae, Styriae, Carinthiae, Carniolae etc. Marchio Morauiae, Dux Lucemburgiae, ac ſuperioris et inferioris Sileſiae, VVirtembergae et Teckae, Princeps Sueuiae, Comes Habſpurgi, Tyrolis, Ferretis, Kyburgi et Goritiae, Landgrauius Alſatiae, Marchio Sacri Romani Imperii Burgouiae, ac ſuperioris et inferioris Luſatiae, Dominus Marchiae Sclauonicae, Portus Naonis et Salinarum etc.

Ad perpetuam rei memoriam agnoſcimus et notum facimus tenore praeſentium uniuerſis : Ex quo tempore Diuini Numinis benignitate atque conceſſu ad ſupremum Maieſtatis Imperialis faſtigium euecti ac ueluti in ſpecula conſtituti ſumus, ut circumquaque oculos mentis circumferentes, quae ad Rempublicam recte riteque componendam, et laudabiliter adminiſtrandam, perti-

(s) Prodiit hac de re *Actus promulgationis Priuilegiorum Vniuerſitatis Altorfinae Nor. indulgentiſſime confirmatorum et amplificatorum, feſto ſolenni Petro-Paulino,* III *Kal. Iul. A.* cIↃ IↃC LXXXXVII, *celebratus*, et altero poſt anno typis exſcriptus.

pertinere cognoscimus, sollicite procuremus: in hanc potissimum curam cogitationemque omni studio Nobis incumbendum semper iudicauimus, non solum ut pacem et tranquillitatem publicam populis fidei Nostrae commissis conseruemus, sed etiam ut honestarum artium et literarum studia summis uiribus foueamus et propagemus, quod his florentibus, saluas et incolumes Respublicas esse et permanere, ac uicissim neglectis illis neque imperia laudabiliter administrari, nec belli consilia uigere, atque adeo nec domi nec foris rite et praeclare geri quicquam posse, experientia magistra didicerimus: cumque Maiores et Praedecessores Nostros, Diuos Romanorum Imperatores et Reges *augustae memoriae, ut subditos suos ad Rempublicam probe administrandam, atque alia tam ciuilia quam bellica officia obeunda, aptiores efficerent, Gymnasia et Academias passim in Sacro Romano Imperio instituisse et erexisse, institutas erectasque confirmasse, nouisque immunitatibus, priuilegiis et beneficiis auxisse, earundemque Doctores, Professores, aliosque eximios et insignes uiros, condignis praemiis, honoribus et priuilegiis exornasse constet: Nobis uero honorabiles Nobis et Sacro Romano Imperio fideles dilecti* Consules et Senatores Ciuitatis Nostrae Imperialis Norimbergensis *exposuerunt, quod Praedecessores sui pro bono ac commodo studiosae iuuentutis in oppido suo* Altorphio *ante saeculum, et quod excurrit, publicum Gymnasium aperuerint, quod cum Antecessores Nostri, augustae memoriae* Imperatores, RVDOLPHVS II, et FERDINANDVS II, *Caesarea auctoritate in* Academiam, *seu* Vniuersitatem, *erexerint, uariisque priuilegiis exornauerint, dictique* Consules et Senatores, *ut et* Nos *eandem suprema auctoritate Caesarea illustrare, corroborare et nouis beneficiis clementissime augere, haud dedignemur, submisse petierint; prout supradictarum Imperatoriarum concessionum tenor subsequitur in haec uerba:*

FERDINANDVS SECVNDVS, Diuina fauente clementia, electus Romanorum Imperator, semper Augustus, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Sclauoniae etc. Rex, Archidux Austriae, Dux Burgundiae, Brabantiae, Styriae, Carinthiae, Carniolae etc. Marchio Morauiae, Dux Lucemburgiae, ac superioris et inferioris Silesiae,

VVirtembergae et Teckae, Princeps Sueuiae, Comes Habſpurgi, Tyrolis, Ferretis, Kyburgi et Goritiae, Landgrauius Alſatiae, Marchio Sacri Romani Imperii Burgouiae, ac ſuperioris et inferioris Luſatiae, Dominus Marchiae Sclauonicae, Portus Naonis et Salinarum etc. Ad perpetuam rei memoriam agnoſcimus et notum facimus tenore praeſentium uniuerſis; ex quo tempore, Diuini Numinis benignitate atque conceſſu, ad ſupremum Maieſtatis Imperialis faſtigium euecti ſumus, Officii Noſtri Caeſarei munus cumprimis requirere exiſtimamus, Maiorum Noſtrorum Romanorum Imperatorum ac Regum, qui inter alias ſupremae poteſtatis curas, hanc praecipue dignitate ſua dignam exiſtimarunt, ut uaria, in Sacro Romano Imperio Gymnaſia, Academias et uniuerſalia ſtudia, uelut publicas ſtudiorum palaeſtras inſtituerent, fundarent et confirmarent, exemplo ſollicite curare: ut liberalium artium ac ſcientiarum diſciplinae, quae ad Reipublicae gubernationem et conſeruationem neceſſariae et oportunae ſint, excolantur, et conuenientibus auſpicio et protectione felicia incrementa conſequantur. Quamobrem ab honorabilibus Noſtris et Sacri Romani Imperii fidelibus dilectis Magiſtris Ciuium & Senatoribus Ciuitatis Noſtrae Imperialis Norimbergenſis *humillime rogati, ut ſcholam ſiue ludum literarium, in oppido ſuo* Altorphii, *ante annos pene quinquaginta, inſtitutam, quam auguſtae memoriae* RVDOLPHVS II, Imperator, *Dominus Patruelis et Anteceſſor Noſter colendiſſimus, peculiari gratia proſecutus, facultate promouendi Baccalaureos et Magiſtros artium atque Philoſophiae, die uigeſima ſexta menſis Nouembris, anno Domini milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo octauo, benigne condecorauit, ſubſequenter Imperator MATTHIAS, ſub auſpicium Regiminis ſui Imperialis, confirmarit: Nos quoque ſuprema auctoritate Noſtra Caeſarea illuſtrare et clementer corroborare dignemur, prout ſupra dicti Diplomatis Rudolphini tenor ſubſequitur in haec uerba:*

RVDOLPHVS SECVNDVS, Diuina fauente clementia electus Romanorum Imperator, ſemper Auguſtus, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Sclauoniae etc. Rex, Archidux Auſtriae, Dux Burgundiae, Styriae, Carinthiae, Carniolae etc. Marchio Morauiae, Dux

Lucem-

Lucemburgiae , ac ſuperioris et inferioris Sileſiae , VVirtembergae et Teckae , Princeps Sueuiae , Comes Habſpurgi , Tyrolis , Ferretis , Kyburgi et Goritiae , Landgrauius Alſatiae , Marchio Sacri Romani Imperii Burgouiae , ac ſuperioris et inferioris Luſatiae , Dominus Marchiae Sclauonicae , Portus Naonis et Salinarum etc. Notum facimus tenore praeſentium uniuerſis : Poſtquam DEI optimi maximi nutu et uoluntate , ad hoc Sacri Romani Imperii ſummum faſtigium euecti , ac uelut in ſpecula conſtituti ſumus , ut circumquaque oculos mentis circumferentes, quae ad Rempublicam recte riteque componendam et laudabiliter adminiſtrandam pertinere cognoſcimus , ſollicite procuremus , in hanc potiſſimum curam cogitationemque omni ſtudio Nobis incumbendum ſemper iudicauimus , non tam ut pacem et tranquillitatem publicam populis fidei Noſtrae commiſſis conſeruemus , quam ut honeſtarum artium et literarum ſtudia ſummis uiribus foueamus et propagemus , quod iis florentibus ſaluas et incolumes Reſpublicas eſſe et permanere ; at uiciſſim , illis neglectis , neque Eccleſias recte conſtitui , nec Reſpublicas laudabiliter adminiſtrari , nec belli conſilia uigere aut explicari , atque adeo nec domi nec foris rite et praeclare geri quicquam poſſe , experientia magiſtra didicimus. Cumque Maiores Noſtros , Diuos Romanorum Imperatores et Reges *auguſtae memoriae, ut ſubditos ſuos ad Rempublicam probe adminiſtrandam, atque alia tam ciuilia quam bellica officia obeunda, aptiores efficerent, Gymnaſia et Academias undique in Sacro Romano Imperio inſtituiſſe et erexiſſe, et liberalium artium , aliarumque honeſtarum ſcientiarum et diſciplinarum Profeſſores, eximios quosque et inſignes uiros, literis et doctrinis egregie inſtructos delegiſſe , eosque dignis praemiis , honoribus et priuilegiis ornaſſe , conſtet ; Nobis uero , honorabiles Noſtri et Sacri Romani Imperii fideles dilecti , Magiſtri Ciuium et Senatores Ciuitatis Noſtrae Imperialis Norimbergenſis , per Syndicum ſuum , Noſtrum et Imperii Sacri fidelem dilectum , Ioachimum Koenig , humiliter expoſuerint , ſe pro bono atque commodo ſuorum Ciuium , ac in eum praecipue finem , quo iuuentus commodius aliquanto , quam in ipſa Ciuitate Norimbergenſi eo usque factum eſſet , in linguis et artibus ſcientiisque liberalibus inſtrui , ſimulque bonis honeſtisque moribus imbui poſſet , paucos ante annos Ludum literarium , ſiue Scholam parti-*

ticularem, in oppido suo Altorff, *non sine graui sumptu, instituisse, eamque tam aedificiis necessariis, quam multis insignibus artium liberalium et Philosophiae Professoribus aliunde accersitis instruxisse atque ornasse; hincque factum esse, ut Schola ista, cuius leue primum fuerit initium, ita florere coeperit, ut a pluribus locis et regionibus, non uicinis solum, uerum etiam longissime dissitis, multorum ac tam Comitum et Baronum, quam Nobilium ac aliorum clarorum uirorum liberi, ad eam, studiorum causa, confluant, et cum ibidem in omnibus partibus Philosophiae fundamenta fideliter iaciant, honestis insuper exercitationibus, disputationibus et declamationibus, ita sese exerceant, ut breui tempore uberes fructus studiorum suorum consequantur, Scholarium numerus in dies auctior fiat, ita quidem, ut eidem a se instituto Gymnasio id solum desit, quod eos, qui operae suae in linguis artibusque addiscendis bene collocatae praemium expectent, et ad insignia titulorum et graduum Baccalaureatus, uel Magisterii, in artibus et Philosophia aspirent, huiusmodi titulis ornandi priuilegio careat: hacque de causa, iidem Scholam istam Altorffinam intempestiue relinquere, et ad alias Academias, non sine graui incommodo ac detrimento, tum etiam studiorum suorum iactura, se conferre, ac relicta priore methodo, nouam quasi studendi rationem inire cogantur. Quamobrem, ut adolescentium studiis et felicibus progressibus consulant, demisse a Nobis petierunt, ut beneficio atque priuilegio Nostro Scholam ipsorum ornare, et Rectori, Visitatoribus et Professoribus eiusdem, facultatem promouendi in Baccalaureos et Magistros artium et Philosophiae concedere clementer dignaremur: Nos igitur laudatis Maiorum uestigiis insistere cupientes, praedicti Senatus aequissimis precibus annuendum, et honestos eius conatus omni studio iuuandos et promouendos duximus. Ac proinde adhibito maturo consilio, animoque deliberato, ex certa scientia et de Caesareae potestatis Nostrae plenitudine, memoratae Scholae Altorffianae speciale hoc priuilegium, authoritatem et gratiam concessimus et indulsimus, ac tenore praesentium concedimus et indulgemus, quod scilicet deinceps eiusdem Rector, Visitatores, aut Professores, et personae idoneae ad id per saepe nominatum Senatum et eius successores, uel quibus id ipsi demandarint, deputandae, possint et ualeant*

in

in praedicta Schola, seu Gymnasio, in Philosophia et artibus siue scientiis liberalibus publice legere, et lectiones, disputationes et repetitiones publicas facere, conclusiones palam sustinere, et praedictas scientias docere, interpretari, glossare et dilucidare, omnesque actus scholasticos exercere, commodo ritu et ordine, qui in ipsorum Schola hactenus usu fuit, aut in eiusmodi Gymnasiis obseruari solitus est. Et cum ipsa studia eo feliciori gradu procedant, et maius sumant incrementum, si ingeniis et disciplinis ipsis sui honoris seu dignitatis gradus statuantur, ut emeriti aliquando digna laborum suorum praemia consequantur: statuimus et ordinamus, ut per Collegia Professorum, electis ad id idoneis et prae caeteris excellentioribus, si qui ad sumendam palmam certaminis sui idonei iudicati fuerint, adhibito prius per ipsos Professores, pro more et consuetudine, atque solennitatibus et ritu, in studiis publicis et priuilegiatis obseruari solitis, rigoroso et diligenti examine, (in quo conscientias ipsorum Professorum onerari uolumus, quos etiam sub iuramenti uinculo ad hoc adstringimus,) in Philosophia et liberalibus artibus ii, qui se examini submiserint, et pro more ac iuxta statuta, Scholarchis, per aliquos dignos et honestos uiros de gremio ipsius Collegii se praesentari fecerint, possint ad ipsum examen admitti, et inuocata Spiritus Sancti gratia examinari, et si hoc modo habiles, idonei et sufficientes reperti et iudicati fuerint, Baccalaurei, aut Magistri artium et Philosophiae, pro uniuscuiusque scientia et doctrina creari, et huiusmodi dignitatibus insigniri, nec non Biretti impositione et annuli aurei ac osculi traditione, caeterisque consuetis solennitatibus inuestiri, et consueta ornamenta atque insignia dignitatum praefatarum eis tradi et conferri, quodque Baccalaurei aut Magistri in eadem Schola promoti et promouendi debeant et possint in omnibus locis et terris Sacri Romani Imperii et ubique terrarum et locorum libere omnes actus Professorum, aut Magistrorum, legendi, docendi, interpretandi et glossandi, facere et exercere, quos caeteri Professores, Baccalaurei et Magistri in aliis studiis priuilegiatis promoti et insigniti exercent et exercere possint et debent, consuetudine uel de iure. Quodque iidem Magistri *et* Baccalaurei *gaudeant, fruantur et potiantur, ac gaudere, frui et potiri possint et debeant omnibus et quibuscunque*

 gratiis,

gratiis, honoribus, dignitatibus, praerogatiuis, priuilegiis, concessionibus, fauoribus et indultis, ac aliis quibuslibet, quibus in studiis priuilegiatis promoti, ob huiusmodi dignitatem utuntur, fruuntur et potiuntur, quomodo libet consuetudine uel de iure; non obstantibus aliquibus priuilegiis, indultis, praerogatiuis, gratiis, statutis, ordinationibus, legibus, constitutionibus, reformationibus, exemptionibus, aut aliis quibuscunque in contrarium facientibus. Quibus omnibus et singulis ex certa Nostra scientia, animo deliberato et motu proprio, derogamus et derogatum esse uolumus per praesentes, ita tamen, quod memorati, Rector, Visitatores et Professores, uel etiam ipsi Magistri Ciuium et Senatores Ciuitatis Norimbergensis, intra huius Nostrae concessionis terminos consistant, nec ad usurpationem priuilegiorum et iurium Vniuersalis Academiae progrediantur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc Nostri indulti, concessionis et Priuilegii, gratiam uel facultatem infringere, aut ei quouis ausu temerario contraire, seu illam quouis modo uiolare. Si quis autem id attentare praesumpserit, Nostram et Imperii Sacri indignationem grauissimam et poenam centum marcarum auri puri, toties quoties contra factum fuerit, se nouerit irremissibiliter incursurum, quarum dimidiam Imperiali Fisco, seu Aerario Nostro, reliquam uero partem saepe nominato Senatui Norimbergensi, et eius Successoribus, decernimus applicandam. Harum testimonio literarum manu Nostra subscriptarum et Sigilli Nostri Caesarei appensione munitarum. Datum in Arce Nostra Regia Pragae, die uigesima sexta mensis Nouembris, anno Domini millesimo quingentesimo septuagesimo octauo, Regnorum Nostrorum Romani quarto, Hungarici septimo, et Bohemici itidem quarto.

Nos itaque maturo desuper adhibito consilio, et deliberatione, precibus eiusmodi per sese honestis et aequis non modo benigne deferendum, uerum insuper considerata loci opportunitate, ubi et Iuuentutis et Professorum in unaquaque facultate celebrium frequentia concurrat, simul etiam attenta singulari eiusdem Ciuitatis Norimbergensis *deuotione atque obseruantia, quam erga Nos Sacrumque Romanum Imperium profitetur, ulterius quoque ad plenioris Academiae siue Vniuersitatis con-*

cessionem,

cessionem, liberalitatem Nostram Imperialem extendendam duximus, praesertim cum certo Nobis polliceremur, praeterquam quod ea gratia Caesarea in adolescentiae et consequenter Reipublicae tum literariae, tum ciuilis, commoda amplissime redundabit, Senatum etiam Ciuesque Norimbergenses tam praeclaro beneficio, Augusto Nomini Nostro deuinctos, tanto constantius, praesertim tempore hoc statu Reipublicae turbulento, in fide atque obsequiis, Nobis Sacroque Romano Imperio debitis, perseueraturos.

Ac proinde ex certa scientia ac de Caesareae potestatis Nostrae plenitudine, antedictum studium isthic Altorffii *institutum, et Diui olim Imperatoris, RVDOLPHI II*[di]*, auctoritate approbatum, et facultate promouendi Baccalaureos et Magistros in artibus et Philosophia, uigore supra inserti priuilegii, insignitum, quo ad solennem et publicam professionem artium liberalium et Philosophiae, omni meliori modo, uia et forma, de nouo approbamus, ratificamus et confirmamus, ac praeterea, in uim motus proprii, ad Medicinae et Iurisprudentiae facultates, nec non potestatem et licentiam creandi Poetas laureatos, extendimus, et in Gymnasium Academicum, siue Vniuersitatem, erigimus, illudque una cum personis ibidem et nunc et olim profitentibus et studentibus, uniuersis priuilegiis, immunitatibus, libertatibus, honoribus, franchisiis, exemptionibus et gratiis, quibus aliae Vniuersitates earumque membra utuntur, fruuntur, potiuntur et gaudent, donamus, insignimus et exornamus: Volentes et eadem auctoritate Nostra Caesarea decernentes, quod Professores et personae idoneae per memoratos Ciuium Magistros et Senatores Ciuitatis Norimbergensis, uel quibus illi negotium dederint, deputandae, possint et ualeant in praedicto Vniuersali studio, seu* Academia Altorffina, *supradictas facultates profiteri, et lectiones, disputationes atque repetitiones publicas facere, theses siue conclusiones palam discutiendas proponere, ac praedictas scientias docere, interpretari, glossare et dilucidare, omnesque actus scholasticos exercere eo modo, ritu et ordine, qui in caeteris Gymnasiis et Vniuersitatibus publicis obseruari consueuit. Porro, cum ipsa studia eo feliciori gradu procedant, et maius incrementum sortiantur, si ingeniis et disciplinis suus honos, seu dignitatis brauium, statuatur, ut emeriti aliquando*

quando digna laborum ſuorum praemia conſequantur : Statuimus et ordinamus, ut per Collegia Doctorum, ſeu Profeſſorum, electis ad id idoneis et prae caeteris excellentioribus , ſi qui ad ſumendam palmam certaminis ſui habiles iudicati fuerint, inſtituto prius per ipſos Doctores et Profeſſores in ſupradictis facultatibus, pro more, conſuetudine, ſolennitatibus et ritu in caeteris Vniuerſitatibus obſeruari ſolitis , rigoroſo et diligenti examine (in quo conſcientias ipſorum Profeſſorum onerari uolumus) in liberalibus artibus et philoſophia, nec non medicina et utroque Iure, eos, qui examini ſe ſubmittere uoluerint, atque pro more et iuxta ſtatuta, Scholarchis per aliquos graues et honeſtos uiros praeſentari ſe fecerint , poſſint ad ipſum examen admitti, et inuocata Spiritus Sancti gratia examinari, et ſi hoc modo habiles, idonei et ſufficientes reperti atque iudicati fuerint, in ſupra nominatis facultatibus, Baccalaurei, *aut* Magiſtri, *uel* Licentiati, *uel* Doctores, *quin etiam* Poetae Laureati, *pro uniuscuiusque ſcientia et doctrina, creari et huiusmodi dignitatibus inſigniri, nec non per Biretti uel Corollae laureae impoſitionem et annuli ac oſculi traditionem, caeterisque conſuetis ſolennitatibus inueſtiri, et ſolita ornamenta atque inſignia dignitatum praedictarum eis tradi et conferri, quodque Poetae laureati, aut Magiſtri, uel Licentiati, ſiue Doctores, in eadem Academia promoti, et promouendi debeant et poſſint in omnibus locis et terris, quin et Tribunalibus, Iudiciis et Conſiſtoriis Sacri Romani Imperii libere omnes actus tam ad Iudicum et Aſſeſſorum, quam Profeſſorum officia pertinentes, iudicandi, de iure reſpondendi, legendi, docendi, interpretandi et gloſſandi, facere et exercere, quos caeteri Iudices et Aſſeſſores, Profeſſores, Baccalaurei, Magiſtri, Licentiati et Doctores, nec non Poetae Laureati, in aliis ſtudiis priuilegiatis promoti et inſigniti, exercent et exercere poſſunt et debent, de iure uel conſuetudine.*

Praeterea recipimus eandem Academiam in Noſtram et Succeſſorum Noſtrorum Romanorum Imperatorum et Regum ſingularem protectionem , Saluamguardiam atque patrocinium , *uolumusque et decernimus per praeſentes, quod Scholaſtici, ac ibidem dignitatem, titulum ſeu gradum aliquem aſſumentes , gaudeant et potiantur, utique frui et gaudere poſſint*

ac

ac debeant omnibus et quibuscunque gratiis, honoribus, dignitatibus, praeeminentiis, immunitatibus, priuilegiis, franchisiis, concessionibus, fauoribus et indultis, ac aliis quibuslibet, quibus Vniuersitas Coloniensis, Viennensis, Tubingensis, Friburgensis, Ingolstadiensis, Argentinensis, ac alia studia priuilegiata, nec non Doctores, Licentiati, Magistri, Baccalaurei et Scholastici in supra dictarum facultatum una uel altera isthic promoti, aut aliqua dignitate seu gradu insigniti, gaudent, utuntur, fruuntur et potiuntur, quomodo libet, consuetudine uel de iure; non obstantibus aliquibus priuilegiis, indultis, praerogatiuis, gratiis, statutis, ordinationibus, legibus, constitutionibus, reformationibus, exemptionibus, aut aliis quibuscunque in contrarium facientibus. Quibus omnibus et singulis ex certa Nostra scientia, animo bene deliberato, et motu proprio, per hoc Diploma Nostrum derogamus, et derogatum esse uolumus, benigne confidentes, supra dictum Senatum Norimbergensem, *pro solita prudentia et integritate sua, serio prouisurum, quin etiam tum in publicatione huius Nostri Diplomatis Imperialis, tum alias apud Professores, scholasticos, et ubicunque necessum fuerit, districte inhibiturum, ne quid scandalosum, uel bonis moribus contrarium, aut Sacri Romani Imperii constitutionibus aduersum, siue per Professores, siue Studiosos, ibidem doceatur, uel scribatur, aut doceri, scribi, in lectionibus uel disputationibus publicis proponi, aut scripto uel libris siue clam siue palam uulgari permittatur. Nulli ergo hominum cuiuscunqne status, gradus, ordinis, conditionis, dignitatis, aut praeeminentiae fuerit, liceat, hanc Nostrae confirmationis, erectionis, indulti, concessionis, saluae Guardiae et Priuilegii, gratiam uel facultatem infringere, aut ei, quouis ausu temerario, contraire, seu illam quouis modo uiolare: si quis autem id attentare praesumpserit, Nostram et Imperii Sacri indignationem grauissimam, et poenam centum marcarum auri puri, toties quoties contra factum fuerit, se nouerit irremissibiliter incursurum, quarum semissem Fisco, seu Aerario Nostro Imperiali, reliquum uero supra nominatis Magistris Ciuium et Senatoribus Ciuitatis Norimbergensis decernimus applicandum. Harum testimonio literarum manu Nostra subscriptarum et Sigilli Nostri Caesarei appensione munitarum. Datum in Ciuitate Nostra Viennae,*

die tertia mensis Octobris, anno Domini millesimo sexcentesimo uigesimo secundo, Regnorum nostrorum, Romani quarto, Hungarici quinto, Bohemici uero sexto.

Nos itaque, maturo desuper habito consilio et deliberatione, precibus eiusmodi per sese honestis et aequis benigne deferendum, et attenta singulari eiusdem Ciuitatis Norimbergensis *fide, deuotione atque obseruantia, quam erga* Nos Sacrumque Romanum Imperium *profitetur, nec non clementissime consideratis insignibus meritis et seruitiis, quae cum* Nostris in Imperiali fastigio Antecessoribus, tum Nobis quoque, Sacro Romano Imperio et Archiducali Domui Nostrae, *maxime difficillimis hisce et turbulentis temporibus, aduersus Christiani nominis et Sacri Romani Imperii hostes, indefessa opera et intemerata fide,* dicti Consules et Senatores *praestiterunt, et adhuc laudabiliter praestant, liberalitatem Nostram Caesaream ad illustriorem Academiae huic Altorffiae splendorem et dignitatem conciliandam eo libentius extendendam duximus, quod haud incognitum Nobis sit, quam laudabili studio dicti* Consules et Senatores Norimbergenses *operam hactenus dederint, nullisque sumptibus pepercerint, quo Academiam hanc Doctoribus, Professoribusque integritate famae, doctrinae claritudine, et morum honestate maxime conspicuis, semper ornarent, quorum laudabili et indefessa opera effectum etiam est, quod ex publico hoc et celebri studiorum mercatu tot praeclari et singulari eruditione praediti uiri prodierint, qui publicis muneribus tam in Sacro Romano Imperio, quam passim apud exteros adhibiti, de publica salute insigniter olim sunt meriti, et hodienum magna cum laude merentur.*

Ac proinde ex certa scientia Caesareaeque potestatis Nostrae plenitudine, ante dictum studium uniuersale Altorffinum, *priuilegiaque a* Diuis Imperatoribus, RVDOLPHO II, et FERDINANDO II, *eidem concessa, non solum omni meliori modo, uia et forma, approbamus, ratificamus et corroboramus, sed et nouo Imperiali beneficio ita augemus atque extendimus, ut dicta* Vniuersitas *cum omnibus in ea comprehensis Professoribus, Doctoribus, Scholaribus, adeoque uniuersa pube literis ibidem operam nauante, aliisque ad eam pertinentibus perso-*

personis, aequo per omnia iure censeatur, pari dignitate aestimetur, omnibusque immunitatibus, priuilegiis, libertatibus, honoribus, franchisiis, sicut aliae per Romanum Imperium Vniuersitates, *earumque membra, utatur, fruatur, potiatur, et gaudeat: uolentes, et eadem auctoritate Nostra Caesarea decernentes, quod Professores et personae idoneae, per memoratum* Senatum Norimbergensem, *illiusue ad hoc Delegatos, deputandae, possint et ualeant in praedicta Vniuersitate in omnibus Facultatibus profiteri, et lectiones, disputationes atque repetitiones publicas facere, conclusiones palam discutiendas proponere, interpretari, glossare et dilucidare, omnesque actus scholasticos exercere, eo modo, ritu et ordine, qui in caeteris Vniuersitatibus obseruari solet. Porro, cum ipsa studia eo feliciori gradu procedant, et maius sumant incrementum, si ingeniis et disciplinis ipsis suus honos seu dignitatis gradus statuatur, et emeriti aliquando digna laborum suorum praemia consequantur, statuimus et ordinamus, ut per Collegia* Doctorum seu Professorum in qualibet Facultate, *electis ad id idoneis et prae caeteris excellentioribus, si qui ad sumendam palmam certaminis idonei iudicati fuerint, eamque modeste et conuenientibus locis petierint, nec non iuxta statuta, Scholarchis, uel quibus aliis Senatus hoc munus demandabit, per aliquos graues et honestos uiros praesentari se fecerint, possint, adhibitis prius per ipsos Doctores et Professores pro more et consuetudine solennitatibus et ritu in exteris Vniuersitatibus obseruari solitis, instituto que in timore Dei rigoroso et diligenti examine (in quo conscientias ipsorum Professorum onerari uolumus) eos, qui se examini submiserint, postquam Candidati apti, idonei et sufficientes reperti ac iudicati fuerint,* Baccalaurei, Magistri, Poetae Laureati, Licentiati et Doctores, pro modo uniuscuiusque scientiae et doctrinae, creari, et huiusmodi dignitatibus in qualibet Facultate *insigniri, nec non per Biretti uel Corollae laureae impositionem, et annuli ac osculi traditionem, caeterisque consuetis solennitatibus inuestiri, et solita ornamenta atque insignia dignitatum praedictarum eis tradi ac conferri: Quodque Baccalaurei, Poetae Laureati, aut Magistri, uel Licentiati, uel Doctores, in eadem Academia in qualibet Facultate promoti et promouendi, debeant et possint in omnibus locis et terris, quin et Consistoriis, Tribunalibus et Iudiciis Sacri Romani Imperii, et ubique terrarum*

et

et locorum, libere omnes actus Professorum legendi, docendi, interpretandi et glossandi, facere et exercere, quos caeteri Professores, Baccalaurei, Magistri, Licentiati et Doctores, in aliis studiis priuilegiatis promoti et insigniti, exercent et exercere possunt et debent, de iure uel consuetudine.

Praeterea recipimus eandem Vniuersitatem in Noſtram et Succeſſorum Noſtrorum, Romanorum Imperatorum et Regum, ſingularem protectionem, Saluamguardiam atque patrocinium, *uolumusque et decernimus per praesentes, ut dicta Vniuersitas, eiusdemque Doctores et Professores, quique apud eos titulum seu gradum aliquem assumunt, gaudeant et potiantur, uti, frui, gaudere et potiri possint et debeant omnibus et quibuscunque gratiis, honoribus, dignitatibus, praeeminentiis, immunitatibus, priuilegiis, franchisiis, concessionibus, fauoribus et indultis, ac aliis quibuslibet, quibus Vniuersitas Coloniensis, Viennensis, Heidelbergensis, Ingolstadiensis, Friburgensis, Rostochiensis, Iulia Helmstadiensis, Argentoratensis, Kiloniensis, Hallensis, ac alia studia priuilegiata, et Doctores, Licentiati, Magistri, Poetae Laureati, Baccalaurei et Scholastici, in una uel altera Facultate isthic promoti, aut aliqua dignitate seu gradu insigniti, gaudent, utuntur, fruuntur et potiuntur, quomodolibet consuetudine uel de iure; non obstantibus aliis priuilegiis, indultis, praerogatiuis, gratiis, statutis, ordinationibus, legibus, constitutionibus, reformationibus, exemptionibus, aut aliis quibuscunque in contrarium facientibus. Quibus omnibus et singulis ex certa Nostra scientia, animo bene deliberato et motu proprio derogamus, et derogatum esse uolumus, benigne confidentes, supra dictum* Senatum Norimbergenſem, *pro solita prudentia et integritate sua, serio prouisurum, quin etiam tum in publicatione huius Nostri Diplomatis Imperialis, tum et alias apud Professores, Scholasticos, et ubicunque necessum fuerit, districte inhibiturum, ne quid scandalosum, uel bonis moribus contrarium, aut Sacri Romani Imperii constitutionibus aduersum, siue per Professores, siue per Studiosos, ibidem doceatur, uel scribatur, aut doceri, scribi, in lectionibus uel disputationibus publicis proponi, aut scripto uel libris, siue clam, siue palam, uulgari permittatur.*

Concedimus insuper et elargimur benignam facultatem ac potestatem, ut Doctores et Profeſſores in Vniuerſitate Altorffina

ſina exiſtentes, *ad exemplum reliquarum Academiarum, praeuio tamen conſenſu et permiſſu* Senatus Norimbergenſis, *ſtatuta condere, ordinationes facere, nec non* Rectorem ac Prorectorem, *(Cancellarii tamen et Procancellarii dignitate ipſi Senatui reſeruata,)* Decanos, *aliosque Officiales, tempore ac more hactenus uſitato, creare et facere poſſint ac ualeant.*

Nulli ergo omnino hominum, cuiuscunque ſtatus, gradus, ordinis, dignitatis aut praeeminentiae, fuerit, liceat hanc Noſtrae conceſſionis, erectionis, confirmationis, indulti, protectionis et ſaluaeguardiae et priuilegii gratiam, uel facultatem, infringere, aut ei quouis auſu temerario contraire, ſeu illam quouis modo uiolare: Si quis autem id attentare praeſumpſerit, Noſtram et Sacri Imperii indignationem grauiſſimam, et poenam centum marcarum auri puri, *toties quoties contra factum fuerit, ſe nouerit irremiſſibiliter incurſurum, quarum dimidiam Imperiali Fiſco, ſeu Aerario Noſtro, reliquam uero partem ſupra nominato Senatui Norimbergenſi, eiusque Succeſſoribus, decernimus applicandam.*

Harum teſtimonio literarum manu Noſtra ſubſcriptarum, et Sigilli Noſtri Caeſarei appenſione munitarum, quae dabantur in Ciuitate Noſtra Viennae, die decima menſis Decembris, anno Domini milleſimo ſexcenteſimo nonageſimo ſexto, Regnorum Noſtrorum, Romani trigeſimo nono, Hungarici quadrageſimo ſecundo, Bohemici uero quadrageſimo primo.

LEOPOLDVS.

L. S. Caeſ.

Vt.
Sebaſtianus VVunibaldus
Comes a Zeyhl.

Ad mandatum Sacr. Caeſ.
Maieſtatis proprium

Luzo Dolberg m.pr.

Inter ea, quae iſtis temporibus grata acciderunt huic Academiae, referri etiam poteſt non poenitenda acceſſio librorum et medicorum, et philoſophicorum, quos eidem teſtamento ſuo liberaliter addixerat b. *Iohannes Leonhardus Stoeberlinus*, Ciuis Norimbergenſis, uir expertae uirtutis, et uſu peritus, inque natura inueſtiganda ſolertiſſimus: cuius et uxor poſtea ſigillatim Ordini Philoſophorum *D florenos* elargita eſt, quorum annuo reditu bibliotheca philoſophica augeatur. Adhaec iisdem annis primum ſpes facta eſt *donationis Fabricianae*, in poſterum ad emolumentum quoddam uiduarum profeſſorum deſtinatae, et a praecipuo auctore atque parario, Theologo celeberrimo, et maxime uenerabili *Abbate Regiae Luterae*, IO. FABRICIO, ſic appellatae; qui uero ut adhuc quamdiutiſſime ſuperſtes ſoſpesque meritorum ſuorum fructus capiat; non poſſumus, quin hoc loco peroptemus.

A. cIↃIↃCCII et cIↃIↃCCIII, grauis in uicinia ſurrexit belli tempeſtas; quam uero DEVS propitius, cui ſumma habenda eſt gratia, clementiſſime repreſſit, Muſisque noſtris exoptata rurſus halcyonia indulſit.

Anno cIↃIↃCCV, III Nonas Maias, diuus LEOPOLDVS, Imperator cunctarum gentium ſaeculorumque laude digniſſimus, mortalitate interceptus, et ad coeleſtia regna translatus eſt. Quam grauiſſimam iacturam ſicut uniuerſum Imperium Romanum uehementer luxit; ita incredibile dictu eſt, quantum ad publicae huius calamitatis famam nominatim conſtrata fuerit inclyta Reſpublica Norimbergenſis; quae, pro demiſſiſſima ſua in AVGVSTVM pietate, ea omnia inſtituit praeſtititque, quae ad ſupremae uenerationis maximique moeroris ſignificationem pertinere uidebantur. Ex ILLVSTRIS igitur SENATVS decreto, Muſae etiam Altorfinae in luctum publicum ſunt uocatae; ubi, praeſentibus Generoſiſſimis Curatoribus, non ſolum inter alia doloris communis ſigna, habita concione ſacra, dictaque oratione Academica, piis Manibus diui LEOPOLDI parentatum eſt; ſed et diuo IOSEPHO, qui, arduis gubernandi imperii partibus tunc ſuſceptis, illam ipſam uim fati ſolabatur, ſubiectiſſimorum animorum religione facta eſt gratulatio. (t)

Quo maior uero glorioſiorque fuerat Imperii IOSEPHINI felicitas; hoc grauior plaga impoſita eſt ſacro Imperio Romano, poſtquam anno cIↃIↃCCXI, XV Cal. Mai. alieniſſimo tempore, et contra expectationem omnium, inter medias uictorias atque triumphos, rebus humanis eriperetur IOSEPHVS, Auguſtiſſimus Romanorum Imperator, multorumque populorum Rex et Pater indulgentiſſimus. Quo calamitoſiſſimo caſu perculſa inclyta Reſpublica Norimbergenſis, itidem non ſolum in Vrbe, ceteroque territorio ſuo, ſed et ſigillatim in hac Academia Altorfina, inter multas ingentis luctus incredibilisque deſiderii ſignificationes, diuo IMPERATORI iuſta celebrauit. (u)

Sed

(t) **Editum eſt eo nomine:** *Templum gloriae, diuis Magni LEOPOLDI Manibus dicatum, et arcus triumphalis, in honorem Auguſtiſſimi inuictiſſimique IOSEPHI, Caeſareum in ſolium diuinitus euecti, piiſſima mente manuque adornatus a deuotiſſima Glorioſiſſimae Domui Auſtriacae Republica Norimbergenſi.*

(u) Extant: *Supremae pietatis monimenta diuis Manibus Auguſtiſſimi inuictiſſimique IOSEPHI, Glorioſiſſimi Romanorum Imperatoris*, XVII *April. A.* cIↃIↃCCXI *rebus humanis erepti, demiſſiſſime conſecrata a tantae Maieſtati deuotiſſima Republica Norimbergenſi.*

Sed et tunc eadem in partes communis ſolennisque laetitiae uenit, cum DEVS immortalis, in iſta publica ſolicitudine rerumque conuerſione, Sacro Imperio Romano mox conſuleret, diuinitus dato, feliciſſimisque auſpiciis in ſummum terrarum principatum maieſtatisque faſtigium euecto, CAROLO VI, Auguſto, Pio, Felice, Forti ac Conſtante; qui unus omnium mortalitatem diuorum PATRIS FRATRIsque tanto magis potuit ſolari, quanto auguſtiora omnium retro ſaeculorum decora complectitur, nullamque priorem ac ſanctiorem exiſtimat gloriam, quam ut ſe ſuasque uirtutes incomparabiles publicae temporum felicitati impendat. Cui Auguſtiſſimo IMPERATORI, uti poſt ſanctiſſimas inaugurationis caerimonias Francofurti peractas, xv Ian. A. cIↃIↃCCXII Norimbergam ingreſſo omnem fidem, et pietatem, demiſſiſſimumque obſequium, inter impenſiſſimi gaudii applauſum, ſancte teſtatus eſt Senatus Populusque Noricus; ita adhuc religioſiſſimis ſemper animis precatur et optat, ut DEVS optimus maximus adimpleat tot ardentia bonarum mentium uota, et humani generis commodo quamdiutiſſime imperare iubeat CAROLVM VI; quo nihil excelſius auguſtiusque orbis terrarum ueneratur, eiusque DOMVI AVGVSTAE eam, quam meretur, felicitatem, ipſamque aeternitatem, uolens propitius impertiatur!

Si ad priuatas Academiae res redeamus, commemoratione utique dignum eſt eximium ornamentum, quod cumprimis ad ſiderum ſtudium magis prouehendum anno cIↃ IↃCCXI eidem acceſſit. Poſtquam enim *ſpecula* illa *Aſtronomica*, ante quinquaginta circiter annos extructa, cuius iam ſupra fecimus mentionem, temporis tempeſtatumque iniuria paſſim fecerat damnum, ex inclytae Reipublicae auctoritate atque munificentia illuſtres Academiae CVRATORES, non exiguis ſumptibus nouam prorſus *Speculam Vranicam*, eamque priori multo ampliorem commodioremque in ſupremo Collegii Academici faſtigio, ea parte, qua Auſtrum ſpectat, extrui, et pauimento Speculae conclaue, uariae ſupellectili aſtronomicae recondendae accommodatum, ſubdi, curarunt; neque ſolum ueteris, ut appellant, *Obſeruatorii* inſtrumenta priſtinae integritati reſtituta atque emendata huc transferri iuſſerunt; ſed et *Sphaeram armillarem*, zodiaco inaurato inſtructam, et uertici *Quadrantis orichalcei aſtronomici* impoſitam, itemque tubum aſtronomicum XXX pedum, et horologium ſingulari arte confectum, et pendulo tripedali libratum, aliaque ſubſidia ſcientiae ſiderali inſeruientia, liberaliſſime addiderunt. *(x)* In cuius rei memoriam priſtinae tabulae huc translatae, et ſupra iam deſcriptae, haec ſubiecta ſunt uerba:

MAIORVM
LAVDATISSIMO ASTRONOMIAE PROVEHENDAE INSTITVTO
INSIGNEM SPLENDOREM
NOVO OBSERVATORIO MVNIFICE CONDITO
IMPOSVERVNT

M ILLV-

(x) Vid. D. Prof. Mulleri *Programma de Speculis Vranicis celebrioribus*, quo nouum *Obſeruatorium* inaugurandum ſignificauit, Altorfii xv Aug. A. cIↃIↃCCXIII. Item *Orat. de duplici Praxeos phyſicae et mathematicae ſcopo*, eiusdem *Collegio experimentali A.* cIↃIↃCCXXI *edito ſubiecta.*

ILLVSTRES ACADEMIAE CVRATORES
A. C. CIↃ IↃCC XI
DN. CHRISTOPHORVS FVRERVS AB HAYMENDORF IN VVOLCKERSDORF TRIVMVIR ET EPHORVS
DN. GVSTAVVS GEORGIVS TETZELIVS A KIRCHSITTENBACH IN VORRA ET ARTELSHOFEN SEPTEMVIR
DN. IOH. CHRISTOPHORVS DE IMHOFF IN MERLACH ET STEPHANSMVHLEN
DN. LEONHARDVS GRVNDHERR AB ALTENTHANN IN VVEYERHAVS
SENATORES CONSVLARES DE REPVBLICA ET ACADEMIA IMMORTALITER MERITI
PROFESSORE MATH. ET PHYS. IO. HENRICO MVLLERO.

In reliquo apparatu rei aſtronomicae ſigillatim adhuc memorabilis eſt *Sphaera armillaris*, ex aurichalco miro artificio ab *Eimmarto*, praeclaro mathematico, confecta, quae ordinem et *ſyſtema* Planetarum ex mente Copernici repraeſentat; quod eximium donarium iam anno cIↃIↃc LXXXXVI Academiae dedicarunt uiri Muſarum noſtrarum quondam cupidiſſimi, *Andreas Ingolſtetterus*, et *Iacobus Graſſelius*, mercatores Norimbergenſes primariae exiſtimationis: quorum prior aliis etiam liberalitatis monimentis hanc Academiam ornauit. (y)

Cum anno cIↃIↃCCXVII, DEO fauente, rediret illud tempus, quod gratiſſimam renouaret memoriam religionis diuinitus inſtauratae; ea de cauſſa haec quoque Academia DEO immortali uota ſaecularia perſoluit, et in futurum tempus noua nuncupauit. Poſtquam enim nomine magnifici Academiae Rectoris *programma* publicum pridie fuerat propoſitum, ipſis Calendis Nouembribus, pia ſupplicatione in templo opidano prius facta, totus coetus Academicus hinc regreſſus eſt in Auditorium theologicum *Collegii Academici*: ubi humaniorum literarum ac philoſophiae Profeſſor publicus, ad hunc actum ſolennem iuſſu et auctoritate illuſtrium Academiae CVRATORVM Orator conſtitutus, epicum carmen argumenti congruentis recitauit; muſici autem hymnum ſaecularem ab eodem Oratore et Poeta compoſitum inter uarios fidium tibiarumque concentus ſunt modulati. Altero autem die alii etiam non nulli ex ordine Profeſſorum ſua pietate inducti exercitationes quasdam Academicas iſti tempori conuenientes inſtituerunt.

Anno cIↃIↃCCXVIIII, ipſo die Michaeli, *Archangelo*, in faſtis ſacro, tempore quidem ueſpertino, coelum ſubito grauiterque, quantumuis ſemel tantum, intonuit, emiſſoque diro fulmine, tactis publicis huius Academiae aedibus, in ea potiſſimum parte, ubi ſpecula aſtronomica eminet, exitium comminari uiſum eſt: ſed DEO immortali ſumma perpetuaque habenda eſt gratia, quod tam praeſens periculum tam propitius clemensque propulſauit.

Ne

(y) Huius Sphaerae armillaris *breuem elucidationem* typis exſcribi curauit b. STVRMIVS noſter.

Ne uero et illud praetereamus documentum, quanta alibi quoque existimatione floruerit hoc eruditionis domicilium; animaduertamus licet, eam doctrinae sectandae caussa frequentatam fuisse non tantum a mediae sortis hominibus, qui praecipuas uitae fortunaeque suae rationes in literis scientiisque excolendis posuerunt; sed identidem etiam a Nobilium, Baronum, Comitum, atque magnorum Principum filiis. Inter Celsissimos adeo Serenissimosque Principes iuuentutis, ea, qua par est, honoris cultusque significatione a nobis possunt commemorari: IANVSSIVS RADZIVIL, Iagellonicae propaginis, *Dux Birsarum ac Dubinkorum, S. R. I. Princeps;* qui anno cIↃIↃCXXX, V Idus Decembr. huc uenit, et, praeter aulae *Mareschallum*, Magistrumque, ac studiorum moderatorem, comitatum XII epheborum administrantium habuit; posteaque Palatini Vilnensis dignitate condecoratus est, et exercitui magni *Ducatus* Lithuaniae Ducis supremi auctoritate praefuit: itemque ADOLPHVS IOHANNES, et, qui adhuc felicissime gloriosissimeque floret, GVSTAVVS SAMVEL LEOPOLDVS, *S. R. I. Principes ac Comites Palatini ad Rhenum,* Serenissimi Principis, ADOLPHI IOHANNIS, *Comitis Palatini ad Rhenum*, ac Ducis Bipontini, Filii, et CAROLI GVSTAVI, inuictissimi gloriosissimique Suecorum Regis ex Fratre Nepotes; qui A. cIↃIↃCLXXVI Musis nostris splendorem consortio suo attulerunt. Denique et FRIDERICVS, *Marchio Brandenburgico-Culmbacensis;* qui anno cIↃIↃCCXVII albo Academico nomen dare dignatus est; et cui in gloriam Serenissimae Domus suae succrescenti exoptatos excelsae fortunae successus pie apprecamur. Tacemus hic ALBERTVM A VVALDSTEIN, siue VVALLENSTEIN, *Liberum Baronem Bohemiae,* anno cIↃIↃXCIX, XXVIIII Aug. tabulis Academicis inscriptum; qui postea non solum ad dignitatem summi exercituum Caesareorum Imperatoris, sed et Principis Fridlandiensis et Saganensis, Ducisque Megapolitani, euectus est. Quae uero idem in bello Germaniae tricennali gesserit, et quem demum inuenerit uitae exitum, aliunde constat.

Nimii laboris opus foret, si nunc et ceteros enumerare uelimus, qui aut illustri nobilique loco nati huic Academiae fuerunt ornamento; aut qui alias Musarum nostrarum disciplina formati ex priuata sorte in lucem prodiere, amplas splendidasque dignitates consecuti. Inprimis tamen nobis omnique aeuo iucunda semper atque honorifica eorum erit memoria, qui ex ILLVSTRISSIMORVM COMITVM PERILLVSTRIVMque LIBERORVM BARONVM ordine nostrae Ciuitati literariae decus honoremque addidere. Ita enim Annales nostri commemorant, monimentisque nunquam interituris consecrant, quorum splendida Nomina nunc promiscue et sine ullo praeiudicio recolimus, non nisi ordinem literarum secuti: AVERSBERGIOS, BONDIOS, CRONHIELMIOS, DIETRICHSTEINIOS, DHONIOS, ECKIOS, FELSIOS, FREYBERGIOS, GANSIOS, GEYMANNOS, GIECHIOS, GRIESBECKIOS, HERBERSTEINIOS, HERVVARTOS, HOHENFELDIOS, HOYMIOS, IOERGEROS, KAVNIZIOS, KHEVENHVLLEROS, (quorum sex uel uno die A. cIↃIↃCXXXVII hanc Academiam adierunt) KOLLONITSCHIOS, KOLOVVRATIOS, KROTOSKYOS, LIMPVRGIOS, LOEVVENSTEINIOS et VVERTHEIMIOS,

LYNARIOS, METTERNICHIOS, OETTINGENSES, OSTERBERGIOS, OSTROROGIOS, PAPPENHEIMIOS, PERNAVEROS, POELNIZIOS, POLHAIMIOS, PREVSINGIOS, PRZYPHOROSKIOS, RACKNIZIOS, REISEVVIZIOS, RINDSMAVLIOS, RONAVIOS, ROTENHAHNIOS, SARABIZIOS, SCHAFGOTSCHIOS, SCHERFENBERGIOS, SCHIFEROS, SCHLICKIOS, SCHRATTENBACHIOS, SECKENDORFIOS, SEINSHEMIOS, SIENIENSKIOS, SONNECKIOS, SPANGSTEINIOS, STEENBOCKIOS, STEINIOS, STVBENBERGIOS, TAVBIOS, TEVFFENBACHIOS, TSCHERNEMBLIOS, TYPLVENIZIOS, VVANGIOS, VVCHYNIZIOS et TETAVIOS, VVELZIOS, VVINDISCHGRAEZIOS, VVOLFSTEINIOS, ZEIDLICIOS A SCHOENFELD, ZOVCHAEOS ex Anglia, aliosque multo plures.

Sed haec ex ſuperiorum temporum memoria breuiter repetita in praeſenti ſufficiant ſummam rerum conſectantibus. *(z)* Vt uero generatim conſtet, per quos potiſſimum DEVS immortalis huic Academiae ſua diſpenſarit beneficia, et quorum conſilio, cura, opera, induſtria atque fide, hoc ipſum doctrinae ac uirtutis domicilium non ſolum ſurrexit primum, ſed deinceps creuit etiam feliciter, et, inter tot fortunae temporumque uiciſſitudines, conſeruatum, ad hunc usque diem diuina bonitate perſtat, floretque; nunc primo loco ILLVSTRES GENEROSISSIMOSque Academiae CVRATORES enumerabimus, ipſorumque memoriam, ea, qua decet, pietate, gratique animi cultu, proſequemur. Quemadmodum enim Curia inclytae Reipublicae Norimbergenſis in uniuerſum non admittit niſi Senatores, ex certis Generoſiſſimis Familiis, ſingulari CAESARVM et IMPERII priuilegio ornatis, cooptandos, eosque ſpectata uirtute et ſapientia, uſuque rerum, graues, atque uetuſta nobilitate inſignes, quorum et maiores togae ſagique ornamentis ſplendidi eximios ſibi honores peperere, imaginesque gentilitias transmiſere ad poſteritatem ſuam; ita nec niſi ex his, ILLVSTRIS SENATVS decreto, quoque tempore quatuor Senatores eliguntur conſulares, qui rem ſacram ac literariam praecipue curent, ac ſigillatim res Academiae ſumma auctoritate moderentur. Quorum nomina ſua luce illuſtria nunc duntaxat recenſebimus; cum tot uirtutum meritorumque elogia hae anguſtae paginae non capiant. His deinceps, praeter RECTORES ACADEMIAE, addemus PROCANCELLARIOS; horum enim unus quoque tempore, eiusdem SENATVS iuſſu, ex ſpectatiſſimo inclytae REIPVBLICAE CONSILIARIORVM Collegio conſtituitur: qui uti plerumque et aliorum S. R. I. Ordinum ſimul ſunt a conſiliis; ita iisdem Magnus LEOPOLDVS, Imperator glorioſiſſimae memoriae, Diplomate A. CIↃIↃCXCVII clementiſſime dato, hanc ſingularem indulſit gratiam, ut ſimul *Comitis Palatii Caeſarei* dignitate fulgeant. Denique et PROFESSORVM PVBLICORVM ſubtexemus indicem, qui honeſtis ſtipendiis conducti, intra hos proximos centum annos, in hac Academia de iuuentute ſtudioſa publice priuatimque inſtituenda bene meruerunt.

ORDO

(z) Ad res Academiae Altorfinae cognoſcendas plura conferunt: D. D. IO. IACOBVS BAIER, in Beſchreibung der Nürnbergiſchen Univerſität-Stadt Altdorff; et b. Prof. OMEISIVS, in *Gloria Academiae Altorfinae*.

ORDO ET SERIES ILLVSTRIVM ACADEMIAE CVRATORVM a primo huius Lycei ortu.

IOACHIMVS HALLER, constitutus Scholarcha et rei sacrae ac literariae Curator, A. cIↃIↃLVIII; Ephorus, A. cIↃIↃLXV. Defunctus cIↃIↃLXX. Quia autem publico consilio de condendo Lyceo Altorfino iam interfuit, inter Curatores Academiae, quorum nomina et insignia in porticu *Collegii Academici* exhibet Tabula publica, merito recensetur.

GEORGIVS VOLCAMER, non solum iaciendis fundamentis Lycei Altorfini, A. cIↃIↃLXXI, sed etiam eidem inaugurando, A. cIↃIↃLXXV, Ephorus praefuit: at paullo post inaugurationem, IIII nempe Augusti, eodem anno, obiit.

THOMAS LOEFFELHOLZ, Senator ab A. cIↃIↃLIIII, paucis diebus ante inaugurandum Lyceum, X uidelicet Iunii, A. cIↃIↃLXXV, uita defunctus est.

PHILIPPVS GEVDER *ab Heroldsberg*, Senator ab A. cIↃIↃLXV; affuit anno cIↃIↃLXXV Curator Eccles. et Scholarum inaugurando Lyceo Altorfino; defunctus II Octobr. A. cIↃIↃLXXXI.

HIERONYMVS PAVMGARTNER *a Paumgarten*, iam A. cIↃIↃLXXI procurationem rei sacrae et literariae habuit; et anno cIↃIↃLXXVIII, cum hoc Gymnasium ad dignitatem Academiae proueheretur, Ephori et Curatoris primarii partes gessit; denique Praetor imperialis, obiit XVIII Decembr. A. cIↃIↃXCII.

VVILIBALDVS SCHLVSSELFELDER, Curator, A. cIↃIↃLXXV; Duumuir, A. cIↃIↃLXXVIIII. Praetor imperialis, obiit A. cIↃIↃLXXXIX.

BARTHOLOMAEVS POEMER, affuit A. cIↃIↃLXXVIII Curator, cum prima priuilegia Diui RVDOLPHI II, Imp. solenniter publicarentur; postea ab anno cIↃIↃLXXXVI Ephorus et Triumuir, obiit A. cIↃIↃXC, d. XXVIII Octobr.

IVLIVS GEVDER *ab Heroldsberg*, teste supra memorata inscriptione, A. cIↃIↃLXXVIII, publicandis primis priuilegiis Academiae interfuit Curator; def. XXVII Aug. A. cIↃIↃXCIIII.

ANTONIVS GEVDER *ab Heroldsberg*, Curator, A. cIↃIↃXC; ob. XXX Martii, A. cIↃIↃCIIII.

PAVLVS KOLER, Cur. A. cIↃIↃXCIIII; ob. I Decembr. A. cIↃIↃCV.

MARTINVS HALLER *ab Hallerstein*, Curator, A. cIↃIↃXCV. Ephorus, A. cIↃIↃCXIII. Obiit Praetor imperialis, A. cIↃIↃCXVII, d. XI Ian.

GEORGIVS VOLCAMER, Cur. A. cIↃIↃXCVII; Ephorus, A. cIↃIↃCXIII; Duumuir, A. cIↃIↃCXX; Praetor et arcis imperialis Praefectus, ob. A. cIↃIↃCXXXIII.

IACOBVS POEMER, Cur. A. cIↃIↃCIIII. Ob. A. cIↃIↃCVII, d. XI Decembr.

LEONHARDVS GRVNDHERR, Cur. A. cIↃIↃCIIII; Ephorus, A. cIↃIↃCXX; Duumuir, A. cIↃIↃCXXII. Ob. IX Sept. A. cIↃIↃCXXIIII.

MARTINVS PFINZING, Cur. A. cIↃIↃCVIII. Ob. A. cIↃIↃC XIX, d. IX Decembr.

CHRISTOPHORVS LOEFFELHOLZ, Cur. A. cIↃIↃCXIII. Ob. XXII Febr. A. cIↃIↃCXIX.

VVOLFGANGVS HARSDOERFER, Cur. A. cIↃIↃCXIII. Ob. X Iul. A. cIↃIↃCXXIIII.

CHRISTOPHORVS FVRER *ab Haimendorff*, Cur. A. cIↃIↃCXX; inaugurandae huic studiorum Vniuersitati A. cIↃIↃCXXIII adfuit Ephorus; Duumuir, A. cIↃIↃCXXXIII; Praetor imperialis, ob. A. cIↃIↃCLIII.

GEORGIVS CHRISTOPHORVS VOLCAMER, Cur. A. cIↃIↃCXX. Ob. A. cIↃIↃCXXXII.

VLRICVS GRVNDHERR, Cur. A. cIↃIↃCXXII; Ephorus, A. cIↃIↃCXXXIII; Duumuir, A. cIↃIↃCXLII; Praetor imperialis, obiit A. cIↃIↃCLIIII.

CAROLVS SCHLVSSELFELDER, Cur. A. cIↃIↃCXXII. Ob. VIII Sept. A. cIↃIↃCXXIIII.

IOHANNES FRIDERICVS LOEFFELHOLZ, Cur. A. cIↃIↃC XXIIII. Ob. A. cIↃIↃCXL.

GEORGIVS PAVLVS NVZEL, Cur. A. cIↃIↃCXXXIII. Obiit XIX Febr. A. cIↃIↃCXLIII.

LVCAS FRIDERICVS BEHAIM, Cur. A. cIↄIↄcxxx. Ephorus, A. cIↄIↄcxliii. Ob. xxviii Iun. A. cIↄIↄcxlviii.

GEORGIVS IMHOFF, Cur. A. cIↄIↄcxli; Ephorus, cIↄIↄc xliii; Duumuir, A. cIↄIↄclviii. Ob. A. cIↄIↄclix.

ALBERTVS POEMER, Cur. A. cIↄIↄcxliii. Ob. A. cIↄIↄc liiii.

IODOCVS CHRISTOPHORVS KRESS, Cur. A. cIↄIↄcxliii. Ob. A. cIↄIↄclxiii.

LEONHARDVS GRVNDHERR, Cur. A. cIↄIↄcxlix. Ephorus, A. cIↄIↄclviii. Ob. A. cIↄIↄclxv.

VITVS GEORGIVS HOLZSCHVHER, *in Neuburg*, Curator, A. cIↄIↄcliiii. Rediit ad praefecturam rei militaris, et ob. A. cIↄIↄclxv.

IOHANNES IACOBVS STARCK *a Reckenhoff*, Cur. A. cIↄ Iↄcliiii. Ob. A. cIↄIↄclix.

GEORGIVS SIGISMVNDVS FVRER *ab Haimendorff*, Cur. A. cIↄIↄclviii; Ephorus, A. cIↄIↄclxv. Ob. A. cIↄ Iↄclxxvii.

SEBALDVS VVELSER, Cur. A. cIↄIↄclix. Ob. A. cIↄIↄclx.

GABRIEL NVZEL *a Sunderspiel*, Cur. A. cIↄIↄclxi. Ephorus, A. cIↄIↄclxxvii. Duumuir, A. cIↄIↄclxxxvi. Ob. A. cIↄIↄclxxxvii.

GEORGIVS FRIDERICVS BEHAIM, Curat. Acad. A. cIↄIↄc lxiiii. Obiit A. cIↄIↄclxxxi.

HIERONYMVS VVILHELM. SCHLVSSELFELDER *a Kirchensittenbach*, Curat. A. cIↄIↄclxxvi. Ob. A. cIↄIↄclxxxii.

VVILHELM. IMHOFF, Curat. A. cIↄIↄclxxiii. Ephorus, A. cIↄIↄclxxxvi. Ob. A. cIↄIↄcxc.

IOHANNES PAVLVS PAVMGARTNER, Curat. A. cIↄIↄclxxvii. Ephorus, A. cIↄIↄcxc. Duumuir, A. cIↄIↄcxciiii. Praetor imperialis, obiit A. cIↄIↄccvi.

CAROLVS VVELSER, Curat. A. cIↄIↄclxxxii. Ephorus, A. cIↄIↄcxciiii. Duumuir, A. cIↄIↄcxcvi. Ob. A. cIↄIↄcxcvii.

IOHANNES PAVLVS EBNER, Curat. A. cIↄIↄclxxxvii. Ob. A. cIↄIↄcxci.

IOHANNES CHRISTOPHORVS TVCHER *a Simmelsdorff*, Curat. A. cIↄIↄcxci. Ob. A. cIↄIↄcxciii.

CAROLVS GOTTLIB HARSDOERFFER, Curat. A. cIↄ Iↄcxci. Ephorus, A. cIↄIↄcxcvi. Ob. A. cIↄIↄccviii.

VITVS ENGELHARTVS HOLZSCHVHER *de Neuenburg*, Curat. A. cIↄIↄcxciiii. Ob. A. cIↄIↄcxcvii.

IACOBVS VVILIBALDVS HALLER *ab Hallerstein*, Curat. A. cIↄIↄcxciiii. Ephorus, A. cIↄIↄccviii. Duumuir, A. cIↄIↄccviiii. Ob. A. cIↄIↄccx.

CAROLVS SIGISMVNDVS GRVNDHERR, Curat. A. cIↄ Iↄcxcvii. Ob. A. cIↄIↄccv.

CHRISTOPHORVS FVRER *ab Haymendorf, in VVolckersdorf*, Curator Academiae, A. cIↄIↄcxcvii. Ephorus, A. cIↄIↄccviiii. Duumuir, A. cIↄIↄccxviii. Praeterea S. CAES. MAIEST. Consiliarius *actualis*, item et Eminentissimi PR. ELECTORIS MOGVNTINI, aliorumque Serenissimorum S. R. I. DVCVM Consiliarius intimus.

GVSTAVVS GEORGIVS TETZEL *a Kirchensittenbach, in Vorra et Artelshofen*; Curator Acad. ab A. cIↄIↄccv. Triumuir, et Ephorus, A. cIↄIↄccxviii. Praeterea S. CAES. MAIEST. *Consiliarius actualis.*

CHRISTOPHORVS ANDREAS TVCHER *a Simmelsdorff et VVinterstein*; Curator Acad. A. cIↄIↄccviii. Ob. A. cIↄIↄccviiii.

CAROLVS VVILHELMVS VVELSER *a Neuhoff*, Curator Acad. A. cIↄIↄccviiii. Ob. A. cIↄIↄccxi.

CAROLVS BENEDICTVS GEVDER *ab Heroldsberg et Stein*, Curator Acad. A. cIↄIↄccviiii. Iam ab A. cIↄIↄccxi Praefectus rei militaris.

IOHANNES CHRISTOPHORVS AB IMHOFF, *in Merlach et Stephansmuhlen*, Curator Acad. ab A. cIↄIↄccxi. Praeterea, Eminentissimi PR. ELECTORIS MOGVNTINI et EPISCOPI BAMBERGENSIS, itemque Sereniss. MAGNAE DVCIS HETRVRIAE, Consiliarius intimus.

LEONHARDVS GRVNDHERR *ab Altenthann, in VVeyerhaus*; Curator Acad. ab A. cIↄIↄccxi.

HIERONYMVS VVILHELMVS EBNER *ab Eschenbach, in Guttenburg et Erlenstegen*; Curator Acad. ab A. cIↄ IↄccxvIII.

Ad pag. 52.



P. Decker ad vivum delin. J. W. Windter sculpsit.

ORDO ET SERIES RECTORVM ACADEMIAE.

A. cIↃIↃLXXV, Valentinus Erythraeus.

A. cIↃIↃLXXVI, Iohannes Piccartus.

A. cIↃIↃLXXVII usque ad A. cIↃIↃLXXX, D. Thomas Freigius.

Posthaec ab A. cIↃIↃLXXXI *annuus semper cuiusque esse coepit Consulatus Academicus, qui quotannis postridie Diuorum Petri et Paulli initur.*

A. cIↃIↃLXXXI, D. Edo Hildericus a Varel.

IO. CHRISTOPHORVS A TSCHERNEMBL, *Liber Baro Austriacus*, qui cum fratre suo, GEORGIO ERASMO L. BAR. A TSCHERNEMBL, A. cIↃIↃLXXVIIII huc uenerat: ProRectore D. Io. Busenreuth.

NICOLAVS COMES AB OSTROROG; ProRectore D. Nicolao Taurello.

Iohannes Praetorius.

D. Edo Hildericus.

D. Iohannes Busenreuth.

D. Philippus Scherbius.

Matthias Bergius.

D. Edo Hildericus.

A. cIↃIↃXC. D. Matthias Indenius.

D. Nicolaus Taurellus.

Iohannes Praetorius.

Georgius Sigelius.

D. Petrus VVesenbeck.

D. Philippus Scherbius.

Iohannes Praetorius.

D. Scipio Gentilis.

ABRAHAMVS, *Burggrauius et Lib. Baro* a DHONA, quo sceptra Academica moderante, cum Frater HENRICVS, fratrem iuniorem, ACHATIVM, huc adduceret, ipse HENRICVS Norimbergae immatura morte extinctus, et inde Altorfium delatus, hicque tumulatus est. ProRectore D. Scipione Gentile.

O D.Ni-

D. Nicolaus Taurellus.

A. cIↄIↄc. RADISLAVS LIB. BARO A VVCHYNIZ ET TETAV; qui cum fratre VDALRICO, eodem anno huc ſe contulerat.

ProRectore Georgio Glaciano.

Georgius Glacianus.

D. Conradus Rittershuſius.

D. Nicolaus Taurellus.

Iohannes Praetorius.

D. Matthias Hubnerus.

CHRISTOPHORVS GANS, *L. Baro in Putliz*,

ProRectore D. Conrado Rittershuſio.

D. Erneſtus Sonerus.

Georgius Queccius.

ADAMVS A SIENNE SIENIENSKY, *Palatinides Podoliae*;

ProRectore D. Andrea Dinnero.

A. cIↄIↄcx. GOTTFRIDVS HENRICVS S. R. I. *Mareſchallus* hereditarius, Lib. Baro, et poſtea Comes, de PAPPENHEIM; qui deinceps ſupremus Caſtrorum Caeſareorum Praefectus, et inclytus ſui aeui Heros, in bello tricennali ingentem ſibi famam peperit, ac tandem A. cIↄIↄcxxxII in acerrimo praelio morti fortiter occubuit.

ProRectore D. Scipione Gentile.

D. Caſparus Hofmannus.

Michael Piccartus.

D. Scipio Gentilis.

D. Caſparus Hofmannus.

Georgius Queccius.

D. Iacobus Schopperus; cuius in conſulatu Academico defuncti partes obiit ProRector, Georgius Queccius.

D. Aegidius Agricola.

D. Caſparus Hofmannus.

ACHA-

ACHATIVS Iunior, *Burggrauius et L. Baro* a DHONA. *(aa)*
ProRectore Michaele Virdungo.

A. cIↃIↃcxx. D. Christianus Matthias.
D. Erasmus Vngepauer.
D. Georgius Noesler.
Daniel Schvventer.
Georgius Koenigius.
D. Io. Gerhardus Frauenburger.
D. Caspar Hofmannus.
Iohannes Kobius.
D. Georgius Koenigius.
D. Andreas Dinnerus.

A. cIↃIↃcxxx. D. Georgius Noeslerus.
Georgius Mauricius; quo in consulatu Academico mortuo, Academiae praefuit ProRector, D. Georgius Noeslerus; cui ab hostibus bellicis in captiuitatem abducto successit D. Andreas Dinnerus.
D. Aegidius Agricola.
D. Ludouicus Iungermannus.
Iacobus Bruno.
D. Georgius Koenigius.
D. VVilhelmus Ludvvellus.
D. Georgius Noeslerus.
Iacobus Tydaeus.

A. cIↃIↃcxl. D. Christophorus Althofer.
D. Nicolaus Rittershusius.
D. Ludouicus Iungermannus.
Theodoricus Hackspanius.
D. Georgius Koenigius.
D. Iohannes Kobius.
D. Georgius Noeslerus.
Io. Paulus Felvvinger.

(*aa*) Quae in hoc consulatu Academico publice acta sunt, peculiari libello descripta extant, cui hic titulus factus est: ACHATII IVNIORIS BVRGGRAVII, et LIB. BARONIS A DHONA, *Rectoris Academici, in inclyta et florentissima praepotentis Reipublicae Noricae Academia Altorfina Annuum Curriculum, coeptum Mense Iunio, A.* cIↃIↃcxix; *finitum eodem mense, A.* cIↃIↃcxx.

D. Georgius Koenigius.
D. VVilhelmus Ludvvellus.

A. cIↄIↄcL. D. Ludouicus Iungermannus.
Georgius Matthias Koenigius.
Abdias Treu.
D. Nicolaus Rittershuſius.
D. Mauricius Hofmannus.
Iohannes Conradus Durrius.
D. Iohannes VVeinmannus.
D. Iohannes Kobius.
D. Chriſtophorus Nicolai.
Abdias Treu.

A. cIↄIↄcLX. Iohannes Conradus Durrius.
D. Erneſtus Gregel.
D. Mauricius Hofmannus.
Iohannes Paulus Felvvinger.
D. Iohannes VVeinmannus.
D. Nicolaus Rittershuſius.
D. Iacobus Pancratius Bruno.
Georgius Matthias Koenigius.
Lucas Fridericus Reinhartus.
D. Erneſtus Cregelius.

A. cIↄIↄcLXX. D. Mauricius Hofmannus.
Chriſtophorus Molitor.
Iohannes Conradus Durrius.
D. Georgius Reichardus Hammer.
D. Iacobus Pancratius Bruno.
Iohannes Chriſtophorus Sturmius.
D. Iohannes Saubertus.
D. Henricus Linckius.
D. Mauricius Hofmannus.
Daniel VVilhelmus Moller.

A. cIↄIↄcLXXX. Lucas Fridericus Reinhartus.
D. Io. Antonius Geiger.
D. Iacobus Pancratius Bruno.
Magnus Daniel Omeiſius.
Iohannes Fabricius.
D. Iohannes Chriſtophorus VVagenſeilius.

D. Io-

D. Iohannes Mauricius Hofmannus.
Georgius Paulus Roetenbeccius.
Iohannes Fabricius.
D. Georgius Reichardus Hammer.
A. cIↄ Iↄc xc. D. Mauricius Hofmannus.
Iohannes Chriſtophorus Sturmius.
D. Chriſtophorus Sontagius.
D. Henricus Linckius.
D. Iacobus Pancratius Bruno.
Daniel VVilhelmus Moller.
D. Iohannes Fabricius.
D. Felix Spizius.
D. Io. Mauricius Hofmannus.
Magnus Daniel Omeiſius.
A. cIↄ Iↄcc. D. Chriſtophorus Sontagius.
D. Io. Chriſtophorus VVagenſeilius.
D. Iacobus Pancratius Bruno.
Georgius Paulus Roetenbeccius.
D. Io. Michael Langius.
D. Adamus Balthaſar VVerner.
D. Io. Mauricius Hofmannus.
Iohannes Guilielmus Baierus.
D. Chriſtophorus Sontagius.
D. Henricus Hildebrandus.
A. cIↄ Iↄcc x. D. Io. Iacobus Baierus.
Chriſtianus Gotlibius Schvvarzius.
D. Io. Guilielmus Baierus.
D. Io. Georgius Fichtnerus.
D. Laurentius Heiſter.
Io. Henricus Mullerus.
D. Chriſtophorus Sontagius.
D. Eucharius Gottlib. Rink.
D. Io. Iacobus Iantke.
Iohannes Dauides Koeler.
A. cIↄ Iↄcc xx. D. Io. Guilielmus Baierus.
D. Georgius Henricus Linckius.
D. Iohannes Iacobus Baierus.
Iacobus Guilielmus Feuerlinus.

ORDO ET SERIES PROCANCELLARIORVM ACADEMIAE. (bb)

PHILIPPVS CAMERARIVS, d. IIII Iunii A. cIↃIↃLXXXI, Academiae datus ProCancellarius. Obiit XXIII Iunii, A. cIↃIↃCXXIIII.

GEORGIVS REMVS, ProCancell. d. XXVIII Iunii, A. cIↃIↃC XXIIII. Obiit XV Augusti, A. cIↃIↃC XXV.

IO. CHRISTOPHORVS OELHAFEN *a Schoellenbach*, ProCancell. menſe Octobr. A. cIↃIↃC XXV. Obiit XII Maii, A. cIↃIↃC XXXI.

GEORGIVS RICHTER, ProCancell. menſe Iunio, A. cIↃIↃC XXXI. Obiit IX Decembr. A. cIↃIↃC LI.

TOBIAS OELHAFEN *a Schoellenbach*, ProCancell. A. cIↃ IↃCLII. Obiit XXVII Octobr. A. cIↃIↃCLXVI.

MAGNVS FETZER, ProCancell. menſe Nouembr. A. cIↃ IↃCLXVI. Obiit XV Febr. A. cIↃIↃCXCII.

CHRISTOPHORVS PELLER *a Schoppershoff*, ProCancell. A. cIↃIↃCXCII. Obiit XXV Martii A. cIↃIↃCCXI.

GEORGIVS CAROLVS VVOELCKER, ProCancell. A. cIↃ IↃCCXI.

(bb) Vitas ProCancellariorum Academiae Altorfinae deſcriptas, et A. cIↃIↃCC XXI editas, debemus induſtriae Dn. Sigismundi Iacobi Apini, Profeſſ. Norimb.

ORDO ET SERIES PROFESSORVM PVBLICORVM, qui intra hos centum annos in hac Academia uixerunt.

IN COLLEGIO THEOLOGORVM:

D. Georgius Koenigius, *Amberga-Palatinus*, A. cIↃIↃcxIIII *Theol. Prof. et Antistes uicarius, deinde et ordinarius; obiit* A. cIↃIↃcLIIII.

M. Georgius Ritter, *Eschenauia-Noricus; Prof. Catech. et Diaconus*, A. cIↃIↃcxvII; *euocatus ad sacrum officium Norimbergam*, A. cIↃIↃcxxIII; *obiit* A. cIↃIↃcxxxII.

M. Iohannes Saubertus, *Altorfinus, Professor classicus Theologiae, et Diaconus*, A. cIↃIↃcxvIII; *at* A. cIↃIↃcxxII *Antistitis ad D. Mariae munus Norimbergae suscepit;* A. cIↃIↃcxxIII *in promulgatis huius Academiae priuilegiis concionem auspicalem habuit; uita defunctus* A. cIↃIↃcxLvI.

M. Cornelius Marci, *Norimbergensis, Prof. Theol. et Diaconus*, A. cIↃIↃcxxII. *Norimbergam abiit Antistes ad D. Mariae*, A. cIↃIↃcxxvIII; *obiit* A. cIↃIↃcxLvI.

M. Iohannes Vngertus, *Smalcaldiensis, Prof. Catech. et Diaconus*, A. cIↃIↃcxxIIII. *Norimbergae Diaconus ad D. Aegidii*, A. cIↃIↃcxxv. *Deinde Antistes ad D. Iacobi, obiit* A. cIↃIↃcxxxII.

M. Christophorus Crinesius, *Schlackovvaldo-Bohemus, Prof. Catech. et Diac.* cIↃIↃcxxv. *Ob.* A. cIↃIↃcxxIx.

D. Iohannes VVeinmannus, *Sueofurtensis, Professor Theol.* A. cIↃIↃcxxvIII; *Diaconus, et* A. cIↃIↃcLIIII *Antistes. Ob.* A. cIↃIↃcLxxII.

D. Christophorus Althofer, *Heresbrucco-Noricus, Theol. Prof. et Eccles. Minister*, A. cIↃIↃcxxIx. *Postea Antistes Culmbacensis*, A. cIↃIↃcxLIIII. *Ob.* A. cIↃIↃcLx.

M. Iohannes Fabricius, *Norimbergensis, Diac. et* A. cIↃIↃcxLIIII *Theol. Prof. at* A. cIↃIↃcxLIx *Antistes Norimbergensis, obiit* A. cIↃIↃcLxxvI.

Theodoricus Hackspan, *Vinariensis, primum Prof. SS. Linguae; deinde* A. cIↃIↃcLIIII *Prof. Theol. Ob.* A. cIↃIↃcLIx.

M. Lucas Fridericus Reinhart, *Norimbergensis, Prof. Th. et Diac.* A. cIↃIↃcxLIx. *Ob.* A. cIↃIↃcLxxxvIII.

M. Iohannes Conradus Hedenus, *Sondershusio-Thuringus, Theol. et Orat. Prof.* A. cIↃ IↃC LIIII. *Pastor Ecclesiae Lauffensis*, A. cIↃ IↃC LVII. *Ob.* A. cIↃ IↃC LXV.

M. Iohannes Conradus Durrius, *Norimbergensis, primum Moral. et Poes. deinde* A. cIↃ IↃC LVII *Theol. Prof. Ob.* cIↃ IↃC LXXVII.

M. Iohannes Leonhardus Schvvaeger, *Heresbrucco-Noricus; primum Orator. et Poes. deinde* A. cIↃ IↃC LXVI *Theol. Prof. et Diac. Ob.* cIↃ IↃCC VIII.

D. Iohannes Saubertus, *Norimbergensis, Prof. Theol. primarius et Antistes Helmstadio huc uocatus* A. cIↃ IↃC LXXIII. *Obiit* A. cIↃ IↃC LXXXVIII.

D. Iohannes Fabricius, *Altorfinus, Theol. Prof.* A. cIↃ IↃC LXXVIII. *Helmstadium euocatus* A. cIↃ IↃC XCVII; *ubi adhuc Abbas Regiae Luterae, et Consiliarius Eccles. Brunsu. Luneb. annis meritisque uenerabilis uiget.*

D. Christophorus VVegleiter, *Norimbergensis, Prof. Theol. et Diac.* A. cIↃ IↃC LXXXVIII. *Ob.* A. cIↃ IↃCC VI.

D. Christophorus Sontagius, *VVeida-Variscus, Theol. Prof. primar. et Antistes*, A. cIↃ IↃC XC. *Ob.* A. cIↃ IↃCC XVII.

D. Iohannes Michael Langius, *Ezelvvanga-Solisbacensis, Prof. Theol.* A. cIↃ IↃC XCVII. *Diac.* A. cIↃ IↃC XCIX. *Inspector et Pastor Primislauiensis*, A. cIↃ IↃCC IX.

D. Gustauus Georgius Zeltner, *Hilpoltsteina-Noricus, Theol. et Orient. Linguar. Prof. et Eccles. Minister*, A. cIↃ IↃCC VI. *Theol. Prof. primar. et Antistes Eccles. Altorf.* A. cIↃ IↃCC XVII.

D. Iohannes Guilielmus Baier, *Iena-Thuringus, primum Physices et Mathes. deinde* A. cIↃ IↃCC IX *Theologiae Prof. et Minister Eccl. ab* A. cIↃ IↃCC XVII *simul Graecae Lingu. Prof.*

D. Iohannes Iacobus Pfizerus, *Norimbergensis, Theol. Prof. et Minister Eccles.* A. cIↃ IↃCC XVII.

IN COLLEGIO IVRISCONSVLTORVM:

D. Andreas Dinnerus, *VVurzburgensis, Prof. Iur.* A. cIↃ IↃC VI. *Ob.* A. cIↃ IↃC XXXIII.

D. Aegidius Agricola, *Neukircha-Palatinus, accessit* A. cIↃ IↃC XIII. *Ob.* A. cIↃ IↃC XLVIII.

D. Era-

D. Erasmus Vngepauer, *Numburgo-Misnicus*, A. cIↃIↃcxiiii *Prof. Iur. extraord.* A. cIↃIↃcxvi, *ordinarius*; A. cIↃIↃc xxxv *contulit se Ienam, ubi et obiit* A. cIↃIↃclix.

D. Iohannes Gerhardus Frauenburger, *Norimbergensis*, *acc.* A. cIↃIↃcxviii, *Prof. Iur. extraord. ab* A. cIↃIↃc xxi *ordinar. Ob.* A. cIↃIↃcxxx.

D. VVilhelmus Ludvvell, *Elbinga-Borussus*, *Prof. Iur. extraord.* A. cIↃIↃcxxxi, *et altero post anno ordinarius. Obiit* A. cIↃIↃclxiii.

D. Nicolaus Rittershusius, *Conradi Fil. Altorfinus*, *acc.* A. cIↃIↃcxxxiv. *Ob.* A. cIↃIↃclxx.

D. Iohannes Kobius, *Hilpershusanus*, *primum Philos. deinde* A. cIↃIↃcxlv *Iuris Prof. Ob.* A. cIↃIↃclxi.

D. Ernestus Cregel, *Vlza-Lunaeburgicus*, *Prof. Iuris extraord. acc.* A. cIↃIↃcliiii, *ordinar. ab* A. cIↃIↃclvii. *Ob.* A. cIↃIↃclxxiiii.

D. Georgius Christophorus Schefer, *Rotenburgo-Tuberanus*, *Prof. Iur. extraord. acc.* A. cIↃIↃclxv. *Obiit anno sequenti.*

D. Iohannes VVolfgang. Textor, *Neuensteina-Hohenloicus*, *acc.* A. cIↃIↃclxvi; *uocatus Heidelbergam Iur. Prof. et Vice-Praeses tribunalis aulici Pal.* A. cIↃIↃclxxiii; *denique Francof. ad Moenum Proto-Syndicus et Consiliarius. Obiit* A. cIↃIↃcci.

D. Iohannes Christophorus VVagenseil, *Norimbergensis*, *Iur. publ. et Histor. deinde et Iuris Can. et Linguar. Orient. Prof. acc.* A. cIↃIↃclxvii. *Ob.* A. cIↃIↃccv.

D. Georgius Reichardus Hammer, *Mariaeberga-Misnicus*, *acc.* A. cIↃIↃclxx. *Ob.* A. cIↃIↃcxcvii.

D. Henricus Linck, *Sorbiga-Misnicus*, *acc.* A. cIↃIↃclxxiiii. *Ob.* A. cIↃIↃcxcvi.

D. Iohannes Antonius Geiger, *Lauffa-Noricus*, *acc.* A. cIↃIↃc lxxiiii. *Ob.* A. cIↃIↃclxxxv.

D. Felix Spiz, *Ronneburgo-Misnicus*, *acc.* A. cIↃIↃclxxxv. *Ob.* A. cIↃIↃccxvii.

D. Adamus Balthasar VVerner, *Vratislauiensis*, *acc.* A. cIↃIↃc xcvii. *Contulit se Oelsnam in Silesia*, A. cIↃIↃccviii, *et nunc floret Consiliarius aulicus Hannoueranus.*

D. Henricus Hildebrandus, *Sorbiga-Misnicus*; *acc.* A. cIↄIↄc xcvii; *hodie Professor Iuris primarius*, *et totius Vniuersit. Altorf. Senior.*

D. Iohannes Georgius Fichtner, *Altorfinus*, *Prof. Iur. extraord. ab* A. cIↄIↄccvi; *ab anno sequenti Prof. ordinarius.*

D. Eucharius Gottlib. Rink, *Lipsiensis*, *Iuris publ. et Can. Prof. ab* A. cIↄIↄccvii.

D. Ephraim Gerhard, *Girsdorfio-Silesius*, *Instit. Imp. Prof. acc.* A. cIↄIↄccxvii; *sed altero post anno uita defunctus est.*

D. Georgius Henricus Linck, *Henrici Fil. Altorfinus*, A. cIↄIↄccxviii *extraordinarius*, *et ab anno subsequenti ordinarius Institut. Imperial. Prof.*

D. Iohannes Iodocus Beck, *Norimbergensis*, *ab* A. cIↄIↄccxx *Professor Iuris extraordinarius.*

IN COLLEGIO MEDICORVM:

D. Caspar Hoffmann, *Gotha-Thuringus*, *acc.* A. cIↄIↄcvii. *Ob.* A. cIↄIↄcxlviii.

D. Georgius Noeslerus, *Berolinensis*, *acc.* A. cIↄIↄcxviii. *Ob.* A. cIↄIↄcl.

D. Ludouicus Iungermann, *Lipsiensis*, *acc.* A. cIↄIↄcxxv. *Ob.* A. cIↄIↄcliii.

D. Mauricius Hoffmann, *Furstenvvalda-Marchicus*, *extraordinar. Anat. et Chirurg. Prof.* A. cIↄIↄcxlviii; *paullo post Caspari Hoffmanno successit.* *Ob.* A. cIↄIↄcxcviii.

D. Christophorus Nicolai, *Norimbergensis*, *acc.* A. cIↄIↄcliiii. *Ob.* A. cIↄIↄclxii.

D. Iacobus Pancratius Bruno, *Iacobi Fil. Altorfinus*, *acc.* A. cIↄIↄclxii. *Ob.* A. cIↄIↄccix.

D. Iohannes Mauricius Hoffmann, *Mauricii Fil. Altorfinus*, *primum* A. cIↄIↄclxxvii *extraordinarius Anat. et Chem. deinde* A. cIↄIↄclxxxi *ordinarius Medicinae Prof. constitutus*; *Anno autem* cIↄIↄccxiiii *Onoldinum euocatus est Serenissimi* MARCHIONIS ONOLDINO-BRANDENBVRGICI *Archiater primarius et Consiliarius aulicus.*

D. Iohannes Ludouicus Apinus, *Oeringa-Francus*, *acc.* A. cIↄIↄccii. *Ob.* A. cIↄIↄcciii.

D. Io-

D. Iohannes Iacobus Baierus, *Ienensis*, *acc.* A. cIↃIↃCCIII; *hodie Medicinae Professor primar.*

D. Laurentius Heister, *Moeno-Francofurtensis*, *acc.* A. cIↃIↃCCX. *In Academiam Iuliam abiit* A. cIↃIↃCCXX.

D. Iohannes Iacobus Iantke, *Briga-Silesius*, *acc.* A. cIↃIↃCCXIIII.

D. Iohannes Henricus Schulze, *Colbicensis Magdeburgicus*, *acc.* A. cIↃIↃCCXX.

IN COLLEGIO PHILOSOPHORVM:

M. Georgius Queccius, *Norimbergensis*, *primum ab* A. cIↃIↃLXXXVII *Prof. Class. deinde ab* A. cIↃIↃXCVI *Moral. et Graec. Lingu. Prof. Ob.* A. cIↃIↃCXXVIII.

M. Georgius Mauritius, *VVittembergensis*, *ab* A. cIↃIↃXCVI *Praeceptor, uel Professor classicus*, *ab* A. cIↃIↃCXXIII *Poet. Prof. Publ. Ob.* A. cIↃIↃCXXXI.

M. Michael Virdungus, *Kizinga-Francus*, *Histor. et Orator. Prof. Acc.* A. cIↃIↃCV. *Ob.* A. cIↃIↃCXXXIII.

M. Daniel Schvventer, *Norimbergensis*, *Lingu. S. et Mathem. Prof. Acc.* A. cIↃIↃCVIII. *Ob.* A. cIↃIↃCXXXVI.

M. Iohannes Caspar Odontius, *Norimbergensis*, *primum Prof. Class. deinde ab* A. cIↃIↃCXXIIII *Mathem. inferiorum Prof. Ob.* A. cIↃIↃCXXVI.

Petrus Saxonius, *Huso-Holsatus*, *Mathem. superior. Prof. Acc.* A. cIↃIↃCXVII. *Ob.* A. cIↃIↃCXXV.

M. Iohannes Kobius, *Hilpershusanus*, *Logic. et Metaphys. Prof. ab* A. cIↃIↃCXX; *deinde* A. cIↃIↃCXLV *ad Iurisconsultos transiit. Ob.* A. cIↃIↃCLXI.

Philippus Carolus, *Neoburgico-Palatinus*, *ab* A. cIↃIↃCXXIIII *Praec. Class. et ab* A. cIↃIↃCXXVI *in Acad. extraord. Histor. et Philol. Prof.* A. cIↃIↃCXXIX *hinc se subduxit.*

M. Iacobus Bruno, *Megapolitanus*, *ab* A. cIↃIↃCXXIIII *Prof. Class. at quarto post anno Graecae Lingu. et Moral. Prof. Ob.* A. cIↃIↃCLIIII.

M. Iacobus Tydaeus, *Pirizio-Pomeranus*, *ab* A. cIↃIↃCXXV *Prof. Class. et ab* A. cIↃIↃCXXXIII *Orator. et Poet. Prof. Ob.* A. cIↃIↃCLV.

M. Abdias Trevv, *Onoldinus*, *Mathem. et Phys. Prof. Accessit* A. cIↃIↃCXXXVI. *Ob.* A. cIↃIↃCLXIX.

Theodoricus Hackſpan, *Vinarienſis-Saxo*, *Linguar. Orient.* *ab* A. cIↃIↃCXXXVI, *et deinde ab* A. cIↃIↃCLIIII *Theolog. Prof.* *Ob.* A. cIↃIↃCLVIIII.

Chriſtophorus Adamus Rupertus, *Altorfinus*, *Hiſtoriarum Prof.* *Acceſſ.* A. cIↃIↃCXXXVIII. *Ob.* A. cIↃIↃCXLVII.

M. Io. Paulus Felvvinger, *Norimbergenſis*, *Metaphyſ. Logic. et Polit. Prof. acc.* A. cIↃIↃCXXXVIII. *Ob.* A. cIↃIↃCLXXXI.

Georgius Matthias Koenig, *Georgii Fil. Altorfinus*, *primum Hiſtor. deinde Graecae Linguae ac Poeſeos Prof.* *Acceſſ.* A. cIↃIↃCXLVII. *Ob.* A. cIↃIↃCXCVIIII.

M. Io. Conradus Durr, *Norimbergenſis*, *Moral. et Poet. ab* A. cIↃIↃCLIIII, *deinde* A. cIↃIↃCLVII *Theol. Prof.* *Ob.* A. cIↃIↃCLXXVII.

M. Io. Leonhardus Schvvaeger, *Heresbrucco-Noricus*, *ab* A. cIↃIↃCLVII *Orat. et Poeſ. et* A. cIↃIↃCLXVI *Theol. Prof.* *Ob.* cIↃIↃCCVIII.

M. Chriſtophorus Molitor, *Norimbergenſis*, *Linguar. Orient. et Orat. Prof. ab* A. cIↃIↃCLX. *Ob.* A. cIↃIↃCLXXIIII.

M. Io. Elias Revv, *Norimbergenſis*, *deſignatus Oratoriae Prof.* A. cIↃIↃCLXVII *fataliter obiit.*

M. Iohannes Chriſtophorus Sturmius, *Hilpoltſteina-Palatinus*, *Phyſ. et Matheſ. Prof.* *Acc.* A. cIↃIↃCLXIX. *Ob.* A. cIↃIↃCCIIII.

Iohannes Iodocus Felvvinger, *Io. Pauli Fil. Altorfinus*, *Iur. Licent. Polit. Prof. ab* A. cIↃIↃCLXXI. *Ob.* A. cIↃIↃCLXXII.

M. Daniel VVilhelm. Moller, *Poſonienſis Hungarus*, *Hiſtor. et Metaphyſ. Prof. ab* A. cIↃIↃCLXXIIII. *Ob.* A. cIↃIↃCCXII.

M. Magnus Daniel Omeis, *Norimbergenſis*, *Moral. Orat. et Poet. Prof. acceſſ.* A. cIↃIↃCLXXIIII. *Ob.* A. cIↃIↃCCVIII.

M. Georgius Paulus Roetenbeck, *Norimbergenſis*, *Log. et Polit. Prof. acceſſ.* A. cIↃIↃCLXXXI. *Ob.* A. cIↃIↃCCX.

M. Iohannes Guilielmus Baier, *Ienenſis*, *Phyſ. et Mathem. ab* A. cIↃIↃCCIV. *deinde ab* A. cIↃIↃCCIX *Theol. Prof.*

M. Chriſtianus Gotlib. Schvvarzius, *Leiſniga-Miſnicus*, *Moral. Orator. et Poet. Prof. ab* A. cIↃIↃCCIX.

M. Iohannes Henricus Muller, *VVehrda-Noricus*, *Phyſ. et Mathem. Prof. ab* A. cIↃIↃCCX.

M. Iohannes Dauid. Koeler, *Coldizio-Miſnicus*, *Hiſtor. et Politic. Prof. ab* A. cIↃIↃCCXI.

M. Iacobus Guilielmus Feuerlinus, *Norimbergenſis*, *ab* A. cIↃIↃCCXV *Logices, et ab anno ſubſequenti Metaphyſ. Prof.*

* * *

COMME-

COMMEMORATIO

SOLENNIVM SACRI SAECVLARIS ACADEMIAE ALTORFINAE

III CAL. IVL. A. S. R. cIↃIↃCCXXIII

FELICITER CELEBRATI.



SECTIO I.

Vix exoptatis inierat auſpiciis annus a CHRISTO nato ſupra milleſimum et ſeptingenteſimum uiceſimus tertius, cum nobis non poterat non ad mentem reuocari, quantam DEVS propitius felicitatem huic Academiae, ſicut inde usque a primo ipſius ortu, ita cumprimis intra decurſam proximi ſaeculi aetatem, indulſerit; et quantis curis, quantisque impenſis PERILLVSTRIS SENATVS NORIMBERGENSIS, munificentiſſimi Nutritores noſtri, illam ipſam non condiderint modo, ſed, inter tot etiam rerum temporumque uiciſſitudines, ſeruarint liberaliſſime, et in dies magis magisque ornarint. Nulla fere gens tam illiberalis, aut barbara extitit, quin identidem rerum illuſtrium natales, et inprimis templorum, urbium, coloniarum, aliorumque coetuum maiorum, origines religioſe dedicarit, certisque interdum anniuerſariis ſacris decreuerit recolendas. Quem morem tanto aequius, tantoque ſanctioribus caerimoniarum legibus tenent ciuitates eruditae; quanto his dignius eſt, luculenta pietatis gratique animi dare exempla, acceptorumque memoriam beneficiorum aeternis conſecrare monimentis, atque ea maxime ab obliuione uindicare, quae a maioribus pie ac ſapienter benigneque acta ſunt atque conſtituta. Vt igitur ſuperiora nunc praetereamus tempora, uidit haec ipſa aetas noſtra, intra initia quidem ſaeculi currentis, quod decimum octauum a recuperata generis humani ſalute numerat orbis chriſtianus, iam quinque illuſtres Germaniae Academias, LIPSIENSEM nempe, FRANCOFVRTANAM ad Viadrum, VITEMBERGENSEM, GISSENSEM, atque RINTELENSEM, pulchra quadam aemulatione, et pio ſolennique ritu, ſacra ſua ſaecularia celebrare. Qua in parte ut et hic coetus ex dignitate ordinis ſeruaret decus literarum; communibus conſiliis ſuffragiisque mature rationes fuerunt initae.

Ad illuſtres igitur generoſiſſimosque CVRATORES iam pridie Nonas Ianuarias eius anni, qui ſaecularis huic ſocietati illuxerat, ea, qua par erat, pietatis et obſeruantiae ſignificatione, publicas dabant literas

Rector Senatusque Academiae: quibus primum inclyto CVRATORVM Collegio de tam prospero et memorabili curae Academicae successu gratulabantur; cum DEI benignitate euenerit, ut Academia salua adhuc et incolumis, sub ipsorum potissimum regimine, post maiorem illam inaugurationem, iam centesimum aetatis suae annum ageret. Deinde eosdem rogabant, ut suis consiliis, suoque suasu, permouerent SENATVM PERILLVSTREM, ut hic, gloriosa beatissimorum Maiorum exempla imitatus, perbenigne faueret Academiae sacra saecularia celebraturae, et sumptibus solennium caussa suggerendis pristinae munificentiae fontes aperire ne grauaretur. Quibus optatis felix postea euentus respondit. Re enim aliquandiu deliberata, iisque, quae maxime requirerentur ad huiuscemodi Academicam celebritatem, hinc inde exploratis, tandem factum est Senatus consultum de celebranda saeculari festiuitate; quod quam honorificum fuit Academiae, tam graue et omni aeuo commemorabile erit documentum, optimarum artium studia hic etiam benigne indulgenterque haberi.

Verbis autem satis exprimi non potest, quanto studio, quantaque cura atque contentione, id sigillatim egerint, quos nunc diuino munere felicique fato nobis datos ueneramur, ILLVSTRES rei sacrae ac literariae CVRATORES, ut in hac quoque caussa consulerent honori Academiae, et ut omnia, quae ad saecularem solennitatem pertinerent, condigne ac decenter instrui pararique curarent. Qui, ubi pridie Nonas Apriles ad Rectorem Professoresque Academiae rescripsere SENATVS CONSVLTVM; mirifica suae erga nos propensionis humanitatisque testificatione id inprimis simul monuerunt, ut, ad maiorem rerum nostrarum commendationem, in apparando sacro saeculari, non tam splendoris cuiusdam, quam pietatis et industriae publice testandae, rationem haberemus.

Vidisses tunc Patres iuxta, atque Ciues Academiae, in spem eximiae felicitatis erigi, et quasi palam exultare laetitia; cum intelligerent, perpenderentque, DEVM immortalem tam auspicato fauere saluti ordinis literati, et NVTRITORES benignissimos ad ornandas res Academiae suae nihil non conferre. Rector magnificus, qui tunc fasces Academiae moderabatur, quemadmodum ipse nulli pepercit curae, ut omnia recte et ex ordine fierent, atque ad decus Academiae referrentur: ita, Senatu Academico identidem conuocato, de his ipsis rebus publice consultauit; neque minus ex Collegarum ordine quosdam adsciuit, qui aliquando in partes huiusmodi curae uenirent.

Impetrato Senatusconsulto illustri, ante omnia publico nomine tabulae sunt exaratae, quibus inita saecularium sacrorum apud nos celebrandorum ratio indigenis pariter atque exteris significaretur. Atque adeo non solum digni honorum Academicorum Candidati, cuiuscunque literati ordinis, prouocabantur ad praemia industriae suae solenniter capessenda; cum inprimis immunitatem sumptuum alias in conuiuium Academicum impendendorum praestatura esset INCLVTI SENATVS NORIMBERGENSIS benignitas; sed alii etiam quicunque, qui bene cuperent eruditae huic societati, ad consortionem laetitiae uotorumque piorum, aut etiam, si quorum commodo fieri posset, ad tam honesta doctrinae uirtutisque spectacula coram condecoranda, quam huma-

humanissime inuitabantur. Quae ipsa promulgationis formula, cum ILLVSTRIVM CVRATORVM auctoritate comprobata, typisque exscripta esset; XIIII Calendas Maias, hoc est, bono omine, ipsa die DOMINICA, quae in fastis Christianorum insignitur IVBILATE, in publicis consuetisque templi et Academiae locis primum fuit proposita.

Aequissimum autem erat, ut, cum antehac inclytae quaedam Academiae, hanc nostram, ad auspicalia, aut saecularia sua sacra, concelebranda, beneuole inuitassent, aliasque fauoris erga nos sui dedissent significationes, his nunc eaedem officii humanitatisque rationes a nobis persolverentur. Quo cumprimis nomine hae celeberrimae Academiae, HEIDELBERGENSIS uidelicet, LIPSIENSIS, FRANCOFVRTENSIS, IENENSIS, HELMSTADIENSIS, atque HALENSIS, publicis literis perofficiose ac peramanter a nobis sunt compellatae, ut mittere ex suo ordine quosdam uellent DELEGATOS, qui panegyrin nostram sua cohonestarent praesentia. Visum fuit praeterea eundem perhibere honorem celeberrimis Academiis, INGOLSTADIENSI ac VVVRZBVRGENSI; quae prae ceteris proximae nobis sunt finitimaeque.

Quo magis autem ad pietatem decusque coetus nostri pertinere existimabatur, ut felicitas diuinitus nobis indulta longe lateque celebraretur; eo minus dubitauimus instituti nostri rationes etiam aliis societatibus eruditis, quamuis a nobis remotioribus, literis perscriptis modeste exponere, ut, cum ab iis, propter locorum interualla, legationis honorem neque expetere, neque facile expectare, conaremur; piis interim uotis ominibusque solennia nostra prosequerentur. Dimissae ergo sunt eius argumenti literae ad has XII inclytas Germaniae Academias, ERFORDIENSEM nempe, ROSTOCHIENSEM, GRYPHISVVALDENSEM, TVBINGENSEM, VVITTEMBERGENSEM, REGIOMONTANAM, MARPVRGENSEM, GISSENSEM, RINTELENSEM, ARGENTORATENSEM, TEVTOBVRGENSEM, et KILONIENSEM.

Imo, quamuis longissime a nobis distent, eundem tamen honorem simili ratione testati sumus perantiquis et illustribus Septentrionis Academiis, VPSALIENSI et HAFNIENSI, Suecorum alteri, alteri Danorum: propterea, quod non ingrati meminimus, ex utraque ista natione, tam belli, quam pacis, artium gloria florentissima, identidem quosdam huc uenisse, qui nostrarum hospitio Musarum sint usi.

Adhaec testimonium cultus nostri atque obseruantiae hac occasione datum est illustrissimis S. R. I. COMITIBVS, de VVOLFSTEIN, et de PAPPENHEIM, Socero, et Genero; quorum utriusque singularem beneuolentiam atque fauorem multis luculentisque documentis sumus experti.

INCLVTO autem SENATVI, eiusque praecipuis Collegiis, item et aliis Vrbis Norimbergensis honoratioribus ordinibus, ipsi Academiae CVRATORES officium honoremque inuitationis suo nomine praestari uoluerunt.

His ita constitutis, sensim cetera etiam, quae ad apparanda saecularis Academici solennia attinere uisa sunt, curari coeperunt. Quo non immerito referendas putamus crebriores illas exercitationes Academicas, quae et eo tempore fuerunt institutae. Quemadmodum

enim haec Academia iam dudum istam laudem sibi quasi reddidit propriam, ut uix alibi frequentior faciliorque detur occasio iuuentuti studiosae, ubi uel prorsus gratis, uel minore certe sumptu, speciminibus publice priuatimque datis, ingenii sui periclitetur uires; ita neque tunc talis ei defuit opportunitas. Cuius industriae ne nullum hoc loco prodamus exemplum, haud pigramur earum saltem disputationum exercitationumque titulos nunc recensere, quas intra sex priores anni cIↃ IↃCCXXIII menses non tantum Candidati honorum Academicorum, inaugurandi caussa; sed et, moderantibus institutum Professoribus, alii Ciues Academici, habuere.

VI *Febr. A.* cIↃIↃCCXXIII, Exercitatio Academica, de *ratione computandi Paschatos, exemplo A.* cIↃIↃCCXXIIII *illustrata*, Praeside IOH. HENRICO MVLLERO, P. P. et Respondente *Ioh. Christophoro Poeschelio*, Heilsbronna-Franco.

VIII *Febr.* Oratio moralis de *multitudine mundorum*, habita a *Leonhardo Bohnero*, Norimbergensi; moderante CHRISTIANO GOTL. SCHWARZIO, P. P. qui inuitandi caussa praemiserat Programma de *Norimbergensibus quibusdam*, qui olim in inclyta Academia Ingolstadiensi inclaruerunt.

XV *Febr. Historiae Anatomicae* Specimen II, Praeside IO. HENRICO SCHVLZIO, M. D. et P. P. et Resp. *Georgio Nicolao Stockio*, Norimbergensi.

IIII *Martii*, Dissertatio Theologica, de *Aurora fidei*, *inter rationis tenebras emergente, ad Esaiae Cap. VIII, u.* 19 *et* 20, Praeside D. GVSTAVO GEORGIO ZELTNERO, Resp. auctore *VVolfgango Daniele Sonnemayero*, Pappenheimensi.

XVII *Martii*, Dissertatio publica de *Resignatione homagii et iurisdictionis imperata*, Praes. D. HENRICO HILDEBRANDO, ICTO, et Resp. auct. *Io. Iacobo Buchelein*, VVehrda-Norico.

XVIIII *Martii*, Dissertatio inauguralis iuridica de *Transactione super re iudicata*, habita a *Carolo Friderico Khol*, Norimbergensi.

VIIII *April.* Specimen inaugurale Iuris Germanici, *de his, qui notantur infamia*, propositum a PHILIPPO LVDOVICO HVTH, Norimbergensi.

XVI *April.* Dissertatio inauguralis Medica, sistens *Virum apoplexia extinctum ab haemorrhoidum inconsulta suppressione*, proposita a *Georgio Ephraim Schmid*, Herrenstadio-Silesio.

XII *Maii*, Exercitium Academicum de *Iure Seculi*, Praes. D. HENRICO HILDEBRANDO, Resp. *Michaele Friderico Lochnero*, Furtho-Norico.

XXVI *Maii*, Dissertatio theologica, qua *illegitimae uocationis Ministrorum Ecclesiae genera et repagula*, *legitimaeque munimenta*, proposita sunt, Praes. D. GVSTAVO GEORGIO ZELTNERO, et A. atque R. *Leonhardo Bohnero*, Norimbergensi.

XXVI *Maii*, Dissertatio iuridica de *Iure commentitio*, Praes. D. IOH. GEORGIO FICHTNERO, ICTO, et A. R. *Gottlib. Friderico Thomas*, Barutho-Franco.

XXVIII *Maii*, Dissertatio inauguralis Medica *de Zingibere*, proposita a *Iohanne Alberto Gesnero*, Auhusa-Onoldino.

III *Iunii*, Dissertatio theologica de *Beneficiis typicis*, Praes. D. IO. IACOBO PFIZERO, et Resp. *Io. Friderico Stoy*, Vorra-Norimbergensi.

V *Iunii*, Pars prior *Obseruationum Astronomico-Physicarum selectarum, in Specula Altorfina ab anno nouae eius instaurationis* CIↃ IↃ CCXI *usque ad praesentem annum Academiae saecularem habitarum*, et propositarum Praes. IO. HENRICO MVLLERO, P. P. et Resp. *Iohanne Ignatio Michaelles*, Norimbergensi.

XII *Iunii*, Pars posterior *earundem Obseruationum*, propos. Praes. IO. HENRICO MVLLERO, P. P. et Resp. *Iohanne Alberto Spies*, Norimbergensi.

XV *Iunii*, Dissertatio inauguralis iuridica, *de Excubiis*, proposita a *Petro Antonio Bechmanno*, Norimbergensi.

XVI *Iunii*, Disputatio publica de *Sodalitate B. Mariae Virginis in Monte ad uetus Brandenburgum*, Praes. IO. DAVID. KOELERO, P. P. et Resp. *Georgio Ernesto Fincklero*, Norimbergensi.

XVII *Iunii*, Dissertatio inauguralis philosophica de *irritis conatibus Cartesii aliorumque conciliandi cum philosophia Transsubstantiationem*, Praes. IACOBO VVILHELMO FEVERLINO, P. P. et Resp. *Gottfrido Lomero*, Augustano.

XVIII *Iunii*, Ἱστορήμενα *de actis et fatis* GEBHARDI TRVCHSESSII, *Archi-Episcopi et Electoris Coloniensis, infausti mariti*, inaugurali disputatione philosophica proposita, Praes. IO. DAV. KOELERO, P. P. et Resp. *Elia Gottlieb Dieterico*, Vlmensi.

XVIIII *Iunii*, Dissertatio Medica *de Iatroaliptice ueterum*, propos. Praes. D. IO. IACOBO BAIERO, t. t. Rectore Academiae, et Resp. *Io. Christiano Selig*, Eibenstochio-Misnico.

XXI *Iunii*, Dissertatio inauguralis Medica de *Pimpinella alba*, proposita ab *Ernesto Friderico Iustino Heimreich*, Isenacensi.

XXI *Iunii*, Dissertatio inauguralis Philosophica de *Hydrometro*, Praes. IO. HENRICO MVLLERO, P. P. et Resp. *Io. Friderico Stoy*, Vorra-Norimbergensi.

XXII *Iunii*, Exercitatio inauguralis philosophica de *tempore ludorum saecularium sub Philippis Augustis celebratorum*, Praes. CHRISTIANO GOTLIB. SCHVVARZIO, P. P. et Resp. *Io. Dauide Ellrodio*, VVeidenberga-Bayruthino.

XXIII *Iunii*, Disputatio iuridica de *Iure aedificandi in suo*, Praes. D. GEORGIO HENRICO LINCKIO, et Resp. *Gottlob. Ferdinando Teubnero*, Vratislauiensi.

XXIII *Iunii*, Dissertatio inauguralis philosophica *de prudentia errantes conuincendi ex historia Socratis*, Praes. IACOBO GVILIELMO FEVERLINO, P. P. et Resp. *Leonhardo Bohner*, Norimbergensi.

XXV *Iunii*, Disputatio Academica de *Imperatoribus, primis, perpetuis ac solis Academiarum in Germania auctoribus*, Praes. D. EVCHARIO GOTTLIB RINK, et Resp. *Io. Hieronymo Braun*, Norimbergensi.

XXV *Iunii*, Dissertatio Historico-medica de *Aloe*, Praes. D. IO. HENRICO SCHVLZE, et Resp. *Christiano Iacobi*, Falcoburgo-Neo-Marchico.

XXV *Iunii*, Disquisitio historica inauguralis de *Pribezlao*, siue *Henrico*, *Rege Brandenburgico*, Praes. IO. DAV. KOELERO, P. P. et Resp. *Georgio Ludouico Frobenio*, Onoldino.

XXVI *Iunii*, Dissertatio theologica inauguralis, *de eo, quod stilo scripturae dicendum est de internis bonis motibus a Spiritu S. excitatis, speciatim iis, qui praecedunt fidem*, propos. a MARTINO FRISE, Theol. in Academ. Kiloniensi Profess. Publ.

XXVI *Iunii*, Dissertatio iuridica de *Iuribus Feminarum Norimbergensium singularibus*, Praes. D. IO. IODOCO BECKIO, et Resp. *Martino Furvvergero*, Norimbergensi.

XXVI *Iunii*, Dissertatio Physiologico-medica *de Sanguificatione*, Praes. D. IO. IACOBO IANTKIO, et Resp. *Io. Christiano Selig*, Eibenstochio-Misnico.

XXVIII *Iunii*, Dissertatio medica inauguralis de *mascula sobole procreanda*, propos. a *Sigismundo Mayor*, Cassouia-Hungaro.

Praeterimus nunc alias duas orationes intra idem tempus habitas, quarum infra fiet mentio.

Interea, dum haec fierent, alia atque alia sacro saeculari fuere praeparata. Sigillatim uero, iussu CVRATORVM Academiae, opera data est, ut non solum auditoria congressibus Doctorum, et praesertim exercitationibus eruditis, destinata; sed et alia Collegii Academici aedificia, nouo quasi cultu nitescerent. Ipsa etiam porta, per quam aditus ad Collegium patet, instar cuiusdam *arcus honoris*, adornata et affabre picta est. Qua enim regionem opidi spectat, superne refert insignia imperialia; quibus ea, quae Reipublicae Norimbergensi, eiusque arci imperiali, propria sunt, subiuncta conspiciuntur. Paullo inferius, supra effictas columnas, illustrium Quatuoruirorum, qui nunc rem Academicam curant, insignia gentilitia, in utroque latere bina, uidere licet. Inter haec, pictae sunt imagines INGENII et DILIGENTIAE, subscriptis simul his uerbis: SACRIS. SAECVLARIBVS. VNIVERSIT. ALTORFINAE. CELEBRATIS. XXVIIII. IVNII. A. R. S. CIƆIƆCCXXIII. Qua haec porta respicit aream Collegii, repetita sunt eadem, quae modo commemorauimus, insignia; additis uero aliarum Virtutum, PIETATIS nempe et MODESTIAE, imaginibus; ut significetur, his, qui in templum uerae solidaeque eruditionis intrare cupiant, praeter naturales *ingenii* dotes, opus esse, ut inprimis *pietatis, modestiae*, et *diligentiae*, praesidio, ac quasi comitatu, utantur. Intra huius portae tabulatum, et ueluti fornicem, uideas Genios nubibus circumfusos, in quorum medio orbe haec leguntur uerba: INTROEVNTIBVS ET EXEVNTIBVS FELICITATEM.

In area uero *Collegii*, illi etiam portae, quae proxime ducit ad *Auditorium VVelserianum*, decus quoddam conciliatum est. Itidem enim tanquam arcui, Ionicis columnis innixo, appictae sunt imagines PALLADIS, laurum protendentis; FELICITATIS, palmam et ubertatem suam ostentantis; et super his, FAMAE, buccina inflata celebrantis recte praeclareque facta. Quibus symbolis praemia uerae eruditionis, quae in his terris expeti sperarique solent, designari posse uidentur. Subter quibus imaginibus, ueluti tabulae marmoreae literis maiusculis haec uerba sunt inscripta:

DEO.

* *

DEO. OPTIMO. MAXIMO
OMNIS. SAPIENTIAE. AC. VIRTVTIS. AVCTORI
VOTA. SAECVLARIA
PIE. SOLVTA
QVOD
SVB. GLORIOSISSIMO. IMPERIO. PRAESIDIOQVE
SACRATISSIMI. ROMAN. IMPERATORIS
CAROLI. VI
CAESARIS. AVGVSTI. PII. AC. FELICIS
REGIMEN. ET. MVNIFICENTIAM
INCLVTI. SENATVS. NORIMBERGENSIS
TAM. PROSPERO. FORTVNAVIT. SVCCESSV
VT
REM. SACRAM. AC. LITERARIAM. AVSPICATO. CVRANTIBVS
GVSTAVO. GEORGIO. TEZEL
A. KIRCHENSITTENBACH. IN. VORRA. ET. ARTELSHOFEN
IOHANNE. CHRISTOPHORO. AB. IMHOF
IN. MERLACH. ET. STEPHANSMVHLEN
LEONHARDO. GRVNDHERR
AB. ALTENTHANN. IN. VVEYERHAVS
HIERONYMO. VVILHELMO. EBNER
AB. ESCHENBACH. IN. GVTENBVRG. ET. ERLENSTEGEN
HAEC. PIETATIS. ET. DOCTRINAE. OFFICINA
XXVIIII. IVNII. A. R. S. CIↃIↃCCXXIII
SAECVLVM. NOVVM
INTER. OPTIMA. PIAE. LAETITIAE. ET. FVTVRAE. FELICITATIS. AVSPICIA
INIRE. POTVERIT
QVAE. DIVINIS. MVNERIBVS. ORNATA. PERPETVO. FLORESCAT

* *

Praeterea, in ipſo *Auditorio VVelſeriano*, extructae ſunt duae exedrae, in quibus chori muſicorum atque ſymphoniacorum munere ſuo commode poſſent perfungi. Adhaec, Academia non exiguis impenſis noua eaque pretioſa parari curauit aulaea, quae Auditorio maiori eſſent ornamento. Quibus non parum ſplendoris addunt inſignia imperialia et Reipublicae Noricae, atque Curatorum, itemque Academiae et quatuor eius Ordinum, acu picta, et ſingulari arte confecta. Sumptibus uero ſubleuandis, qui in hos ornatus fierent, beneficentia Generoſiſſimorum CVRATORVM ultro ſimul ſuccurrit. Sed neque hoc loco reticendum eſt, ipſum etiam illuſtrem EPHORVM, qua inuſitata eſt humanitate, inter tot alia publica negotia, quibus diſtringitur, non grauatum eſſe, III Idus Iunias Altorfium excurrere, ut intelligeret, an omnia recte diligenterque curarentur.

Propius aduentante illo tempore, quod uotis expetebamus omnes, iam XII Cal. Iulias, h. e. *Dominica poſt trinae Diuinitatis ſacrum*, non

ſolum Rector Academiae ſcriptum publicum proponi iuſſit, quo ſigillatim admonerentur Ciues Academici, ut inſtantibus ſacris ſaecularibus pietatem et modeſtiam ſuam omnibus bonis comprobarent, pompamque Academicam futuram decenti condecorarent comitatu; ſed et ſacrorum Antiſtes non praetermiſit pro concione exponere, quot et quanta eſſent beneficia, quae DEVS huic Academiae, et, per hanc, ipſi quoque opido Altorfino, hucusque tribuerit, ac quemadmodum ad ea rite agnoſcenda atque praedicanda ſingulorum animi pie poſſent praeparari. Finitis ſacris, hora quidem XII meridiana, omne aes Campanum cieri coepit; at, per alteram horae partem, litui, tubae, buccinae, et tympana, ex ſpecula Academiae aſtronomica ſonuerunt.

Paucis poſt diebus, publico nomine huc miſſus eſt *Iohannes Albertus Spies*, inclyti CVRATORVM Collegii a ſecretis; qui, quantopere geſtiat, de uoluntate illuſtrium NVTRITORVM, commodo huius Academiae inſeruire, ea quoque occaſione multis modis declarauit. Hic tum attulit egregia illa dignitatis Academicae inſignia atque ornamenta, ex munificentia PERILLVSTRIS SENATVS recens parata, quibus Rector Academiae, et quatuor Ordinum Moderatores, non ſolum inter haec ſacra ſaecularia; ſed et in poſterum inter alias ſolennitates, uterentur. Ex quibus quidem ueſtis talaris Rectoris, colore puniceo; *Decani* Theologi, nigro; Iurisconſulti, rubeo fulgente; Medici, purpureo; et denique Philoſophi, uiolaceo dilutiore, a ſe inuicem diſcernuntur. Singulis ueſtibus his talaribus additae ſunt epomides concolores, eaeque holoſericae, et limbo aureo praetextae; itemque pilei oblongi, iique ſtriati, et ſimiliter holoſerici, ſpirisque cincti, ita quidem, ut Rectoris habitus facile emineat. Nec minus uero binis quoque ſceptris argenteis, quae Academiae conceſſa ſunt, nouus cultus nitorque additus eſt. Adhaec et denuo tunicae rubeae ſunt confectae, quibus duo Academiae miniſtri ornarentur.

Aderat iam V Calendas Iulias, quem quinctum diem *Domini*, poſt diuinae *Triados* ſolennia, ſacrum agebat coetus Chriſtianorum: quo, ubi res diuina more pio fiebat, hora matutini temporis octaua, Candidati honorum Academicorum, praemiſſis uerborum ſolennibus, a Rectore magnifico, ceterisque Profeſſoribus, ex Collegio Academico, inter ſonitum aeris Campani, deducti ſunt in templum, ut ibi, finita concione, ipſorum cauſſa, pia nuncuparentur uota, ſingulorumque uitae curricula ab Antiſtite ſacrorum recitarentur; ne non conſtaret, quas illi ſtudiorum rationes iniiſſent tenuiſſentque, et quam digni eſſent doctrinae uirtutumque praemiis, quae ſuo iam merito expectarent. Quibus peractis, iidem reducti ſunt in Collegium Academicum, factaque gratulatione, coetus comitantium diſceſſit.

Hora poſtmeridiana quarta, confectis quidem ſacris ueſpertinis, moderante *C. G. Schvvarzio*, artis oratoriae Profeſſore, ex coetu Ciuium Academicorum prodiit *Iohannes Albertus Spies*, Norimbergenſis, *Io. Alberti* Fil. inter ipſam apparationem ſacri ſaecularis adhuc publicum quoddam induſtriae ſuae ſpecimen daturus. Qui, uti concinnam recitauit orationem de *Schola aulica Caroli Magni*; ita poſtremum DEVM religioſe precatus eſt, ut ſeruaret Patriam, ſeruaret etiam Academiam, approbaretque illud, quod haec ageret, atque actura eſſet.

Eo-

Eodem die, ad uesperum fere, ex perillustris SENATVS NORIMBERGENSIS decreto, singularique fauore illustris Collegii PRAEFECTORVM rei militaris, trecenti et plures milites, quibus praeerat uir perquam generosus maximeque strenuus, *Carolus Gustauus de Burchold*, huc aduenere, ut, inter haec sacra, non solum opido essent praesidio, sed et ipsi solennitati Academicae decori.

Pridie natalem saecularem, ubi nunciatum erat, iam affuturos esse INCLVTAE et S. R. I. LIBERAE REIPVBLICAE NORIMBERGENSIS ABLEGATOS; his decenti cultu excipiendis Academiae nomine obuiam iuerunt quatuor Ordinum Academicorum moderatores, (quos *Decanos* uocamus) in binis carpentis collocati; deinde Candidati, quibus honores Academici erant decreti; denique magna pars Ciuium Academicorum, generis et doctrinae laude florentium, qui partim equis, partim essedis, sunt usi. Ventum erat Birenthonium, pagum primo lapide abhinc uersus Norimbergam situm; ubi obuiam procedentibus obuenere LEGATI, et ACADEMIAE CVRATORES splendidissimi, binis carpentis quadrigarum uecti, uidelicet

GVSTAVVS GEORGIVS TEZEL *a Kirchensittenbach, in Vorra et Artelshofen*, S. CAES. MAIEST. Consiliarius, inclutae REIPVBLICAE NORIMBERGENSIS Triumuir, rei sacrae ac literariae Ephorus et Curator primarius;

IOHANNES CHRISTOPHORVS AB IMHOF, *in Merlach et Stephansmuhlen*, EMINENTISS. ELECTORIS MOGVNTINI et EPISCOPI BAMBERGENSIS, itemque SERENISS. MAGNAE DVCIS HETRVRIAE, Consiliarius intimus, et REIP. NORIMBERGENSIS Septemuir;

LEONHARDVS GRVNDHERR *ab Altenthann, in VVeyerhaus*, Xenodochii ad D. Iodoci Praefectus;

HIERONYMVS GVILIELMVS EBNER *ab Eschenbach, in Gutenburg et Erlenstegen*;

Senatores consulares et Curatores Academiae grauissimi.

Hi, postquam descenderant ad tentorium apertum, idque a manipulo militum circumdatum, non solum ab iis, qui Academiae nomine huc uenerant, honorificentissime consalutati acceptique fuere; sed et ipse Ephorus illustris singulari grauitate pariter ac comitate respondit gratulantibus, atque id cum maxime testificatus est, curae adhuc cordique esse SENATVI NORIMBERGENSI felicitatem honoremque Academiae, neque eum unquam dimotum iri a piorum sententia Maiorum, qui inter primae inaugurationis solennia asseuerarint, hanc doctrinae ac uirtutis aedem suo sibi oculo semper fore cariorem. Quam humanissimam allocutionem ulterius prosecutus, et benignissimorum Academiae NVTRITORVM prolixam uoluntatem copiosius interpretatus est, qui tunc una cum Legatis aduenerat, magnificus Academiae *Pro-Cancellarius*, GEORGIVS CAROLVS VVOELCKER, *Comes Palatinus Caesareus, et aliquot splendidissimorum S. R. I. Ordinum, sigillatimque inclytae Reipublicae Norimbergensis, Consiliarius*. Peracta mutuae gratulationis caerimonia, totus comitatus inde perrexit Altorfium; ubi, inter tubas et tympana ex turri opidana resonantia, Legatis in arcem

ingreſſis, ceteri, ſigno honoris denuo dato, in ſuam quisque domum ſe recepere. Arcem autem uocamus domicilium Praefecti opidi agrique Altorfini; cui muneri auctoritate ILLVSTRIS SENATVS NORIMBERGENSIS nunc praeeſt uir maxime Generoſus, CHRISTOPHORVS ELIAS OELHAFEN *a Schoellenbach, in Eiſmansberg*; qui quantopere bene cupiat rebus et honori Academiae noſtratis, hac quoque occaſione luculentis teſtatus eſt argumentis.

Quemadmodum uero, quod iam ſupra diximus, ſolennitatem inſtitutam etiam in exterorum notitiam, literis quibusdam perſcriptis, perferendam curaueramus; ita incredibile eſt, quam honorifice humaniterque nobis undique fuerit reſponſum. Sic enim illuſtriſſimorum S. R. I. COMITVM DE VVOLFSTEIN et PAPPENHEIM literae perenne erunt eximiae ipſorum erga Muſas noſtras propenſionis teſtimonium. Sic et tot ILLVSTRES ACADEMIAE, quas compellaueramus decentiſſime, quaſi pulchro certamine inito, de humanitatis gloria inter ſe contendiſſe uiſae ſunt: tanto illae uerborum honore ornarunt ſingularem Reipublicae Norimbergenſis in bonas artes munificentiam; tamque ardentibus uotis proſecutae ſunt noſtratis Academiae ſolennia, ut tot elegantiſſimarum aeque, atque humaniſſimarum exempla literarum, non poſſint non omni poſteritati eſſe admirationi.

Ad inuitationem noſtram, quendam ex ordine ſuo huc ablegandum deſtinauerat ACADEMIA HEIDELBERGENSIS. Quod uero propoſitum cum forte impedimento aliquo interpellatum fuiſſet, eae partes delatae ſunt uiro dignitatis meritorumque amplitudine magnifico, IO. MAVRICIO HOFMANNO, S. CAES. MAIEST. *Comiti Palatino et Archiatro, Academiae Leopoldino-Carolinae Naturae Curioſorum Ephemeridum Directori, itemque Sereniſſ.* MARCHIONIS BRANDENBVRGICO-ONOLDINI *Conſiliario Aulico*, *et Archiatro praecipuo; antehac in Academia noſtra Seniori, et Profeſſori Medicinae primario.*

Sed et LIPSIENSIS ACADEMIA nobis dederat facultatem conſtituendi, qui delegati ſui uices inter ſolennia ſaecularia ſuſtineret. Quas ſuſcepit, condigneque ornauit, uir in omni genere eruditionis laudisque excellentiſſimus, GODOFREDVS THOMASIVS, Principum Medicus, Medicorumque Norimbergenſium Collega.

ACADEMIAE IENENSIS nomine haec ſolennia condecorauit Theologus ſancti muneris meritorumque dignitate uenerandus, IO. DAVIDES BAIER, *Antiſtes Dornburgenſis et Burgelenſis, itemque Eccleſiaſtes Ciuitatis Vinarienſis.*

ACADEMIA HELMSTADIENSIS, ſingulari beneuolentiae erga nos ſuae ſpecimine dato, miſerat huc uirum celeberrimum, GOTTLIBIVM SAMVELEM TREVERVM, Philoſophiae moralis ciuilisque Profeſſorem ordinarium: qui, quanto Iuliae Academiae eſt ornamento; tantum et haec noſtra ſolennia cohoneſtauit.

Parem nobis honorem perbenigne ſpoponderat ACADEMIA HALENSIS, ablegatura uirum fama meritisque excellentiſſimum, FRIDERICVM HOFMANNVM, Medicae artis Profeſſorem ordinarium, et Collegii ſui ſeniorem; uerum hic in ipſo, quod tunc ſuſceperat, itinere, ex inopinato in domeſticum inciderat luctum. Quo tam exoptato tamque honorifico hoſpite ac delegato etſi nobis fuerit carendum; propenſam

pensam tamen INCLVTAE illius ACADEMIAE in nos uoluntatem memori semper grataque mente prosequemur. Nec minus uero et ceteris omnibus Academiis Hospitibusque illustribus, quos honoris et existimationis nostrae studiosissimos cupidissimosque cognouimus, gratias agimus profitemurque maximas.

Rebus interim in uniuersum curatis, et ab ipsis Academiae CVRATORIBVS adhuc coram ordinatis, DEO fauente, tandem prospere feliciterque exortus est dies III Calendas Iulias, isque sacro saeculari insignis. Auspicandis solennibus, hora VI matutina, initium datum; cum primum uiginti quatuor exploderentur mortaria minora, intra aream arcis opidanae collocata; deinde omne aes Campanum pulsaretur; denique ex specula astronomica Collegii Academici, et ex turri aedis sacrae, tubarum et lituorum tympanorumque strepitu omnia personarent. Hora insequenti, in eodem Collegio Academico congregati sunt Ciues literati; praeterea cuncti PROFESSORES, et tandem, cum his, quatuor ordinum DECANI, et ipse RECTOR Academiae. Interea et quatuor INCLVTARVM ACADEMIARVM DELEGATI, per caerimoniarum magistros inuitati, ex hospitiis suis singuli carpentis quadrigarum in arcem, siue domicilium Praefecti Altorfini, deuehebantur: quo et ceteri hospites conspectae dignitatis frequentes conuenere; qui partim eo ipso mane, partim pridie eius diei, huc aduolarant.

In foro autem opidi constiterant milites, qui missi huc fuerant, duobus locati ordinibus, et ritu castrensis praesidii telis sclopisque armati: ex quibus non nulli delecti ad portam arcis, alii ante singulas templi fores, alii denique ad custodiam Collegii Academici, praesto erant.

Omnibus illis, qui ad comitatum pertinebant, iam expeditis paratisque, hora octaua audita, Rector et Senatus Academicus, ac qui his coniuncti erant, itemque omnes Ciues Academici, ex publicis Academiae aedibus, per regionem et forum opidi, iusto ordine in aream arcis opidanae progrediebantur. Ibi, uniuerso comitatu in quatuor ueluti corpora distincto digressoque, primum simul ibant tres minorum militiae ordinum ductores, bipennibus instructi, decoreque uestiti; quibus proximi erant totidem caerimoniarum magistri. Tum incedebant quatuor exterarum ACADEMIARVM DELEGATI, quorum nomina iam supra commemorauimus; et primo quidem loco, HEIDELBERGENSIS; altero, LIPSIENSIS; tertio, IENENSIS; quarto, HELMSTADIENSIS: quos singulos bini SENATORES Norimbergenses deductos honestabant.

Aderant autem ex inclyto Ordine Senatorio uiri illustres, et uetustae stirpis ac gentilitatis honore, meritorumque auctoritate, grauissimi:

CAROLVS BENEDICTVS GEVDER *ab Heroldsberg, in Stein et Vntersdorf*, perillustris Reipubl. Norimbergensis Septemuir, rei militaris et armamentariae, itemque orphanotrophii, Praefectus;

CHRISTOPHORVS GOTTLIEB VOLCAMER *ab et in Kirchensittenbach*, Senator consularis, et Reipubl. Aedilis;

IOHANNES CHRISTOPHORVS TEZEL *a Kirchensittenbach et Vorra, in Artelshofen*, Senator consularis, et rerum prouincialium Praefectus;

GEORGIVS BVRCARDVS LOEFFELHOLZ *a Kolberg, in Steinach*, Senator;

IOHANNES IOACHIMVS NVZEL *ab et in Sundersbuhl et Rechenberg,* Senator consularis, et rerum prouincialium Praefectus;

ADAMVS RVDOLPHVS GEVDER *ab Heroldsberg, in Stein et Vntersdorf,* Senator;

IOHANNES SIGISMVNDVS HOLZSCHVHER *ab Aschbach, in Thalheim,* Senator consularis, et Iudicii caussarum opificum Praefectus primarius;

SIGISMVNDVS FRIDERICVS BEHAIM *a Schvvarzbach,* Senator consularis, et Iudicii caussarum opificum Praefectus;

IOHANNES CAROLVS VVELSER *ab et in Neunhof,* Senator;

Quibus Senatoribus alii etiam se adiunxerant uiri generosissimi, et antiqua nobilitate publicisque honoribus insignes:

LAZARVS IMHOFF, Siluae Laurentianae Praefectus, et rerum siluestrium ac mellicidii Iudex primarius;

CHRISTOPHORVS MICHAEL KRESS *a Kressenstein, in Krafftshof, Durrenmungenau, et Roetenbach ad D. VVolfgangi,* Praetorii urbani et Iudicii matrimonialis Assessor primarius, ac Praefecturae et Suburbii VVehrdensis Iudex;

VITVS GEORGIVS HOLZSCHVHER *ab Aschbach,* Praetorii urbani et Iudicii matrimonialis Assessor et Scabinus, itemque Gostenhofii Praefectus primarius;

IOHANNES VVILHELMVS EBNER *ab Eschenbach,* Praetorii urbani et Iudicii matrimonialis Assessor, et Scabinus;

IODOCVS VVILHELMVS EBNER *ab et in Eschenbach, Hirschbach et Grunreuth,* Iudicii inferioris Assessor, et Scabinus;

IOHANNES CHRISTOPHORVS KRESS *a Kressenstein, in Krafftshof, Durrenmungenau, et Roetenbach ad D. VVolfgangi,* Iudicii inferioris Assessor, et Scabinus;

CHRISTOPHORVS CAROLVS VVELSER *a Neunhof, in Roetenbach ad D. VVolfgangi,* Iudicii inferioris Assessor, et Scabinus;

IOHANNES PAVLVS TVCHER *a Simmelsdorf, in VVinterstein, Russelbach, et Meyach,* Iudicii inferioris Assessor, et Scabinus;

CHRISTOPHORVS GOTTFRIDVS KRESS *a Kressenstein, in Krafftshof, Durrenmungenau, Raezelsdorf, et Rohensas,* Iudicii prouincialis Assessor, Scabinus, et Reip. *Archiuarius.*

Hoc corpore progresso, iterum ibant tres minorum ordinum ductores, totidemque caerimoniarum magistri. Quos sequebantur tres iuuenes generosissimae prosapiae, alius post alium, incedentes, LEONHARDVS GRVNDHERR *ab Altenthann*, CVRATORIS ACAD. Fil. CAROLVS ALEXANDER GRVNDHERR *ab Altenthann;* et CAROLVS GVILIELMVS EBNER *ab Eschenbach:* qui tabulas priuilegiorum trium, quae Gloriosissimi IMPERATORES clementissime indulserunt Academiae, in puluinis holosericis, iisque coccineis, et auro circumtextis, gestabant; quorum latera sex inferiorum ordinum ductores, quasi praesidii loco, stiparunt.

Post

Poſt hos, duo Academiae miniſtri, nouo cultu ornati, ſceptra Academica praeferebant. Tum procedebant ILLVSTRES QVATVORVIRI rei ſacrae ac literariae curandae; quorum duo priores RECTOREM ACADEMIAE; reliqui duo, DECANVM ordinis Theologorum, deducebant; quos ſuo ordine ſequebantur ceteri conſpectae dignitatis hoſpites, ita quidem, ut bini poſt binos, non ſolum reliquos tres ordinum Academicorum DECANOS, ſed et omnes Academiae Altorfinae PROFESSORES PVBLICOS, ſuo ſingulos loco, medios comitarentur.

Aderant uero ex ſplendido CONSILIARIORVM REIPVBLICAE NORIMBERGENSIS Collegio, uiri Generoſ. et Conſultiſſimi, GEORGIVS CAROLVS VVOELCKER, Academiae Pro-Cancellarius; CHRISTOPHORVS SCHEVRL *a Deſersdorf*; et FRIDERICVS ERNESTVS FINCKLER;

Deinde, uenerandi ſacrorum ANTISTITES NORIMBERGENSES: IOHANNES VVVLFER, GVSTAVVS PHILIPPVS MOERLIVS, GEORGIVS IEREMIAS HOFMANNVS, IVSTINVS VVEZELIVS, BERNHARDVS VVALTHERVS MARPERGER, et IOACHIMVS NEGELINVS;

Adhaec, ex Ampliſſimo ADVOCATORVM REIPVBLICAE ordine, D. GEORGIVS ANDREAS VVVLFER, D. CHRISTOPHORVS ADAMVS RINDER, et D. CHRISTOPHORVS AVGVSTVS LAEMMERMANNVS;

Ex ceteris uerbi diuini miniſtris Norimbergenſibus, uiri perreuerendi, VVILHELMVS BECHMANNVS, et IOHANNES PAVLVS STOY;

Tum uiri CLL. CAROLVS HARTLIBIVS, Rector Gymnaſii Norimbergenſis, et GOTTFRIDVS ENGELHARDVS GEIGER, Rector Scholae Sebaldinae;

Denique ex ſpectabili Mercatorum Norimbergenſium ordine, IOHANNES MARTINVS ab EBERMAYER, fori Mercatorii Quaeſtor, IOHANNES BARTHOLOMAEVS SCHMIDHAMMER, et IOHANNES AVGVSTINVS RIDERER, Curiae Mercatorum Aſſeſſores.

Atque, ut nunc alios taceamus, Profeſſorum ordinem e ueſtigio excipiebant reliqui DOCTORES Altorfini, Inſpector Alumnorum Norimbergenſium, Academiae Commentarienſis, item bonarum artium Magiſtri; poſtremo XII Alumni Norimbergenſes, togis ſtriatis, iisque nigris, quas honoris cauſſa gerunt, induti.

Tertio loco, praeeuntibus rurſus ternis ductoribus minoribus, binisque caerimoniarum magiſtris, ueniebat coetus Ciuium Academicorum, ita quidem, ut terni poſt ternos, compoſito ordine ingrederentur.

Tandem ſubſequebatur ordo Decurionum opidi Altorfini; quos itidem tres ductores militares, et anteambulo quidam, praeibant.

Quo ordine cum in aedem ſacram uniuerſum pergeret agmen, non ſolum a militibus ex utroque latere collocatis, eleuatis ſclopis, explicatis uexillis, percuſſisque tympanis, ſalutabantur praetereuntes; ſed interea etiam aeris Campani tubarumque ſonitus ingeminabatur.

Vbi omnis pompa introiuerat in templum, ſtatim ſuus cuique ordini locus a caerimoniarum magiſtris commonſtrabatur. Primus ordo ad editiora, eaque decenti cultu ornata, templi loca ſeſe contulit; alter in choro, uerſus altare, occupauit ſubſellia; tertius etiam et quartus, in ſua ſe loca receperunt. Ipſe autem, quem diximus, chorus templi aulaeis et periſtromatibus uelatus erat. Ibidem, ante ſedilia CVRA-

TORVM Academiae, ſtabat menſa holoſerico rubro et filamentis aureis cooperta, in qua tabulae priuilegiorum, a Diuis IMPERATORIBVS Academiae conceſſorum, reponebantur. Hanc, honoris ergo, circumſtabant non ſolum ſex inferiorum militiae ordinum ductores; ſed et omnes octo caerimoniarum magiſtri: qui baculis a ſumma parte deauratis inſtructi, *mareſchallorum* nomine, pompae miniſtrabant, eiusdemque diſtinctis ordinibus praeibant, ſingulisque ſua deſignabant loca. Erant uero hi iuuenes doctrinae laude florentiſſimi, et maximam partem honorum iuridicorum Candidati, ex coetu Ciuium Academicorum delecti; nominatim, *Iohannes Iacobus Buchelein*, VVehrda-Noricus; *Georgius Erneſtus Finckler*, Norimbergenſis; *Iohannes Caſpar Anhalt*, Neo-Rupinenſis; *Antonius Cordes*, Hamburgenſis; *Iohannes Chriſtophorus de Neufuille*, Norimbergenſis; *Iohannes Pius Pez*, Norimbergenſis; *Iohannes Mauritius Fichtner*, *Io. Georgii*, *ICti Fil.* Altorfinus, et *Achilles VVilhelmus Schutt*, Francofurtanus.

In ipſo aedis ſacrae ingreſſu, cum fidibus tubisque, tum aſſa uoce, cani coeptum eſt, ut omnium, qui aderant, animi ad laudem DEO reddendam excitarentur. His aliisque ritibus peractis, adſcendit in concionem D. GVSTAVVS GEORGIVS ZELTNER, Theologus primarius et ſacrorum Antiſtes; qui pro diuiniore argumento ex carmine Dauidis CXLV, ſectionem tertiam et quartam expoſuit, ac, diuinis in hanc Academiam beneficiis commemoratis, ad extremum precationis formulam a ſe compoſitam recitauit, qua DEO immortali etiam in futurum tempus ſalus Patriae atque Academiae religioſe commendaretur. Quo ſermone finito, non ſolum denuo muſicorum cantibus aures animique omnium permulcebantur, hymnusque antiquus, qui Ambroſianus dicitur, ad concelebrandam Numinis aeterni benignitatem concinebatur; uerum IOHANNES etiam IACOBVS PFIZERVS, Doctor theologus, et ſacrorum adminiſter, ante aram, DEO auctori et ſtatori Academiae pia uota nuncupauit, ac, formula ſacri benedicti recitata, coetui ſacris operanti gratiam coeleſtem impertiuit.

Fine tandem ſacris impoſito, XXIIII machinae bellicae in ſignum laetitiae rurſus excuſſae ſunt, omnesque, qui intererant celebritati, ex aede digreſſi, ſuo quisque ordine, recta perrexerunt in maius Collegii Academici auditorium, quod VVelſerianum appellatur, aere Campano interim conſonante, et militibus, qui, in duos ordines diuiſi, in foro conſiſtebant armati, officii militaris munia ritusque rurſum obeuntibus. Ipſum auditorium nouis aulaeis, inſignibusque acu pictis, exornatum nitebat. Hic, ubi ſinguli ſua loca atque ſubſellia occuparant, neque minus tabulae *priuilegiorum Caeſarianorum* ante ſedilia CVRATORVM Academiae, in menſula holoſerico rubro obtecta fuerant collocatae; duo ſymphoniacorum chori, ex duabus exedris, mirifica uocum inſtrumentorumque uarietate incinebant, primamque odae ſaecularis partem ſuauiſſime modulabantur. Cum hi concinere deſinerent, ſurrexit CHRISTIANVS GOTLIBIVS SCHVVARZIVS, philoſophiae et humaniorum literarum Profeſſor publicus, atque ex ſuggeſto Academico, in magna aſſidentium et attente audientium frequentia, orationem ſolennem ac celebritati ſaeculari congruentem habuit. Qua finita, auditorium denuo muſicorum concentu perſonuit, altera parte carminis ſaecularis, ab oratore et poeta Academiae ſcripti, ad modos decantata.

Haec

Haec ubi rite transacta sunt, comitatus repetiit arcem opidanam; ibidemque non solum omnes primi alteriusque ordinis, qui pompae Academicae interfuerant, sed et non pauci ex tertio quartoque ordine, lauto epulo, ex munificentia ILLVSTRIS SENATVS NORIMBERGENSIS apparato, liberalissime fuerunt excepti. Cui conuiuio quotquot aderant, laeti animis alacresque diem festum transegere; cum et inter mutuas congratulationes, auspicatasque bene precantium uoces, pro incolumitate AVGVSTI AVGVSTAEque, et pro perennitate DOMVS AVGVSTAE, itemque pro salute potentissimorum REGVM, ac PRINCIPVM serenissimorum, aliorumque S. R. I. ORDINVM, sub quorum praecipue tutela praesidioque eae florent Academiae, quarum Delegati his solennibus intererant, testandi demississimi cultus debitaeque obseruantiae caussa, libarentur pocula, et, tympanis tubisque simul interstrepentibus, machinae ad festiuum fragorem edendum comparatae exonerarentur.

Vesperascente coelo, DELEGATI carpentis uecti deductique in sua se hospitia retulere; neque minus et ceteri hospites hilares lubentesque discessere. Vt uero publicae laetitiae augerentur signa, post solis occasum, non solum Professores, aliique Collegii Academici incolae, fenestras domiciliorum museorumque suorum, multis luminibus accensis, pictisque emblematibus quibusdam, exornarunt; sed et coetus Ciuium literatorum, collucentibus noctu facibus, et turba tympanotribarum ac tubicinum fidicinumque concinente, ad arcem opidanam processit, ut gaudio communi perfrueretur, et inprimis Germanico carmine exhibito, quod interim decantabatur a musicis, INCLVTAE REIPVBL. NORIMBERGENSIS LEGATIS, et ACADEMIAE CVRATORIBVS, pietatis suae ac gratulationis documentum daret.

Nec tamen hic dies omnia huius solennitatis gaudia absoluit; utpote quae altero etiam et tertio die continuabantur. Quemadmodum enim quatuor ordinum Academicorum moderatores, illo ipso natali, quem Academia celebrabat saecularem, nomina eorum, qui doctrinae uirtutisque praemia rite prensabant, tabulis publice propositis, promulgari curauerant; ita, sequenti die, qui in fastis erat ultimus Iunii, inaugurandorum Candidatorum caerimonia feliciter est peracta. Postquam enim hora octaua erat audita, signo aeris Campani dato, Rector magnificus, ceterique Professores, item et ipsi Candidati honorum Academicorum, atque alii, qui alias huiusmodi solennibus interesse solent, in Collegio Academico conueniebant. Inde omnes, rebus rite compositis, ad hospitium illustrium Academiae CVRATORVM progrediebantur, ut hos ad solennia instituta honorifice deducerent. Salutationis ritu peracto, totus comitatus recta iuit in Collegium Academicum. Cuius comitatus ordo, more sacris Academiae anniuersariis semper recepto, ita constitutus erat, ut pueri bini singulorum Candidatorum nomine, atque adeo hoc tempore in uniuersum LII, praeirent, qui sertis fasciisque sericis ornati, partim cereos, partim libros, praeferebant: quos excipiebat chorus liticinum tubicinumque. Post hos, duo Academiae ministri sceptra gestabant. Tum prodibant LEGATI NORIMBERGENSES et QVATVORVIRI rei sacrae atque literariae curandae. Hinc Rector et ProCancellarius Academiae, Praefectus opidi agrique Altorfini, et omnes Professores, itemque alii Academiae coniuncti. Vbi quidem *Decani*, more solito;

 neque

neque nisi primo sui quisque ordinis loco, ibant. Candidati autem singuli, non solum a CVRATORIBVS Academiae, sed et a ceteris binis, honoris caussa medii deducebantur. Agmen claudebant duodecim Alumni Norici, suis togis induti, itemque ii, qui hospitum inuitandorum munus obierant. Solenni autem comitatu incedente, omne aes Campanum, similiter, ac pridie, ciebatur, militesque, praesidio missi, ritu militari obseruanter perfungebantur.

Simulac pompa intrauerat in auditorium VVelserianum, musici modulari coeperunt. Interim et INCLVTARVM ACADEMIARVM DELEGATOS inuitarant, carpentisque uectos huc comitati erant, caerimoniarum magistri. Cantibus symphoniacorum cessantibus, trium superiorum Academiae ordinum DECANI, qui rostra Academica conscenderant, alius post alium, eruditas orationes habebant, et ad extremum singuli magnificum Academiae PROCANCELLARIVM rogabant, ut Candidatorum solenniter inaugurandorum potestatem sibi concederet: qui, praemissa graui oratione, ex indultu AVGVSTISSIMI IMPERATORIS, et auctoritate illustris SENATVS NORIMBERGENSIS, haud grauatim annuebat petentibus. Postquam igitur, Commentariensi Academiae formulam iurisiurandi praelegente, et pueris quibusdam cereos accensos tenentibus, Candidati inaugurandi, digitis quidem sceptro Academico impositis, sancte polliciti erant, se honoribus Academicis rite legitimeque usuros esse; primum, D. IOHANNES IACOBVS PFIZERVS duos Doctores Theologos solenni ritu creauit. Deinde, D. IOHANNES GEORGIVS FICHTNERVS septem iurium peritis summum huius ordinis honorem atque priuilegia largitus est. Denique, D. IO. HENRICVS SCHVLZIVS octo artis salutaris Doctores publice renunciauit. Quibus more maiorum aliarumque Academiarum peractis, cum symphonia paullisper interposita fuisset, in idem suggestum Academicum adscendit ordinis philosophici *Decanus*, IO. HENRICVS MVLLERVS; qui, ubi uerba tempori accommodata fecerat, facultatemque a PROCANCELLARIO, superioris orationis argumentum tunc continuante, facile impetrauerat; exacta itidem prius iurisiurandi fide, septem Candidatos summis in philosophia honoribus, duosque laurea poetica, solenniter ornauit. Quae celebritas ut decenter finiretur, alter poetarum recens creatorum, *Io. Ignatius Michahelles*, Norimbergensis, iussu *Decani*, DEO, IMPERATORI, NVTRITORIBVS, et dignitatis suae amplificatoribus, recitato carmine Latino, pro eo, ac par erat, gratias persoluit.

Hinc, eodem ordine et ritu, quo uenerat, in arcem opidanam reuertit comitatus; ubi paullo post rursus solenne epulum instauratum celebratumque est. Ad quod inuitati accesserant INCLVTARVM ACADEMIARVM DELEGATI quatuor, et, cum aliis honoratioribus hospitibus, omnes Professores, itemque recens creati Doctores, Magistri, et Poetae. Id uero iterum datum est festiuitati eius temporis, ut, quotiescunque honoris ergo solennia libarentur pocula, tum non solum mortaria XXIIII minora excuterentur; sed et aeneatorum ac tympanotribarum clangor animos conuiuarum exhilararet.

Sic et eo die feliciter hilariterque transacto, illuxit tertius, nouo Academiae Rectori inaugurando destinatus: quo, post horam nonam antemeridianam, signo publice dato, Rector et Senatus Academiae,

adscito

adſcito commentarienſi, in Auditorio hiberno congregati, inde more conſueto, praeeunte choraularum ſodalitate, et miniſtris faſces Academicos praferentibus, pulſatoque aere Campano, in aedem ſacram proceſſerunt. Hic, hymno ad implorandam opem diuinam decantari coepto, ubi uniuerſi intrauerant ſacellum, D. IO. IACOBVS BAIER, qui hucusque conſulatum geſſerat Academicum, Patribus Academiae breui alloquio ſignificabat, iam tempus adeſſe magiſtratus ſui deponendi, et noui Rectoris ex ordine quidem Philoſophorum conſtituendi, qui primo noui ſaeculi anno res Academiae praecipua auctoritate adminiſtraret. Singulis itaque Rectori ſuperioris anni de re optime geſta congratulantibus, et de nouo eligendo ſuffragium ferentibus, tandem omnium conſenſione in proximum annum Rector Academiae deſignatus eſt IACOBVS GVILIELMVS FEVERLINVS, Logices et Metaphyſices Profeſſor publicus. Qui ubi breuibus declararat, ſe munus ſibi delatum recepturum; indutus Rectoris toga ſolenni, et recitato iureiurando, perſancte aſſeuerauit, ſe prouinciam ſibi concreditam rite nauiterque obiturum. Eodem tempore, etiam omnium ordinum *Decani*, more Academiae conſueto, munia ſua ornatusque ad ſucceſſores transtulere. Quibus rebus confectis, uniuerſi in chorum templi ſe receperunt, duobus quidem Rectoribus pulpita ante aram maiorem collocata occupantibus. Tum prior, qui modo decedebat magiſtratu, ſermone huic inſtituto conueniente habito, nouum Academiae Rectorem publice ſolenniterque renunciauit, eidemque inſignia conſulatus Academici exemplo et more maiorum tradidit. Mox Rector recens creatus orationem de felicitate Academiae conſeruanda atque prouehenda ingreſſus, Ciues Academicos grauiter commonuit, ut hac temporum felicitate ſe gererent dignos; deinde DEO immortali in futurum tempus pia uota nuncupauit. Poſt haec, tum chorus Muſicorum denuo laudes Numinis aeterni uocibus fidibusque concelebrare inſtituit; tum Sacerdos, adſtans arae, pro Patriae, et Nutritorum, ipſiusque Academiae, ſalute, uota fecit, magiſtratumque Academicum felicem fortunatumque eſſe iuſſit. Quibus ad finem perductis, non ſolum uniuerſus Profeſſorum ordo, eodem ritu, quo templum ingreſſus erat, ſed et multi, qui comitatui ſeſe tunc adiunxerant, Ciues Academici, Magnificum Academiae RECTOREM, recens inauguratum, domum deduxerunt, eidemque dignitatem ſuſceptam gratulati, ad ſua quisque domicilia redierunt.

Iam diſceſſum parabant CVRATORES ACADEMIAE; ſed antea, continuato publicae munificentiae exemplo, rurſus epulum inſtrui iuſſerant, cui ſimul non tantum Rector Academiae et quidam ex Profeſſorum ordine, ſed etiam Praefecti militum, qui tunc in Praeſidio erant, item et aliquod Ciues Academici, iique praecipue nobili loco nati, admouebantur. Quo conuiuio ad horam quinctam poſtmeridiani temporis laete iucundeque perducto, ipſi ILLVSTRES LEGATI NORIMBERGENSES et ACADEMIAE CVRATORES, partis immortalibus nominum ſuorum monimentis, inter ingeminata quorumcunque praeſentium uota, et repetita publicae laetitiae ſigna, bene proſpereque Norimbergam reuerterunt.

Atque adeo ſaecularis iſta et memorabilis Academiae Altorfinae celebritas, ex uoto et ſententia omnium, feliciſſime finita eſt. Neque uero

 ſatis

ſatis praedicari poteſt DEI immortalis clementia, cuius beneficio contigit, ut, in iſta indigenarum pariter atque aduenarum frequentia, et in hoc publico laetantium coetu, omnia pacate placideque, et ſine omni tumultu atque perturbatione, fuerint peracta.

Etſi uero hoc pacto exoptatum habuerat finem ipſa ſolennitas ſaecularis; nondum tamen ea occaſione ceſſabat benigniſſimorum Academiae NVTRITORVM munificentia. Quemadmodum enim publica auctoritate tria numorum genera fuerant excuſa, quibus haec felicitas perenni memoriae commendaretur; ita illuſtres CVRATORES non ſolum ſingulis INCLVTARVM ACADEMIARVM DELEGATIS, qui his interfuerant ſolennibus, quoddam peracti ſaecularis ſacri monimentum dari; ſed et Profeſſoribus omnibus, item et caerimoniarum magiſtris, ceterisque Ciuibus Academicis, qui Legatis Norimbergenſibus, inſtituto muſicorum concentu, publicae gratulationis honorem praeſtiterant, habita ordinis ratione, huiusmodi numos diſtribui, liberaliſſime iuſſerunt.

Cui tam propenſae in optimas artes uoluntati atque beneficentiae uti immortalia debentur praeconia; ita haud diu poſt Rector et Senatus Academiae, pietatis ſuae memores, literis publice perſcriptis, eandem laudibus gratiisque decentibus uenerati, a ſupremo Numine religioſiſſime petierunt, ut tam inſignem NVTRITORVM Academiae munificentiam cumulatiſſime remuneraretur, eiusque fructus uberes et perpetuos ad Rempublicam Norimbergenſem, et in uniuerſum ad rem chriſtianam atque literariam, redundare iuberet.

Non minus et Alumni Norimbergenſes, Conuictoresque publici, in cogitationem beneficiorum, quibus fruerentur, ingreſſi, munificentiſſimis NVTRITORIBVS atque CVRATORIBVS pietatem ſuam et obſequii religionem ea occaſione comprobare ſtuduerunt; cum carmen ingenio et induſtria elaboratum, uernaculaque lingua compoſitum exhiberent, cumque ipſorum nomine, *Iohannes Balthaſar Starckius*, Norimbergenſis, dirigente quidem inſtitutum CHRISTIANO GOTL. SCHVVARZIO, eloquentiae Profeſſore, et Beneficiariorum Noricorum Inſpectore, V Idus Iulias, publicam haberet orationem, quae, propter ſaecularia feliciter peracta, ad praedicandam DEI NVTRITORVMque benignitatem unice erat comparata.

Omnibus igitur feſtiuitatis ſaecularis ſolennibus proſperrime confectis, Patres Ciuesque Academiae, nouum huius Muſarum domicilii ſaeculum diuinis auſpiciis exorſi, alacribus animis ad labores eruditos rediere. Ne uero quicquam praetermitteretur, quod ad decus Academiae retinendum amplificandumque facere, et ſtudioſae iuuentuti maiori commodo eſſe poſſet, auctoritate ILLVSTRIVM CVRATORVM, non tantum legum Academicarum ex parte renouandarum, atque ad haec tempora magis accommodandarum, ratio tempeſtiue eſt inita; ſed et, decreto XVIII Auguſti A. CIƆIƆCCXXIII publice promulgato, conſtitutum eſt, ut, cum antehac publicarum priuatarumque recitationum curricula plerumque intra anni Academici orbem conſtitiſſent, in poſterum, tot aliarum Academiarum exemplo, circa quaeque diuini Paſchatos, et Sancti Michaelis, tempora, quantum fieri poſſet, denuo inirentur.

Nihil adeo reliquum eſt, niſi ut Numen diuinum iterum iterumque ſupplices oremus, quo tot pias gratulationes factas, totque uota pro ſalute publica, et pro bonarum artium uirtutumque incrementis nuncupata, ex omni parte ualere iubeat, ſuisque in hanc Academiam beneficiis muneribusque ipſam addat perennitatem.

SECTIO II.

SECTIO II,
quae complectitur
SCRIPTA ACADEMIAE ALTORFINAE
AD PROMVLGANDVM
SOLENNITATIS SAECVLARIS INSTITVTVM
EXARATA.

I.

Programma RECTORIS SENATVSQVE ACADEMIAE ALTORFINAE, quo ſacri ſaecularis celebrandi ratio, auctoritate publica, primum denunciata eſt.

RECTOR ET SENATVS VNIVERSITATIS ALTORFINAE LECTORI BENEVOLO S. D.

DEI immortalis prouidentia contigit, ut ſalua adhuc ſtet floreatque erudita haec ſocietas, et, omnes temporum fortunaeque difficultates eluctata, dignitatem priſtinam feliciter tueatur. Haec centum iam aetatis ſuae annos numerat, ac, ſicuti CAESARVM AVGVSTISSIMORVM *ſummam in ſe clementiam religioſa quadam ueneratione admiratur; ita et incredibilem* PERILLVSTRIS SENATVS NORIMBERGENSIS, *Nutritoris ſui benigniſſimi, liberalitatem atque munificentiam, publico pietatis atque obſeruantiae argumento, recolit; ſimulque uirorum de literis ornandis optime meritorum excitat memoriam, ac, quae pii maiores Numini diuino nuncupauerant uota, nunc conſpirantibus omnium animis ſententiisque merito perſoluit. Equidem iamdudum incluta* NORIMBERGA, *uti ceterarum rerum amplitudine atque ſplendore, ita admirando inprimis reipublicae ordine, ac rerum domi et foris ſapienter feliciterque geſtarum gloria, immortalibusque in Imperium meritis, totius Europae in ſe converterat oculos; at enimuero tunc demum felicitati ſuae ſplendorique ueluti cumulum addidit, cum liberalibus doctrinis ultro haberet honorem, et magnifico impendio conderet Academiam, publicumque diuinae atque humanae ſapientiae templum liberaliſſime dedicaret. Gloriabatur olim Graecia, diuini fauoris pignus ſibi conſtitutum eſſe in Palladio, quod religioſe*

ſeruabat ; et Roma uetus in ancili Numae certum publicae ſalutis praeſidium ſibi poſitum opinabatur. Verum SENATVS POPVLVSQVE NORICVS, *ad mentes bonas excitandas fouendasque nihil ſanctius, nihil ad doctrinae uirtutisque propagationem efficacius, ad utilitatem ac gloriam Reipublicae ſuae nihil pulchrius certiusque, decernere potuiſſet, quam cum generoſis animis, et uirtute nullis ſaeculis reticenda, hanc bonarum literarum ſedem, hocque ſacratiſſimum reipublicae Palladium, conſtitueret, et quaſi totam Germaniam, Italiam, Galliam, aliasque prouincias optimorum ingeniorum feraces, ſolicitaret, ut Academiae a ſe conditae eximia orbis literati ornamenta, et uiros, exquiſita eruditione praeſtantique uirtute ſpectatiſſimos, prouide conciliaret. Annus uertebatur a ſalute humani generis inſtaurata ſupra milleſimum et quingenteſimum octogeſimus, cum* SENATVS SAPIENTISSIMVS *laudabilis huius inſtituti auſpicato iaceret fundamenta, atque Gymnaſium, quinque ante annos Altorfii excitatum, maioribus beneficiis exornaret ; poſtquam a* DIVO RVDOLPHO II, *Imperatore Romanorum Auguſtiſſimo, facultatem impetrauerat, ut ibi prima ſecundaque laurea candidatis honorum philoſophicorum bene merentibus tribueretur. Tam bene proſpereque iſta procedebant principia, tamque felicia coetus hic capiebat incrementa, ut, tum eximiorum doctorum celebritate, tum frequenti ſtudioſae iuuentutis confluxu, iam eo tempore cum antiquioribus Academiis de fama atque exiſtimatione contendere uideretur. Verum, non hic ſubſtitit* INCLVTI SENATVS *munificentia ; qui, uti omnium liberalium artium ſuperiorumque diſciplinarum hoc loco publice tradendarum rationibus iam proſpexerat ; ita nec Academica earum praemia bonis induſtriisque mentibus deeſſe uolebat, nec ſibi quicquam curae faciebat reliquum, ut, quod* DEO *hominibusque approbantibus moliri opus coeperat, feliciter perficeret. Cui ſapientiſſimo conſilio clementiſſime fauit* DIVVS FERDINANDVS II, *Caeſar Auguſtus glorioſiſſimus, qui illuſtri Magiſtratui Norimbergenſi Academiae condendae amplioribusque priuilegiis ornandae ius ac facultatem propenſiſſimo animo conceſſit. Huius adeo indulgentia, quam omnis memorabit poſteritas,*

steritas, III *Calendas Iulias, anno superioris saeculi uicesimo tertio, haec ipsa Academia maioribus auspiciis, et laetissimo omnium ordinum cum applausu, in plenius augustiusque disciplinarum ac uirtutum domicilium euecta, solennissimeque inaugurata est. Quem coetum liberalis doctrinae caussa feliciter a* PERILLVSTRI REPVBLICA NORIMBERGENSI *constitutum ornatumque, pro sua mentis magnitudine, et pro summa* AVGVSTAE DOMVS AVSTRIAE *bonitate, non solum in dignitate semper atque otio firmarunt, sed maioribus etiam extulerunt auctibus, qui deinceps sacratissimi terrarum Imperii clauum tenuere,* IMPERATORES INDVLGENTISSIMI. *Longum nunc foret commemorare, quot et quam insignibus uiris ab ista origine sua sese extulerit haec bonarum mentium officina, et quanta eximiorum ingeniorum hinc prodierit copia, quae multa orbis cultioris templa, aulas, curias, tribunalia atque scholas, ornarunt. Potius ea, quae per hunc annorum cursum diuina in nos contulit bonitas, uti omni tempore, ita hoc maxime saeculari Academiae anno, ad animum reuocamus, mentesque nostras sincera uoluptate pioque gaudio complemus; neque indigenas modo, sed exteros etiam, ad pietatis publicaeque laetitiae societatem humanissime inuitamus. Etenim, quod* NVMEN DIVINVM *rei sacrae ac literariae in uniuersum, nominatimque nostrae Academiae, faustum, felix, fortunatumque, esse iubeat, auspiciis* AVGVSTISSIMI ROMANORVM IMPERATORIS, CAROLI VI, AVGVSTI, PII, FELICIS, VICTORIS PERPETVI, ET AMPLIFICATORIS ORBIS CHRISTIANI GLORIOSISSIMI, *itemque auctoritate et singulari munificentia* PERILLVSTRIS SENATVS INCLVTAE ET S. R. I. LIBERAE REIPVBLICAE NORIMBERGENSIS, *ac sigillatim nunquam satis praedicanda cura atque bonitate* ILLVSTRIVM *atque* GENEROSISSIMORVM *huius Academiae* CVRATORVM, *sacrum saeculare, ritu solenni et more pio christianoque tot aliarum Academiarum, quibus hucusque diuinitus contigit eiusmodi felicitas,* III *Calendas Iulias, die diuis Petro et Paullo in fastis sacro, hoc ipso anno, celebrandum iam publice significamus. Facessat a nobis pagana ueterum Quiritium super-*

 stitio,

ſtitio, qui in ludis ſuis ſaecularibus fora et compita ludendi cauſſa circumibant, et delubra atque lectiſternia frequentabant, et populo diſtribuebant ſuffimenta, furuisque hoſtiis immolatis, felicitatem reipublicae Diis ſuis commendabant. Nos operam dabimus, ut non niſi inter piae et moderatae laetitiae ſignificationes, DEO *uero et immortali mentes perpurgatas et pietatis religionisque plenas offeramus, neque alia, niſi honeſtiſſima doctrinae ac uirtutis ſpectacula, edamus, omnium Ordinum* Facultatum*que Candidatis, ex praeſcripto legum, ac more maiorum, ante probatis, digna honorum Academicorum praemia ſolenniter diſtributuri: quibus benigniſſimus* SENATVS NORIMBERGENSIS, *nouo munificentiae ſuae exemplo, immunitatem ſumtuum in conuiuium Academicum alias impendendorum perbenigne indulgebit. Agite igitur, quicunque fauetis honori eruditae ſodalitatis, religioſis nobiscum animis ſupplicate* DEO *immortali, cuius ui ac poteſtate reguntur omnia, ut iſta ſaecularia Academiae noſtratis ſolennia auſpicato illuceſcere uelit, utque rei chriſtianae atque literariae ſalutem ſibi etiam in poſterum uolens propitius curae cordique habeat, atque* SACRATISSIMVM IMPERATOREM, *qui hanc nobis temporum felicitatem, haecque Muſis noſtris ſancta praeſtat otia atque halcyonia, quamdiutiſſime adhuc ſeruet, diuinoque conſilio muniat, atque* DOMVI AVSTRIAE *ea, quae orbis terrarum exoptat, aeternitatis praeſidia impertiatur. Agite praeterea, neque ſolum* SENATVS POPVLIQVE NORIMBERGENSIS *ſingularem in optimarum artium ſtudia benignitatem nobiscum recognoſcite, poſterisque commendate; ſed etiam pro incolumitate eius, perpetuoque flore, pia uota facite! Denique, quae ueſtra eſt pietas, praeſentes abſentesque hanc noſtram ſaecularem ſupplicationem bonis ominibus proſequimini,* DEVM *optimum maximum nobiscum precati, ut porro ſuis in nos beneficiis faueat, atque nouum, quod aperietur, ſaeculum, huic optimarum artium ſacrario uere ſecundum, et ex omni parte felix pacatumque, decurrere iubeat.* P. P. DOMINICA IVBILATE,

A. R. S. CIϽIϽCCXXIII.

II. Lite-

II.
Literae Academiae Altorfinae
ad
ILLVSTRISSIMVM S. R. I. COMITEM DE VVOLFSTEIN.

Hochgebohrner Reichs-Graf/
Gnädiger Graf und Herr!

Es hat/ unter GOttes Schutz und Seegen/ hiesige Universität nunmehro ihr erstes Jahr-Hundert/ von ihrer völligen Aufrichtung an/ bey nahe vollendet/ und wird/ nach Verordnung E. Hochlöbl. Magistrats zu Nürnberg/ unserer Herren und Nutritorum, auf instehendes Petri Pauli Fest/ das Gedächtniß dieser Stifftung/ dem Höchsten zum Preiß/ feyerlich begehen. Wie nun bey dieser Gelegenheit wir uns vieler empfangenen Wolthaten zu erinnern haben: also können wir unter denenselben nicht anderst als mit sonderbahrer Freude erkennen/ daß/ da vor hundert Jahren **Herrn Georg Albrechts von Wolfstein rc. Hoch-Freyherrl. Gnaden** hochseel. Andenckens/ die Inauguration unserer Academie durch persönliche Gegenwart beehret; **Euer Hoch-Gräfl. Excellence** in GOtt ruhender **Herr Vater** auch die studia Dero Preiß-würdigen Jugend allhier vollbracht; wir zeithero nicht minder von **Euer Hoch-Gräfl. Excellence** ins besondere so viel hoher Gnaden-Bezeigung versichert worden/ daß wir selbige nicht genugsam zu rühmen vermögen. Dieses erwecket in uns so viel mehr die Zuversicht/ nicht allein die Veranstaltung unsers Academischen Iubilaei an **Euer Hoch-Gräfl. Excellence** gehorsamst zu berichten/ sondern auch dabey zu bezeugen/ wie höchsterwünscht es uns seyn würde/ wenn wir das Glück erlangen könnten/ bey **Dero** hohen Anwesenheit unsere unterthänige veneration gegenwärtig abzustatten; als die wir in versicherter Hoffnung dieser Gnade und Ehre unausgesetzt verharren

Euer Hoch-Gräfl. Excellence

gehorsamste/

Rector und Professores der Nürnbergischen Universität Altdorf.

Inscriptio:

Dem Hochgebohrnen Grafen und Herrn/ Herrn **Christian Albrecht**/ des Heil. Röm. Reichs Grafen von Wolfstein/ Frey-Herrn zu Obern-Sultzbürg und Pyrbaum rc. rc. Unserm Gnädigen Grafen und Herrn.

Obern-Sultzbürg.

III.

Literae ad ILLVSTRISSIMVM S. R. I. MARESCHALLVM HEREDITARIVM SVBSENIOREM ET COMITEM DE PAPPENHEIM.

Hochgebohrner Reichs-Graf/
Gnädiger Graf und Herr!

Euer Hoch-Gräfl. Excellence haben bey Dero ehemahligen Aufenthalt allhier / welcher der Universität zu immerwährendem Ruhm und Zierde gereichet / so viele Merckmale Dero gnädigen Neigung gegen dieselbe uns gegeben/ daß wir sie niemahls aus unterthänig-danckbahren Andencken lassen können. Und daher ergreifen wir so viel freudiger die Gelegenheit / gehorsamst zu berichten / was massen auf bevorstehendes Fest Petri und Pauli unsere Universität das Gedächtniß ihrer vor hundert Jahren geschehenen vollständigen Aufrichtung und Inauguration mit gewöhnlicher Solennität celebriren wird / GOtt anvörderst zum Preiß / dessen Güte sie bis daher erhalten / und mit vielfältigen Seegen geschmücket hat ; leben anbey der zuversichtlichen Hoffnung / Euer Hoch-Gräfl. Excellence werden sowohl dieses unser Erkühnen/ als den in das andere Seculum eintretenden Wohlstand unserer Academie mit gnädigem Wohlgefallen ansehen/ und Dero hohen propension uns fernerweit geniessen lassen. Wir würden uns doppelt glücklich achten/ dafern es sich fügen solte / Euer Hoch-Gräfl. Excellence bey dem Actu Iubilaei unsere devotion gegenwärtig zu bezeugen / und mit mehrerm Nachdruck an den Tag zu legen / wie wir seyen

Euer Hoch-Gräfl. Excellence

gehorsamste/

Rector und Professores der Nürnbergischen Universität Altdorf.

Inscriptio :

Dem Hochgebohrnen Grafen und Herrn / Herrn Friederich Ernst / des Heil. Römischen Reichs nach-ältestem Erb-Marschall / Grafen und Herrn zu Pappenheim / Herrn in Callen und Bellenberg 2c. 2c. Unserm Gnädigen Grafen und Herrn.

Pappenheim.

IIII.

Literae ad INCLVTAM ACADEMIAM HEIDELBERGENSEM, inuitandi cauſſa perſcriptae.

MAGNIFICE ACADEMIAE RECTOR, VIRI MAXIME REVERENDI, IVRISCONSVLTISSIMI, EXPERIENTISSIMI, AMPLISSIMI, EXCELLENTISSIMIQVE, FAVTORES ATQVE AMICI HONORATISSIMI.

AGimus nunc, quae ſumma eſt diuini Numinis erga nos benignitas, annum noſtrae Academiae ſaecularem, poſtquam haec AVGVSTISSIMORVM CAESARVM indulgentia, et beneficio ſingularique munificentia PERILLVSTRIS et S. R. I. LIBERAE REIPVBLICAE NORIMBERGENSIS, ante hos centum annos maioribus auſpiciis priuilegiisque ornata, et ad hanc usque diem feliciter conſeruata eſt. Iniqui foremus in publicam temporum felicitatem, et impii in ipſum DEVM, niſi ea, quae per huius ſaeculi curſum in hanc literarum ſedem diuina contulit gratia, et magna Nutricis Reipublicae confirmauit benignitas, religioſe reputemus, atque, pro ſua quisque parte, haec tanta bona grato animo recognoſcamus, et quauis occaſione publice priuatimque praedicemus. Quo conſilio, laudabilem aliarum Academiarum morem ſecuti, auſpiciis quidem SACRATISSIMI ROMANORVM IMPERATORIS, CAROLI VI, AVGVSTI ET CAESARIS A DEO DATI, itemque auctoritate atque inſigni munificentia PERILLVSTRIS SENATVS NORIMBERGENSIS, ſigillatimque GENEROSISSIMIS huius Academiae CVRATORIBVS perbenigne annitentibus fauentibusque, ſaecularia ſolennia, quae dies XXVIIII Iunii afferet, omni Chriſtianorum rituum caerimoniarumque Academicarum feſtiuitate celebraturi. Quo maior itaque inclutae Academiae ueſtrae in uniuerſo orbe literario celebritas eſt, et quo humanius, ante hos quaſi XXXVII annos, ad ſaecularia ueſtrae celeberrimae Academiae ſacra, noſtratis quoque coetus literati Patres Ciuesque Academicos inuitaſtis: hoc impenſiori ſtudio nunc VOS etiam quadam ſolennioris gaudii ſocietate nobiscum coniunctos uolumus, adeoque, his ipſis literis interpretibus, perofficioſe et peramanter rogamus, ut prolixe lubenterque faueatis honori Academiae noſtrae, neque ſolum tabulas noſtras, huic epiſtolae adiectas, apud VOS in publico proponendas curetis; ſed etiam ex ampliſſimo ſpectatiſſimoque ordine ueſtro quosdam delegare ne grauemini, qui honorifica praeſentia ſua iis, quae paramus, ſolennibus maiorem quandam lucem ſplendoremque concilient. Certe, ſi huic deſiderio noſtro precibusque locum reliqueritis, nos omnes nouo hoc fauoris ueſtri argumento VOBIS maiorem in modum deuinciemur, operamque dabimus, ut hanc ueſtram in nos propen-

propensionem, tum in ipso sacro saeculari, tum alio quocunque tempore, omni officiorum genere demereamur. Quod reliquum est, DEVM *immortalem precamur, ut* VOS, *uestrumque coetum eruditum, omni felicitatis genere cumulet, et doctrinae uirtutumque decus, per* VOS *maioribus in dies auctibus amplificatum, ad omnem, quae secutura est, posteritatem transmitti iubeat. Valete. Dab. Altorfii*, XXVI *April. A. R. S.* cIↄIↄCCXXIII.

CELEBERRIMORVM NOMINVM VESTRORVM

cultores studiosissimi,
Rector et Professores Academiae Altorfinae.

Inscriptio:

Viris, Magnifico, maxime Reuerendis, Iurisconsultissimis, Experientissimis, Amplissimis, Excellentissimisque, RECTORI, DECANIS, *et* PROFESSORIBVS INCLVTAE ACADEMIAE HEIDELBERGENSIS, *Dominis Fautoribus et Amicis nostris honoratissimis.*

Heidelbergam.

Similí argumento literae etiam datae sunt ad INCLVTAS ACADEMIAS, LIPSIENSEM, FRANCOFVRTENSEM, IENENSEM, HELMSTADIENSEM, et HALENSEM.

V.

Literae itidem inuitandi caussa scriptae ad INCLVTAM ACADEMIAM INGOLSTADIENSEM.

MAGNIFICE ACADEMIAE RECTOR, VIRI MAXIME REVERENDI, IVRISCONSVLTISSIMI, EXPERIENTISSIMI, AMPLISSIMI, EXCELLENTISSIMIQVE, FAVTORES ATQVE AMICI HONORATISSIMI.

SI interest ad studiorum liberalium decus, et ad publicum eruditionis uirtutisque honorem, ut eruditae societates, ob communem literarum cultiorum cognationem, mutua quadam beneuolentia honestisque officiis se inuicem prosequantur: eo minus VOBIS *mirum accidet*, VIRI CELEBERRIMI, *quod ad solennitatem Academiae nostrae saecularem*, XXVIIII *Iunii, hoc ipso anno*, DEO *fauente, celebrandam*, VOS *perofficiose et peramanter inuitamus; quo magis constat, inclutam Academiam uestram prae ceteris nobis esse uiciniorem. Etenim, quod ex publicis literis huic epistolae adiectis intelligetis, centesimus nunc agitur*

agitur annus, ex quo, diuina prouidentia rem moderante, et AVGVSTISSIMIS ROMANORVM IMPERATORIBVS egregia iura atque priuilegia clementiſſime indulgentibus, ex PERILLVSTRIS SENATVS NORIMBERGENSIS, Nutritoris noſtri benigniſſimi, munificentia immortalibus laudibus praedicanda, haec noſtra Academia maioribus plenioribusque honorum Academicorum ornamentis condecorata, ſuperatis temporum iniuriis, decus ſuum per hunc annorum curſum adhuc retinet integrum, et, quod optamus auguramurque, idem ſaluum illibatumque ad omnem poſteritatem transmittet. Ipſa igitur iubet pietas, ut haec tot diuina humanaque in nos beneficia, quanta fieri poteſt, grati animi religione celebremus, atque ante omnia DEO immortali non ſolum priſtina maiorum uota pie reddamus, ſed et in futurum ſaeculum noua nuncupemus. Quo potiſſimum conſilio, auſpiciis INVICTISSIMI AVGVSTISSIMIQVE ROMANORVM IMPERATORIS, CAROLI VI, AVGVSTI OMNIVM RETRO CAESARVM GLORIAM IAM SVPERGRESSI, itemque PERILLVSTRIS et S. R. I. LIBERAE REIPVBLICAE NORIMBERGENSIS, GENEROSISSIMORVMque CVRATORVM, auctoritate ſummaque liberalitate, eo ipſo, quod iam indicauimus, tempore, natalem huius Academiae ſaecularem, ad exemplum tot aliarum orbis chriſtiani Academiarum, pio feſtoque ritu celebraturi ſumus. Ad cuius celebritatis ſolennia uti exteros indigenasque perquam humaniter euocamus; ita et a VOBIS obſeruanter petimus, ut quendam ex ſpectatiſſimo ordine ueſtro ablegetis, qui feſtiuitati noſtri coetus literati interſit, eandemque honorifica praeſentia ſua, inclutae Academiae ueſtrae nomine, cohoneſtet. Pro qua ſingulari beneuolentiae ueſtrae ſignificatione uti meritam VOBIS gratiam debito honore aliisque officiorum generibus perſoluemus; ita et a DEO optimo maximo omnem felicitatem ex animo apprecamur. Valete. Dab. Altorfii Norimbergenſium, XXVII April. A. R. S. CIↃIↃCCXXIII.

CELEBERRIMORVM NOMINVM VESTRORVM

cultores ſtudioſiſſimi,

Rector et Profeſſores Vniuerſitatis Altorfinae.

Inſcriptio:

Viris, Magnifico, maxime Reuerendis, Iuriſconſultiſſimis, Experientiſſimis, Ampliſſimis, Excellentiſſimisque, RECTORI, PROCANCELLARIO, DECANIS, ceterisque PROFESSORIBVS INCLVTAE VNIVERSITATIS INGOLSTADIENSIS, Dominis Fautoribus et Amicis noſtris honoratiſſimis.

Ingolſtadium.

Simili ratione etiam perſcriptum fuit ad INCLVTAM ACADEMIAM VVIRZBVRGENSEM.

 VI. Lite-

VI.

Literae, quibus INCLVTAE ACADEMIAE VPSALIENSI institutae solennitatis saecularis ratio fuit significata.

MAGNIFICE ACADEMIAE RECTOR, VIRI MAXIME REVERENDI, IVRISCONSVLTISSIMI, EXPERIENTISSIMI, AMPLISSIMI, EXCELLENTISSIMIQVE, FAVTORES ATQVE AMICI HONORATISSIMI.

Gloriosum semper et orbi terrarum uenerabile fuit Suecorum nomen; cuius inuictae nationis uirtus, quantum bello, tantum et pace, omni tempore eluxit; potissimum uero, asserenda coelesti ueritate, et optimarum artium doctrinarumque studiis fouendis, publicam Suecici regni felicitatem gloriamque maiorem in modum amplificauit. Quamobrem merito habet, cur inter praecipua ornamenta sua referat inclutam et peruetustam Academiam uestram; quae, uti praestantissimis semper floruit ingeniis, et omnis doctrinae copia abundauit; ita decus dignitatemque eius VOS maxime, VIRI CELEBERRIMI, hodie tuemini, maioribusque auctibus prouehitis. Equidem longo terrarum Oceanique interuallo a VOBIS diuidimur; at enimuero illustris Academiae uestrae, uestrorumque nominum, maior est celebritas, quam ut splendorem suum non ad omnes orbis partes diffundat; et ea nostra erga VOS uestramque eruditam societatem obseruantia existit, ut hanc ipsam etiam per disiunctissimas remotissimasque oras qualicunque documento declarare cupiamus. Praeterimus nunc, quod identidem Iuuenes optimi ex Suecia nostram etiam hanc literarum sedem cultus ingeniorum capessendi caussa adierint, qui et generosi animi indolem, et indefessum doctrinae uirtutisque studium, optimo cuique facile approbauerunt, et quorum iucundam charamque adhuc memoriam retinemus. Iam uero, quae aut VOBIS propter communia literarum studia gratior, aut exoptatior nobis, occurrere possit occasio, quam cum hoc saeculari Academiae nostratis anno diuinorum in nos beneficiorum rationes piis gratisque animis merito ineamus, et aliquam felicitatis huius diuinitus nobis indultae notitiam etiam ad VOS peruenire uelimus? Postquam enim, quod ex programmate *nostro cognoscere licebit, singulari Numinis diuini bonitate contigit, ut haec ipsa Academia per hos centum annos bene prospereque floruerit, et contra tot temporum hominumque mala perstiterit inconcussa, iam id potissimum agimus, ad excitandam animorum pietatem, et ad diuinorum humanorumque, quibus ornati sumus, beneficiorum multitudinem longe lateque celebrandam, ut auspiciis SACRATISSIMI POTENTISSIMIQVE ROMANORVM IMPERATORIS, CAROLI VI, AVGVSTI AD PERFICIENDAM ROMANI IMPERII GLORIAM DIVINITVS DATI, itemque auctoritate summaque munificentia PERILLVSTRIS SENA-*

TVS INCLVTAE ET S. R. I. LIBERAE REIPVBLICAE NORIMBERGENSIS, Nutritoris nostri benignissimi, III Calendas Iulias natalem huius literatae ciuitatis saecularem festo solennique ritu simus transacturi. Quae igitur eximia uestra est humanitas, dabitis id honori atque existimationi rei sacrae ac literariae, ut hanc celebritatem apud nos instituendam piis uotis ominibusque prosequamini, et uestro etiam loco non solum summam DEI in nos bonitatem nobiscum collaudetis, sed et eundem ueneremini, ut faueat porro ac propitius sit muneribus suis, adeoque et nouum, quod ingrediemur, saeculum, Academiae nostrae faustum fortunatumque esse iubeat. Nos uicissim operam dabimus, ut neque in coelesti Numine deprecando pro incolumitate perpetuoque flore Academiae uestratis, neque in nominibus meritisque uestris etiam eminus colendis, quicquam in nobis desiderari patiamur. Valete. Dab. Altorfii Norimbergensium, XXVI *April. A. R. S.* cIↃIↃCCXXIII.

CELEBERRIMORVM NOMINVM VESTRORVM

cultores studiosissimi,

Rector et Professores Vniuersitatis Altorfinae.

Inscriptio:

Viris, Magnifico, maxime Reuerendis, Iurisconsultissimis, Experientissimis, Amplissimis, Excellentissimisque, RECTORI et SENATVI INCLVTAE VNIVERSITATIS VPSALIENSIS, Dominis Fautoribus et Amicis nostris honoratissimis.

Vpsaliam.

Pari argumento epistola etiam ad INCLVTAM ACADEMIAM HAFNIENSEM dimissa est.

VII.

Literae, quibus INCLVTAE ACADEMIAE VITEMBERGENSI celebritas saecularis fuit significata.

MAGNIFICE ACADEMIAE RECTOR,
VIRI MAXIME REVERENDI, IVRISCONSVLTISSIMI, EXPERIENTISSIMI, AMPLISSIMI, EXCELLENTISSIMIQVE,
FAVTORES ATQVE AMICI HONORATISSIMI.

QVod summus rerum humanarum moderator, DEVS, bene feliciterque euenire iubeat, auspiciis AVGVSTISSIMI INVICTISSIMIQVE ROMANORVM IMPERATORIS, CAROLI VI, GLORIOSISSIMI PVBLICAE IMPERII ROMANI SALVTIS TRANQVILLITATISQVE CONSERVATORIS, et auctoritate summaque munificentia PERILLVSTRIS AC S. R. I. LIBERAE REIPVBLICAE NORIMBERGENSIS, sigillatimque ILLVSTRIVM AC GENEROSISSIMORVM CVRATORVM, XXVIIII Iunii, quem diuis Petro et Paullo dicatum fasti Christianorum designant, hoc ipso anno, sacrum saeculare pio festoque ritu celebrabit haec nostra Academia; propterea quod iam centesimus labitur annus, ex quo ea, liberalissime procurante

PERILLVSTRI SENATV NORIMBERGENSI, conditore atque Nutritore suo benignissimo, amplioribus iurium priuilegiorumque honoribus ornata est, ac decus dignitatemque literatae societatis, inter uarias rerum humanarum uicissitudines, DEI IMMORTALIS benignitate atque prouidentia, semper feliciter retinuit, hodieque sartam tectamque seruat. Non itaque solo tot aliarum Academiarum exemplo, quibus Numen diuinum eius generis impertiuit felicitatem, adducti, sed ipsa potius pietate gratique animi religione excitati, non possumus, quin tanta tamque eximia beneficia, quae DEO, IMPERATORIBVS, NVTRITORIBVSque nostris, debemus, pie sancteque recolamus, publiceque celebremus, eoque consilio inprimis huius literarum domicilii natalem sacrum festumque habeamus. In cuius piae laetitiae nostrae partes, sicuti optamus, ut pro communibus studiorum liberalium rationibus etiam alii coetus eruditi ueniant; ita pium hoc institutum in uestram notitiam, VIRI CELEBERRIMI, ea, qua decet, obseruantiae significatione perferendum existimauimus, nihil dubitantes, fore, ut, quemadmodum ipsi orbem eruditum, ac sigillatim inclutam Academiam Vitembergensem, uestra eruditione, uestrisque egregiis meritis, nominumque celebritate, ornatis; sic et dignitati faueatis nostrae Academiae, ac saecularia eius solennia bonis faustisque ominibus prosequamini, DEVM aeternum nobiscum ueneraturi, ut porro salutis publicae rationem clementer habeat, hancque literarum sedem etiam in posterum a temporum fortunaeque iniuria defendat, atque suis, quibus fruimur, beneficiis ipsam addat perennitatem. Quod si praeterea, quod peramanter rogamus, literas nostras publicas, huic epistolae additas, in publico Academiae uestrae loco proponi iusseritis, ut solennitatis apud nos celebrandae ratio uestris quoque ciuibus, et per eos aliis, innotescat; maiorem in modum VOBIS deuinciemur: utpote qui ad quaeuis officiorum genera VOBIS approbanda semper paratissimi, Numen diuinum religiose obsecramus, ut uestrae etiam inclutae Academiae felicitatem ex omni parte saluam cumulatamque seruet, atque VOS, quanta ingenii doctrinaeque celebritate, tanto tamque prospero rerum successu, semper florere iubeat. Valete. Dab. Altorfii Norimbergensium, XXVIII Aprilis, A. R. S. cIↃIↃccxxiii.

CELEBERRIMORVM NOMINVM VESTRORVM

cultores studiosissimi,

Rector et Professores Academiae Altorfinae.

Inscriptio:

Viris, Magnifico, maxime Reuerendis, Iurisconsultissimis, Experientissimis, Amplissimis, Excellentissimisque, RECTORI et CONSILIO INCLVTAE ACADEMIAE VITEMBERGENSIS, Dominis Fautoribus et Amicis nostris honoratissimis.

Vitembergam.

In eandem sententiam literae etiam exaratae missaeque sunt ad has INCLVTAS GERMANIAE ACADEMIAS, ERFORDIENSEM, ROSTOCHIENSEM, GRYPHISVVALDENSEM, TVBINGENSEM, MARPVRGENSEM, REGIOMONTANAM, GISSENSEM, RINTELENSEM, ARGENTORATENSEM, DVISBVRGENSEM, et KILONIENSEM.

SECTIO III.

SECTIO III,
qua exhibentur
RESPONSIONES
AD
SUPERIORES ACADEMIAE ALTORF. LITERAS REDDITAE.

I.
Responsio
ILLUSTRISSIMI S. R. I. COMITIS DE WOLFSTEIN.

Unsern geneigten Willen und Gruß zuvor / und was Wir sonsten Liebes und Gutes vermögen.

Magnifice, Hoch-Ehrwürdige / Hoch-Edle / auch Hochgelehrte / besonders Hochgeehrte Herren.

Aus Dero vom 10ten huius an Uns zu erlassen beliebten und dieser Tagen wohl behändigten Notifications-Schreiben haben Wir mit sonderbahrem Vergnügen ersehen / welchergestalten die Universität Altdorf beynahe ihr erstes Jahr-Hundert von ihrer völligen Aufrichtung an / vollendet / und Dieselbe / nach Verordnung E. Wohllöbl. Magistrats der Stadt Nürnberg / als derselben Herren Nutritorum, auf instehendes Petri und Pauli Fest das Gedächtniß dieser Stifftung / dem Höchsten zum Preiß / feyerlich zu begehen gesonnen seyen / auch daß Unsere Hochgeehrte Herren Uns bey solcher Festivität um so mehr / als Unsers in GOtt ruhenden Herrn Groß-Vaters Herr Bruder vor hundert Jahren der Inauguration beygewohnet / und Unsers Herrn Vaters Gnaden b. m. seine studia allda vollbracht / gerne sehen und haben möchten. Wie Wir nun vor die beschehene notification und die Deroselben wegen zugleich intendirt- und mitverfügte wohlgemeinte invitation, zu hiemit erstattenden gantz freund-nachbarlichen Danck Uns verbunden erkennen: Also würden Wir auch nicht unterlassen / sondern Uns eine besondere plaisir davon gemacht haben / solchem solennen Actui mit beyzuwohnen / wann nicht eine Uns fürgefallene nothwendige Reise und andere prægnante Hindernissen davon abhielten. Wir wünschen aber nichts desto weniger von aufrichtigem Gemüth / daß GOtt der Allerhöchste das bevorstehende Festin nicht nur zu allerseitigen Vergnügen glücklich wolle vollbringen / sondern auch noch fernerhin / zu Vermehrung seines grossen Namens Ehre / wie auch zum Nutzen und Wolfahrt des gesamten Publici, diese löbl. Universität bey beständigem Aufnehmen und gesegnetem Wolergehen erhalten / auch

Bayerische Staatsbibliothek München

nicht weniger Unserer Hochgeehrten Herren Ruhm-würdig vorkehrenden Fleiß und getreue Unterrichtung bey all- und jeden Dero untergebenen jungen Leuten ihren erwünschten Endzweck erreichen lassen ; Wir versichern im übrigen anbey / daß / wo Denenselben Wir hinkünftig mehrere nachbarliche Gefälligkeiten / als bishero in Ermangelung der Gelegenheiten geschehen ist / werden erweisen können / Wir keine Occasion aus Handen gehen lassen / sondern bey jeder in freund-nachbarlicher Ergebenheit zeigen werden / daß Wir unter des Höchsten Beschirmungs-Erlassung mit aller sincerité allezeit zu verharren gedencken

Unserer Hochgeehrten Herren

Obern-Sultzbürg / den 20 Iunii 1723.

Dienst-obligirt- und affectionirt-willliger /

Christian Albrecht / Graf von Wolfstein.

Inscriptio:

Denen Magnifico, HochEhrwürdigen / HochEdlen / und Hochgelehrten / unsern besonders Hochgeehrten Herren / Rectori, Decanis, und andern Doctoribus und Professoribus bey des Heil. Röm. Reichs Stadt Nürnberg berühmten Universität Altdorf.

Altdorf.

II.

Responsio

ILLVSTRISSIMI S. R. I. MARESCHALLI HEREDITARII SVBSENIORIS ET COMITIS DE PAPPENHEIM.

Magnifice, HochEhrwürdige / HochEdle / Gestreng und Hochgelehrte / insonders Hochgeehrte Herren.

Ich habe meiner Hochgeehrten Herren an mich unterm 16ten huius abgelassenes Schreiben wohl in Empfang genommen / und daraus die beschehene Invitation zu Mit-Celebrirung auf bevorstehendes Fest Petri Pauli das Gedächtniß der vor hundert Jahren geschehenen vollständigen Aufrichtung und Inauguration der löbl. Universität Altdorf erlesen. Wie nun meinen Hochgeehrten Herren sowohl vor die erstattete Notification als Einladung obligirt bin / und bey diesem Actu Iubilaei ohnfehlbar zu erscheinen ohnermangeln würde / woferne nicht um angesetzte Zeit einiger Fremden gewärtig wäre ; Als will mich hiermit wegen meines Ausbleibens entschuldiget / anbey aber meine wohlmeinende Gratulation dahin mit angehefftet haben / von Hertzen wünschend / daß die Gött-

liche

liche Güte meine Hochgeehrte Herren dieses bevorstehende Iubilaeum in allem Wohlergehen möge celebriren lassen. Der Ich übrigens zu Erzeigung angenehmer Gefälligkeiten verbleibe

Meiner insonders Hochgeehrten Herren

Pappenheim/ den 18 Iunii 1723.

Dienstbereitwilliger/

Friederich Ernst/ nach-ältister Reichs-Erb-Marschall/ Graf und Herr zu Pappenheim.

Inscriptio:

Denen Magnifico, HochEhrwürdigen/ HochEdlen/ Gestreng und Hochgelehrten Herren/ Rectori und sämtlichen Professoribus löbl. des Heil. Röm. Reichs freyen Stadt Nürnberg Universität Altdorf. Meinen insonders Hochgeehrten Herren.

Altdorf.

III.

Responsio INCLVTAE ACADEMIAE HEIDELBERGENSIS.

(Huius et ceterarum inclutarum Academiarum literae secundum aetatem cuiusque, quantum quidem nobis constat, et sine ullius praeiudicio, sunt collocatae.)

MAGNIFICE ACADEMIAE RECTOR,
VIRI MAXIME REVERENDI, IVRISCONSVLTISSIMI,
EXPERIENTISSIMI, AMPLISSIMI,
EXCELLENTISSIMIQVE,
FAVTORES ATQVE AMICI HONORATISSIMI.

ET humanissimis uestris e literis, ad nos superiori mense datis, et e programmate typis descripto, cuius exemplum una nobiscum beneuole communicastis, intelleximus, modo VOS agere annum florentissimae Academiae uestrae secularem, in eoque nunc uersari curam omnem cogitationemque uestram, ut celebretis memoriam optatissimi temporis, quo illa hos ante centum annos maioribus auspiciis et priuilegiis semet ornari et augeri uidit, quae etiam eodem felicitatis gradu inde suis ab incunabulis ad hunc usque diem conseruata stetit. Quem in finem tot beneficia in VOS almamque Matrem uestram diuinitus collata religione deuotissima prosequi decreuistis, idque omni agere studio, quod ad solenniores DEO gratias persoluendas, et ad salutem dignitatemque Ciuitatis uestrae literariae Numini coelesti commendandam declarandamque publicam communemque laetitiam pertinebit. Quibus secularibus sacris, quandoquidem mensis proximi nonum et uicesimum dixistis diem, ipsum quippe quondam Academiae natalitium, non solum ut id sciamus facitis, sed et qui uester in nos mirificus planeque singularis amor est, nos etiam in societatem uenire iubetis plausuum, qui VOBIS dabuntur, fierique uultis participes tot laetissimarum, quae VOS manent, acclamationum, idcirco nos ad illud

 uestrum

ueſtrum ſeculare feſtum futurum dubio procul magnificum et ſplendore tam illuſtris diei dignum, ſane quam honorifice uocatis, atque inuitatis, et a nobis contenditis, ut noſtro ex ordine quosdam delegemus, qui lucem ſolennium ueſtrorum pulcherrimam ipſi ſuis uſurpent oculis, et iuxta cum caeteris, quos expectatis, hoſpitibus coram deguſtent illam ſuauiſſimam animi uoluptatem, quae ueſtrarum e laudum praeconiis, tanquam e multo iucundiſſimo acroamate, percipietur. Immortales VOBIS propterea, VIRI CELEBERRIMI, gratias agimus, VOBISque confirmamus, fore, ut, dum quisque noſtrum ſua ſpirabit anima, honorem ampliſſimum, inuitatione ueſtra nobis exhibitum, ſempiterna cuſtodiamus memoria. Quomodo etiam nihil nobis auditu erit iucundius, quam inclytas Muſas Noricas optatiſſima florere felicitate; quarum cauſa nunc etiam impenſiſſime gaudemus, et PERILLVSTRI S. R. I. LIBERAE REIPVBLICAE NORIMBERGENSI de ſapientiſſimo conſilio, quo ILLA ueſtram condidit ſcientiarum et artium pulcherrimarum, ueraeque uirtutis officinam, deque praeclaris tum operae, tum ſumtuum, tam prudenter collocatorum perceptis inde fructibus, cumprimis autem de illuſtribus, quae ILLA hinc ſibi conciliauit, aeternarum laudum ornamentis; tum VOBIS etiam uel maxime gratulantes de nouo, quod propediem ordiemini, ſeculo, deque optatiſſimo rerum ueſtrarum curſu, et de tot ſummis ingeniis, quibus inde ab ipſa origine ſua illuſtratae fuerunt clariſſimae Muſae ueſtrae, deque caeteris fortunae ueſtrae literariae muneribus; quibus ut Numen coeleſte perpetuitatem addat, uouemus ac optamus, et, quod reliquum eſt, VOS certiores facimus, quod non modo transmiſſas nobis tabulas, feſtum illud ſolenne veſtrum indicentes proponendas in publico curauerimus, ſed etiam communi decreuerimus conſenſu, (niſi quid forte, quo prohibeamur, incidat,) noſtro ex ordine quem ad VOS ablegare, qui laetitiae noſtrae teſtis et interpres ſit, et pro inclytae reipublicae ueſtrae literariae pace, otio, tranquillitate, proque ſalute et incremento eius, perennique ueſtro decore, noſtro et noſtratium nomine uota ſuſcipiat, VOSque ac ueſtra omnia praeſidi Academiarum cuſtodique DEO commendet. Valete, VIRI EXCELLENTISSIMI, et ſaluete a

CELEBERRIMORVM NOMINVM VESTRORVM

Dabamus Heidelbergae,
d. 29 Maii A. O. R.
MDCCXXIII.

Cultoribus ſtudioſiſſimis,

ProRectore ac Profeſſoribus
Electoralis Academiae Heidelbergenſis.

Inſcriptio:

Viris, Magnifico, maxime Reuerendis, Iurisconſultiſſimis, Experientiſſimis, Ampliſſimis, Excellentiſſimisque, RECTORI, DECANIS, et PROFESSORIBVS INCLYTAE ACADEMIAE ALTORFINAE, Dominis Fautoribus et Amicis noſtris honoratiſſimis.

Altorfium.

IIII. Re-

IIII.

Reſponſio INCLVTAE ACADEMIAE ERFVRTENSIS.

MAGNIFICE DOMINE RECTOR,
SPECTABILES DOMINI DECANI,
PLVRIMVM REVERENDI, PRAENOBILES, CONSVLTISSIMI,
EXPERIENTISSIMI, OMNIVM FACVLTATVM
DOCTORES, PROFESSORES,
DOMINI COLENDISSIMI.

VTi ex literis ueſtris humanitate et beneuolentia pleniſſimis non ſine iubilo intelleximus, celebrandam iubilaei ſolennitatem Academiae ueſtrae propediem imminere; ita pari affectu et ſummis animorum gaudiis florentiſſimae ueſtrae Altorfinae de hac ſaeculari ſolennitate gratulamur, et ſimul conteſtamur, nos uel maxime in gaudia effuſos, quod haec Muſarum ſedes inter tot bellorum tumultus uariosque hoſtium inſultus hucusque uelut rupes immota ſteterit, nec quicquam ſiniſtri ſacra Pallas a Marte paſſa fuerit, ſed haec potius ſub Angeli Norinbergenſis laurea, ſub Pacis olea, (qua nihil exoptabilius, nihil felicius Muſis eſſe poteſt,) centenarios ſui laboris fructus producere potuerit: de quo ſupremo Numini non tantum centum, imo mille gratiarum actiones ſunt reddendae; ſed etiam a nobis uobiscum unitis precibus et uotis ſupplicibus Diuinum Numen implorandum, ut talis publica ſolennitas Academiae ueſtrae celeberrimae in Vrbis Norinbergenſis ornamentum, et orbis literarii incrementum, ſaepius affulgeat. Sit Academia ueſtra immortalis Phoenix, qui nunquam moriatur, nouos potius centenario hoc anno ſpiritus aſſumat, ſemperque perennet: ex erudito cinere centenarii Phoenicis Altorfini euolet nouus reſtauratis uiribus, ſub cuius alis plurima ſtudioſorum ingenia ad altiora ſcientiarum arcana auolare diſcant. Transmiſſum programma ualuis Academicis, in noſtrae iuuentutis incitamentum, affigi curabimus, ut omnis Senatus Populusque Academicus ſciat, quae ſolennia inſtanti menſe Iunio Altorfi peragentur. Vos denique Ampliſſimos Vniuerſitatis Proceres certos his eſſe iubemus, nos, ſi quouis modo ad ſaecularis huius ſolennitatis augmentum quid conferre et contribuere poſſimus, promptiſſimos eſſe futuros, nec deinceps quicquam, quod utriusque Academiae continuum et arctiorem amicitiae nexum conciliare poterit, unquam omiſſuros. Summum Numen conſeruet vos una cum illuſtriſſimis REIPVBLICAE NORINBERGENSIS NVTRITORIBVS, Muſarum Altorfinarum Moecenatibus, ſaluos et incolumes. Ita uouemus Erfurti, die 3 Iunii A. R. N. MDCCXXIII.

MAGNIFICARVM ET EXCELLENTISSIMARVM DD. VV.

paratiſſimi,

ProRector, Decani, Doctores et Profeſſores
Vniuerſitatis Electoralis huiatis.

Inſcriptio:

Magnifico Domino RECTORI, Maxime Reuerendis, Praenobilibus, Conſultiſſimis, Experientiſſimis, atque Excellentiſſimis omnium Facultatum Dominis DECANIS, DOCTORIBVS ac PROFESSORIBVS Celeberrimae VNIVERSITATIS ALTORFINAE, Fautoribus et Amicis noſtris Colendiſſimis. Altorfii.

V.

Reſponſio INCLVTAE ACADEMIAE LIPSIENSIS.

RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICE,
VIRI MAXIME REVERENDI, IVRISCONSVLTISSIMI, EXPERIENTISSIMI, AMPLISSIMI, EXCELLENTISSIMIQVE,
FAVTORES ATQVE AMICI HONORATISSIMI.

Diuini Numinis gratia et prouidentia ſingulari accidit, ut Academiarum, in quibus lux ueritatis Chriſtianae accenſa et inſtaurata fuit ſeculis ſuperioribus, una poſt alteram feſtiuitatem ſuam ſaecularem celebret. Felicitas haec non noſtrae ſaltim Academiae et Vitembergenſi, ſed et aliis quibusdam Vniuerſitatibus Lutherano-Euangelicis, bonis auſpiciis, uel ipſa aetate noſtra, obtigit. Hincque hoc magis laetamur, quod, ut in gaudii ueſtri ſaecularis ſocietatem ueniamus, litteris nos honorificis, quibus programma ſolemne adiectum erat, compellare uolueritis, in amoris ueſtri erga nos prolixiſſimi ſignum. Domicilium ſapientiae et uirtutis felix admodum fuit Athenaeum ueſtrum per elapſum ſeculum; et ex eo magna ſatis uirorum doctrina et prudentia florentium copia prodiit ad rem litterariam ornandam, ad Eccleſiam tuendam, et ad ciuitatem iuuandam. Qua de felicitate, poſteris memoranda, tum VOBISMETIPSIS, Viri ſpectatiſſimi, celeberrimique, tum NVTRITORIBVS ueſtris Perilluſtribus, et Generoſiſſimis cumprimis Academiae ueſtrae CVRATORIBVS, merito gratulamur. Agite igitur ſacrum ueſtrum ſaeculare ſoſpites atque felices; et quandoquidem, propter longinquitatem itineris, nobis, utut tam comiter inuitatis, praeſentibus eſſe non licet in ſpectaculis doctrinae et uirtutis ſolemniter edendis, adiectum interea CARMEN VOTIVVM, uelut amoris noſtri integerrimi pignus et teſtem, accipite. Et, ſi VOBIS ita quoque uiſum, et CVRATORIBVS Academiae ueſtrae excellentiſſimis, uirum aliquem grauem beneque merentem, et in ipſa quondam Alma noſtra enutritum delegate, qui noſtri loco ſacris ueſtris ſaecularibus adſit. Nos abſentes DEO gaudia inter ueſtra ſupplicabimus, ut REMPVBLICAM NORIMBERGENSEM ſaluam et incolumem, et ACADEMIAM VESTRAM florentem, perpetuo eſſe iubeat. Dab. Lipſiae, die XV Iunii A. MDCCXXIII.

CELEBERRIMORVM NOMINVM VESTRORVM

cultores ſtudioſiſſimi,
RECTOR, Magiſtri et Doctores
Academiae Lipſienſis.

Inſcriptio:

Viris, Magnifico, maxime Reuerendis, Iurisconſultiſſimis, Experientiſſimis, Ampliſſimis, Excellentiſſimisque, INCLYTAE ACADEMIAE ALTORFINAE RECTORI et PROFESSORIBVS, Fautoribus et Amicis noſtris honoratiſſimis.

Altorfium.

VI. Re-

VI.

Responsio INCLVTAE ACADEMIAE ROSTOCHIENSIS.

MAGNIFICE ACADEMIAE RECTOR,
VIRI MAXIME REVERENDI, IVRISCONSVLTISSIMI,
AMPLISSIMI, EXCELLENTISSIMIQVE,
FAVTORES ATQVE AMICI HONORATISSIMI!

Literas uestras die 23 Aprilis ad nos datas, magna animi laetitia accepimus, sed maiori adhuc gaudio perfusi sumus, quando ex illis intelleximus, Academiam uestram sacrum seculare in die diuis Petro et Paulo dicato hoc anno celebraturam fore, quod iam centesimus labitur annus, ex quo magno studiorum successu, hinc orbis literarii emolumento singulari, eadem uiguit ac floruit. Gratulamur sane VOBIS et de perenni DEI ter optimi amore in erigenda, sed et de REIPVBLICAE NORIMBERGENSIS sollicitudinibus in conseruanda tam celsa Musarum sede, ac quidem uestra est, ut non possimus, quin toti rapiamur in societatem uestrae dulcedinis, quam abunde ipsi percipitis, et omnes, qui Musis fauent, sibi propriam unanimi consensu faciunt. Nobis equidem tertium Iubilaeum Academicum non ita pridem meditantibus tristia obstitere fata et discrimina, terras Megapolenses exercentia, hanc quoque intulerunt iniuriam, ut in publicum laetitiam inde nostram gratesque DEO sospitatori nostro sacras pio corde ac calamo laeto diffundere minus licuerit. Nec tamen spes omnis decollat, aliquando, utinam quantocius! nostram Almam ad morem aliarum iamque uestrae, fore de perennitate et uictoriis pro salute studiorum per ter centum annos reportatis, magno omnium bonorum applausu triumphaturam; hinc VOS iterum in societatem nostrorum gaudiorum amice et corditus inuitare licebit. Desideriis uestris, VIRI CELEBERRIMI, quando uoluistis literas uestras publicas solennitatem memoratam intimantes, in publico Academiae nostrae loco proponi, perlubenter uoluimus assurgere, nostrisque ciuibus de tabula publica notitiam eius omni diligentia commendare. Rogamus insuper DEVM deuotissimis suspiriis, ut porro, ac in hunc usque diem suauiter obtinuit, REMPVBLICAM NORIMBERGENSEM aeque ac Almam uestram sibi uelit esse commendatissimam. Seruet in hac, tam quos doctrina et probitas reddidit toti orbi commendatissimos, quam augeat in dies discentium numerum ac ardorem in gloriae diuinae uberrimam segetem, ac reipublicae literariae incrementum ac solatium. Valete, et uestro porro amore nos prosequi non desistite. Dab. Rostochii, d. 21 Maii A. cIↃIↃCCXXIII.

CELEBERRIMORVM NOMINVM VESTRORVM

Cultores studiosissimi,

Rector et Professores Academiae Rostochiensis.

Inscriptio:

Viris, Magnifico, maxime Reuerendis, Iurisconsultissimis, Experientissimis, Amplissimis, Excellentissimisque, RECTORI et CONCILIO INCLYTAE ACADEMIAE ALTORFIANAE, Dominis Fautoribus et Amicis nostris honoratissimis.

Altorfii.

VII.

Responsio INCLVTAE ACADEMIAE GRYPHISVVALDENSIS.

MAGNIFICE ACADEMIAE RECTOR,
VIRI MAXIME REVERENDI, IVRISCONSVLTISSIMI,
EXPERIENTISSIMI, AMPLISSIMI,
EXCELLENTISSIMIQVE,
FAVTORES ATQVE AMICI HONORATISSIMI.

PLurimum iucunditatis nobis attulerunt literae uestrae, prolixi in nos affectus, studii, humanitatis, officii uestri, plenissimae. In magno honore magnaque gratia posuimus, quod nobis per eas Academiae uestrae natalis diei secularis actionem significaueritis. Qua de re gratias VOBIS habemus, quas possumus, maximas. Non possumus non VOBIS confiteri, nos omnes maximo fuisse quam cumulatissime perfusos gaudio, istum VOBIS illuxisse diem auspicatissimum, quo oculis et auribus et sensibus et animis uestris colligere potuistis uoluptates et maximas, et fere innumerabiles. Quod a nobis petiuistis, desiderio uestro nos summa cum cura, summaque cum diligentia, in eo satisfecisse arbitramur. Programma enim uestrum ad nos missum, quo ciuibus Academicis nostris, et per eos etiam aliis, solenne Academiae uestrae festum innotesceret, in Academia nostra publico loco affigendum, et literas uestras, literis nostris additas, et ad Academiam Vpsaliensem destinatas, transmittendas curauimus. Cum uotis uestris uota nostra, pro ea, quae inter omnes literatos intercedit, coniunctione, coniungimus, quibus inclinationem in VOS nostram, intimis animi penetralibus conceptam, exprimimus, DEVMque optimum maximum imploramus, qui tenet imperio omnia, sapientia regit, implet ac sustinet Numine, ut audiat haec uota, ut audiat haec desideria sanctissima, ut audiat et perficiat, quae estis iam precati, et semper deinceps precabimini. Nimirum, ut AVGVSTISSIMVM INVICTISSIMVMQVE ROMANORVM IMPERATOREM, CAROLVM VI, perpetuo foueat, tueatur ac prosperet. Vt regat Eius consilia, ut nunquam aberrent: ut actionibus Eius interueniat, ut felicissime semper exeant: ut ipsos successus confirmet, augeat, prouehat, ut Pius, Felix, Iustus, imperet. Vt PERILLVSTRIS et S. R. I. LIBERAE REIPVBLICAE NORIMBERGENSIS PERILLVSTREM et GENEROSISSIMVM SENATVM, NVTRITOREM Academiae uestrae benignissimum, Amplificatorem dignitatis uestrae excellentissimum, omni maximorum bonorum genere quam largissime cumulet, recentique semper gloria et felicitate augeat. Vt Academiam uestram, illam elegantiae et doctrinae sedem, sapientiae palaestram, ferax ingeniorum seminarium, Musarum domicilium, Palladis officinam, comitatis et morum magistram, et PATRIAE et VOBIS diutissime seruet florentissimam. Vt VOS et Academiam uestram ab omnibus temporum fortunaeque iniquitatibus defendat, uestrisque beneficiis, eorumque fructibus, ipsam addat perennitatem. Vt illa uestra Laurus non solum in oculos, sed et in uoculas hominum eruditissimorum, summo cum splendore summaque cum laude et gloria incurrat, et sic amplificetur, ut nihil addi posse uideatur. Si quid insuper est, quod iuuandis rebus uestris facturum intelligetis, et a nobis expediri poterit, paratissimos nos VOBIS, et plane uestros, censete.

Nihil

Nihil enim unquam in nobis patiemur deſiderari, quo, quantum fieri poterit, deſiderio ueſtro poſſit ſatisfieri et commodum ueſtrum promoueri. Vnicum uero nobis deſiderium erit, deſideria ueſtra et hic et alibi explere. Qui omnem officiorum noſtrorum cultum VOBIS omnibus offerimus, et humanitati ueſtrae plurimum adſtrictos nos agnoſcimus. Valete, VIRI incomparabiles, omnibusque ingenii doctrinaeque praeſidiis inſtructiſſimi, et nos et noſtram Academiam, qui Vos et ueſtram Academiam amamus, amare non deſiſtite. Dab. Gryphisvvaldiae, A. O. R. MDCCXXIII.

CELEBERRIMORVM NOMINVM VESTRORVM

Cultores ſtudioſiſſimi,

Rector et Profeſſores Academiae

Gryphisvvaldenſis.

Inſcriptio:

Viris, Magnifico Academiae RECTORI, maxime Reuerendis, Iurisconſultiſſimis, Experientiſſimis, Ampliſſimis, Excellentiſſimisque, DECANIS et PROFESSORIBVS INCLYTAE ACADEMIAE ALTORFINAE NORIMBERGENSIVM, Dominis Fautoribus et Amicis noſtris honoratiſſimis.

Altorfium.

VIII.

Reſponſio INCLVTAE ACADEMIAE INGOLSTADIENSIS.

NOBILIS, MAGNIFICE ET EXCELLENTISSIME DOMINE RECTOR,

CAETERIQVE

NOBILES, CLARISSIMI, EXCELLENTISSIMIQVE DD. PROFESSORES,

FAVTORES HONORANDISSIMI.

MAgna animi uoluptate ex datis ad Nos humaniſſimis litteris percepimus, VIRI Clariſſimi, ſaecularem celebritatem, qua Alma et Electoralis Vniuerſitas noſtra iam ſemel iterumque gauiſa eſt, Inclytae quoque Academiae ueſtrae Altorfinae iam iam felici ſydere imminere. Equidem perlubentes uenimus in partem laetitiae ueſtrae, cuius non ſolum indigenas, uerum etiam exteros, participes eſſe peramice uoluiſtis. Quin adeo ſpeciali Nos honoris non minus quam beneuolentiae ſignificatione affectos reputamus, quod ſaecularis ueſtrae ſolennitatis certiores nos reddere, ad eamque perofficioſe inuitare non intermiſeritis. Pro quo proin erga Nos ſtudio ueſtro, eas, quas par eſt, gratias unanimi uoluntatum noſtrarum conſenſu habemus, agimusque. Etenim ex hac ueſtra in Nos officioſa humanitate luculenter Nobis patuit, Inclytam Academiam Altorfinam non tantum loci uicinitate, et communi litterarum altiorum cognitione, ſed etiam (quod iure meritoque permagni aeſtimamus,) beneuolo animorum affectu Vniuerſitati Noſtrae eſſe coniunctam. Quare ſinceris uiciſſim animis gratulamur VOBIS, VIRI CLARISSIMI, quod ſaecularis periodi circulus, qui moderante Diuina Prouidentia, ſub Glorioſiſſimis auſpiciis

ROMANORVM CAESARVM, et perilluſtris SENATVS NORIMBERGENSIS, centenis abhinc annis, feliciter inchoatus fuerat, ueſtra nunc potiſſimum aetate, eadem Diuina Prouidentia aſpirante, auſpiciis INVICTISSIMI AVGVSTISSIMIque ROMANORVM IMPERATORIS, CAROLI VI, itemque REIPVBLICAE NORIMBERGENSIS auctoritate, liberalitateque, ſuperatis temporum iniuriis, feliciter terminetur, non quidem, ut obtento iam fine quieſcat, ſed ut in nouas feliciſſimi curſus reuolutiones indeſinenter redire incipiat, pergatque. Regem uero ſaeculorum immortalem et inuiſibilem, ſolum DEVM (cui honor et gloria in ſaecula ſaeculorum,) communibus Vobiscum ſtudiis laudamus atque benedicimus, quod ueſtra ac Maiorum ueſtrorum uota tam benigne adimplere dignatus ſit; Eundem ſimul impenſiſſimis precamur deſideriis, Vobisque ex animo optamus, ut, quemadmodum idem DEVS optimus maximus inclytae Academiae ueſtrae eam diem uoluit eſſe Natalem ſimul ac ſaecularem, quae ſanctis et ipſius DEI intuitu iure merito uenerandis Apoſtolis totius orbis Rectoribus atque Doctoribus, PETRO, PAVLOque, antiquiſſima religione conſecrata eſt; ita praedictam inclytam Academiam ueſtram iis perpetuo beet atque illuſtret Rectoribus atque Doctoribus, qui fulgeant quaſi ſplendor firmamenti: et poſtquam ſplendidiſſima ſanae doctrinae luce ad iuſtitiam erudierint multos, tandem luceant quaſi ſtellae in perpetuas aeternitates.

Caeterum, quod unius alicuius e Noſtris praeſentiam peramice petiiſtis, qui Almae et Electoralis Academiae noſtrae nomine, celeberrimae ueſtrae ſolennitati interſit, ſicuti id peculiaris beneuolentiae loco cumprimis habemus, ita dolemus, quod hac in parte petitioni ueſtrae obſecundare, non ſit integrum. Etenim uergente iam ad finem anno litterario, frequentes adeo Examinum, uariorumque Actuum publicorum Nobis incumbunt labores, ut iis Nos uel ad tempus ſubtrahere nefas ſit. Quare ueniam a VOBIS ſperamus, VIRI CLARISSIMI, ſi unius e Nobis abſentiam compenſare ſtudeant Noſtrum ſinguli, qui et ueſtrae erga Nos amicitiae beneuolentiaeque memoriam conſeruabunt perpetuam, reciprocis uero erga VOS ac inclytam Academiam ueſtram officiis, prout uires et occaſio tulerit, nunquam ſunt defuturi. Valete. Ingolſtadii, die 11 Iunii Anno 1723.

DOMINATIONVM VESTRARVM HONORATISSIMARVM

ad omnia obſequia parati

Rector,

Decani, Doctores, Conſiliarii

Electores, et Profeſſores in Alma Catholica et Electorali Vniuerſitate Ingolſtadiana.

Inſcriptio:

Nobili, Magnifico et Excellentiſſimo Domino RECTORI, caeterisque Nobilibus, Clariſſimis, Excellentiſſimisque D. D. DECANIS, DOCTORIBVS et PROFESSORIBVS INCLYTAE NORIMBERGENSIS VNIVERSITATIS ALTORFINAE, Fautoribus Honoratiſſimis.

Altorfium.

VIIII. Re-

VIIII.

Responsio INCLVTAE ACADEMIAE TVBINGENSIS.

VIRI MAGNIFICI,

MAXIME REVERENDI, IVRISCONSVLTISSIMI, EXPERIENTISSIMI, AMPLISSIMI, ATQVE EXCELLENTISSIMI,

FAVTORES ATQVE AMICI HONORATISSIMI.

QVemadmodum ipsis melioribus litteris ii demum suum quam rectissime statuunt pretium, qui experiundo didicerunt penitusque ad felicitatem illas nostram, temporalem non minus, quam aeternam, mirum quantum conferre, ac rem, priuatam aeque ac publicam, omnem continere, augere atque seruare, intellexerunt: ita Musarum etiam sedes, scholasque, ubi bonae artes inprimis docentur ac uigent, nemo facit maius, nemo colit sanctius, nemo earum flore atque incrementis laetius delectatur ac triumphat, quam qui pensiculatius ista expendit, publicaeque salutis, pro eo ac par est, habet rationem. Quo quum etiam NOS, VIRI MAGNIFICI atque EXCELLENTISSIMI, et bonum, quod nunquam non curae Nobis praecipue est cordique, publicum, et munerum, quae DEI beneficio ac prouisu gerimus atque pro uiribus nostris exornare contendimus, ratio, et ipse denique rerum usus, esse adfectos animo iubeat: uel ipsi coniicietis, quanto nos gaudio humanissimae uestrae litterae, quibus secularium celeberrimae Academiae uestrae sacrorum die XXIX Iunii pio festoque ritu, quae DEI inprimis indulgentia est, celebrandorum nos amicissime admonuistis, atque ad communia Vobiscum gaudia et uota inuitastis, perfuderint. Celebramus Vobiscum diuinum in coelis Numen, quod ea Vos felicitate, eximia prorsus ac minime cottidiana, mactos benignissimum uoluit. Laudamus supremum omnis sapientiae et boni Auctorem Statoremque, qui Vobis, VIRI MAGNIFICI ac EXCELLENTISSIMI, qui Scholae uestrae, insigni admodum dudumque celebri elegantiorum litterarum et optumarum scientiarum sacrario, qui rebus denique uestris omnibus per uertens iam seculum tam clementer praesto fuit fauitque, ut uestra cuncta in pulcerrimam exoptatissimamque, qua iam iure meritoque laetamini omnes, effloruerint conditionem. Vti de coetero sollemnium uestrorum nostros quoque Ciues, facta ipsis litterarum uestrarum publicarum publico, uti uoluistis, e loco copia, certiores fecimus, atque ad quaeuis aduersus Vos uestramque Vniuersitatem pietatis officia accendimus: ita nec ipso die Vobis festo, quem ex omni parte hilarem Vobis illucescere uolumus, nostro apud DEVM officio vestra caussa deerimus, ipsi iuxta cum Ciuibus nostris (e quibus tres potissimum, hosque inter duo duorum celeberrimorum ex Ordine nostro ICtorum filii florentissimi, moderatore nostro eloquentiae Professore, in publica Panegyri sollemnibus Orationibus suam Vobis pietatem probare adnitentur) pro perillustris REIPVBLICAE NORIMBERGENSIS non tantum, sed uestrae Academiae uestrarumque etiam munerum et meritorum dignitate clarissimarum fami-

liarum felicitate, quoad res hominum admittunt, omnibus numeris abſoluta, incrementis exoptatis et flore intemerato conſtantique religioſiſſima precum contentione ſupplicaturi. Ita, VIRI CELEBERRIMI, ualete. Dab. Tubing. A. R. S. CIↃ IↃCCXXIII, d. I Iun.

CELEBERRIMORVM NOMINVM VESTRORVM

Cultores ſtudioſiſſimi,

Rector, Cancellarius, et Profeſſores

Academiae Tubingenſis.

Inſcriptio:

Viris Magnificis, maxime Reuerendis, Iurisconſultiſſimis, Experientiſſimis, Ampliſſimis, atque Excellentiſſimis, RECTORI, PROCANCELLARIO et PROFESSORIBVS INCLVTAE ACADEMIAE ALTORFINAE, Dominis Fautoribus et Amicis noſtris honoratiſſimis. Altorfium.

X.

Reſponſio INCLVTAE ACADEMIAE VPSALIENSIS. (*)

MAGNIFICE VNIVERSITATIS RECTOR,
VIRI MAXIME REVERENDI, IVRISCONSVLTISSIMI, EXPERIENTISSIMI, AMPLISSIMI, EXCELLENTISSIMIQVE,
FAVTORES ATQVE AMICI HONORATISSIMI.

QVemadmodum, VIRI CELEBERRIMI, nihil nobis prius, nihil antiquius eſt, quam ut de communi omnium Veſtrum incolumitate, perpetuoque inclutae Vniuerſitatis ueſtrae flore, certiores reddamur: ita nec laetitiam, ex literis ueſtris nuper allatis conceptam, uerbis ſatis exprimere poſſumus. Etenim praeter ſingularem illam ueſtram animi propenſionem, quam et nobis ipſis et Noſtris omni ex parte ſaepius declaraſtis, illamque et ſtudiorum et animorum coniunctionem, quae antiquitus inter nos inuicem obtinuit; id quoque gratiſſimum nobis eſt percipere, VOS iam in eo eſſe, ut auſpiciis SACRATISSIMI POTENTISSIMIQVE ROMANORVM IMPERATORIS, CAROLI VI, itemque auctoritate et munificentia PERILLVSTRIS SENATVS INCLVTAE et S. R. I. LIBERAE REIPVBLICAE NORIMBERGENSIS, natalem literatae ueſtrae ciuitatis ſecularem feſto ſolennique ritu celebretis. Quo nomine VOBIS ex animo gratulamur; hanc Diuini Numinis gratiam, cuius ope per uaria temporum diſcrimina eluctati eſtis, nunquam non pie ueneraturi. Nec magis quidquam in uotis cuilibet noſtrum eſt, quam ut celeberrima illa ueſtra ſanioris doctrinae uirtutumque officina perenni ſucceſſu ac proſperitate floreat, plurima porro numeret decora, multosque in ſumma tranquillitate

(*) Ex Olai Magni *Hiſtor. Septentr. L. I, c. 32*; et Io. Loccenii *Hiſtor. Suec. Libr. V, p. 160*, item Io. Meſſenii *Scondia illuſtrata, T. IV, p. 37*, aliisque Scriptoribus, intelligimus, illuſtrem hanc Academiam, auſpiciis et munificentia Glorioſiſſimi Sueciae Pro-Regis, STENONIS STVRE, praeſidente et curante Archiepiſcopo *Iacobo Vlphone*, ſurrexiſſe, et A. CIↃCCCCLXXVII, d. XXI Sept. ſolenniter inauguratam eſſe.

quillitate ac bonorum omnium adfluentia natales transigat. Sic profecto VOBIS de beneuolentia nostra constabit, per indefessa in VOS Vestrosque officia, per incorruptam omni tempore fidem, per diutissima prosperitatis uota: quum et nobis multiplici documento perspectus sit summus uester in iuuenes nostros, quibus VOS adire contigit, fauor, supra et nostrum et omne eorum praeconium longissime positus. Nec cum iis, quorum haud pauci uiui adhuc eruditionis uestrae testes sunt, uestra cessabit memoria, uestrique in nomen Suecanum adfectus recordatio; sed VOS uestraque in eos merita historiarum monumenta loquentur, firmabit annalium fides. Atque sic fiet, ut mutuum illud, quod inter nos est, semperque fuit, amoris ac beneuolentiae uinculum, nulla uel locorum intercapedine, uel temporum iniquitate, disrumpendum sit. Valete. Dab. Vpsaliae, die XIIII Iunii. MDCCXXIII.

CELEBERRIMORVM NOMINVM VESTRORVM

cultores studiosissimi,

Ioannes Restelius, h. t. Rector,
et Senatus Acad. Vpsaliensis.

Inscriptio:

Viris, Magnifico, maxime Reuerendis, Iurisconsultissimis, Experientissimis, Amplissimis, Excellentissimisque, RECTORI et SENATVI INCLVTAE VNIVERSITATIS ALTORFINAE, Dominis Fautoribus et Amicis nostris honoratissimis.

Altorfium.

XI.

Responsio INCLVTAE ACADEMIAE HAVNIENSIS. (**)

MAGNIFICE VNIVERSITATIS RECTOR,
PROFESSORES MAXIME REVERENDI, IVRISCONSVLTISSIMI,
EXPERIENTISSIMI, AMPLISSIMI, EXCELLENTISSIMIQVE,
FAVTORES ATQVE AMICI HONORATISSIMI!

IAmdudum nuncia celebritatis, quae secularis in Academia uestra agebatur, fama in nostras oras penetrauerat, erectosque ad congratulandum tam exoptatae felicitati omnium animos non leui gaudio affecerat, cum ecce, literis summa humanitate ad nos scriptis, publicaque et typis impressa tabula eisdem addita, ultro in participa-

(**) De aetate sua ipsa haec illustris Academia ita scripsit in literis ad illustrem Viadrinam, A. cIↄIↄccvi, prid. Non. Martii, datis: *Poterat equidem Vniuersitas Regia Hafniensis ulterius aetatem extendere, ad tempora scilicet* ERYCI POMERANI, *qui iuxta Bullam Pontificis Romani,* MARTINI V, *qualis in Archiuis Vniuersitatis nostrae custoditur, item Vniuersitatem condere moliebatur; nisi mallet Eum se habere conditorem, Augustissimum scil. Monarcham,* CHRISTIANVM I, *qui A.* cIↄCCCCLXXIX, *Calendis Iuniis, eam instituit, et in Dania summa adhuc dexteritate et non interrupta successione fasces Imperii gerentem Familiam Oldenburgicam condidit.*

tum tantae laetitiae euocamur. Queis quidem uti ſingularem in Vniuerſitatem hanc, nosque adeo, tanto locorum interuallo a VOBIS disiunctos, beneuolentiam teſtati eſtis, ita ne minora uiciſſim a nobis exſpectetis, neue in communi literati orbis applauſu meritiſſimum fauorem ac ſtudia deſideretis noſtra, effeciſtis. At erat praeterea cauſarum ſatis, quae hoc quicquid eſſet officii, ſancti omnino et honeſtiſſimi, a nobis exigerent. Siue enim celebritatem Athenaei ueſtri, tantam utique, ut maiora uix capiat incrementa, ſiue commune illud uinculum, quo literariae inter ſe ſocietates ſunt colligatae, ſiue denique arctiorem multo conſociationem ſacrorum, eadem apud VOS ſinceritate, qua per inaeſtimabile Diuini Numinis beneficium in Eccleſiis et ſcholis noſtris, traditorum, reſpiciamus, nullum eorum eſt profecto, quod non ſingulari ſuo iure ad praeſtandum illud nos compelleret, ac ne inuitatos quidem etiam inſtigaret. Quantumcunque uero haec ſingula momenti habeant, ut habent plurimum, tamen haud fieri potuit, quin obnoxiam magis reddiderit pietatem noſtram inſignis illa erga nos uoluntas et ſtudium, tam magnifice amplisque adeo effuſis laudibus declaratum, ut, etiamſi in iſtis modum VOS exceſſiſſe agnoſcendum ſit, iniuſti eſſemus tamen, niſi profiteremur, quanti fauorem ueſtrum in eisdem conſpicue elucentem aeſtimemus, quamque iucunda nobis acciderit beneuolentiae tantae ſignificatio. Atque hanc tanto praeclariorem haberi fas eſt, quanto in maiore VOS certioreque eſtis gloria, qui iſtam editis, cum ſapientum iudicio hae demum gratiſſimae omnium ſint laudes, quae a laudatis Viris proficiſcuntur. Caeterum habet etiam hoc ipſum, quod faciliorem eis, qui a VOBIS ſic ornantur, operam compenſandi efficit. Eo ſcilicet, quod copioſe, unde honorare uiciſſim VOS licebit, ſuppeditatis: quodque ueſtrarum laudum materiam non anxie inueſtigandam eſſe, non quaeſitis eloquentiae floribus decorandam, ſed apparatam iam antea, ſed inſtructam a VOBIS ipſis, ſponteque ſeſe adeo offerentem, unusquisque ſentit. Etenim tam hoſpes nemo uiuit in ſocietate hominum literis deditorum, rerumue eius ignarus, qui non aſſuetas dudum aures famae et praedicationi Academiae Altorfinae habeat. Ita nempe feliciſſima haec Muſarum ſedes, ab incunabulis ſuis usque in hunc diem maximorum Virorum hoſpitio nobilitata fuit, tantosque ibi progreſſus fecit, illuſtrium ingeniorum ope, omnis generis ſapientia, ut quae anteferri ei poſſit, per illud, quo et nata eſt, ſeculum, et effloruit, ſiue copia, ſeu induſtria et claritate doctorum hominum, uix alia ſe ulla offerat. Et quis usquam eſt, qui ſine ueneratione recordatur tot lumina eruditionis, quae apud VOS inclaruere, tot diuina uirtute Viros, ſanctiorum aeque ac humaniorum ſcientiarum uindices, quorum inſigni numero una ueſtra Academia gloriatur, quorumque nomina iampridem orbi et aeternitati intulit? Quis non pari admiratione ſuſpicit, quos eiusdem Academiae fortuna gloriae ſuae publicaeque ſtudiorum utilitati adhuc ſeruat? Et priorum quidem memoriam atque famam ut inſtaurare nuper, atque elegantibus ſcriptis ad poſteritatem transmittere VOS coepiſtis, ita ut eandem VOBIS gratiam, digniſſimis utpote illorum ſucceſſoribus, par cura poſterorum referat, promeremini. Reſtabat, ut iſtis modo caeterisque meritis ueſtris hanc, quam nouiſſime comparaſtis, generoſae pietatis laudem adiiceretis, quam et propriam poteſtis appellare, et glorioſam VOBIS

ut

ut maxime, totius melioris orbis conſenſu, reddidiſtis. Quod enim certius potuiſſet ſeu uirtutis ueſtrae, ſiue gloriae argumentum dari, quam cum, laudatiſſima quaeque Academiarum exempla imitati, illum longe auſpicatiſſimum diem, quo dicatam a ſapientiſſima Republica Religioni et Doctrinae aedem maiores ueſtri conſecrauerunt, VOS, natalem ueluti, tam propenſis ſtudiis agitaſtis? Cumque ſecularia inter uota, inter conceptas preces gratesque Numini immortali redditas, generoſiſſimos iſtos homines, per quos emolumentum publicum tantique beneficii amplitudo iam olim parta, inſigniter hucusque creuit, piis celebrationibus extuliſtis? Ita nempe et illi optatiſſimum munificentiae ſuae tulerunt fructum, et VOS pariter, impletis omnium, quas Academia ueſtra numerat, aetatum uotis, dum PERILLVSTRI REIPVBLICAE aeternam ſeruatae literarum gloriae coronam texitis, infinitam utique praeſtantium ingeniorum turbam ad tribuenda haec eadem VOBIS ornamenta excitatis. Quippe nihil aequius exiſtimandum, quam ut ſalutaris illius boni, cuius peculiarem et uſum VOBIS et memoriam conſtare uident, aliquam ad ſe partem pertinere uniuerſi iſti ac ſinguli ſint iudicaturi, quicunque earundem, quae apud VOS florent, literarum amore, eadem colendi Numinis ratione unice delectantur. Nos certe, quos communis laetitiae huius, adeo iam late diffuſae haud expertes fore rectiſſime credidiſtis, poſtquam ea, quae humaniſſima ueſtra ſcriptio, et pietatis a nobis iura exegerunt, noſtra VOBIS iungendo uota, exſecuti ſumus, nihil antiquius habuimus, quam ut iſtud gaudium, iſtum animorum noſtrorum ſenſum, teſtatum his literis faceremus. Gratulamur igitur VOBIS et noſtro et Eccleſiae purioris nomine, non ſolum, quod illuſtre apud VOS illud ſapientiae bonarumque artium ſacrarium, ante annos centum apertum, per diuinam beneuolentiam ſtet ſartum tectumque, ſed et, quod idem per VOS, SVMMI VIRI, nouis ornamentis decoratum, multisque amplificatum auctibus, floreat, altiusque caput efferat: quodque inter Euangelicae ueritatis, nulla adſperſae labe, propugnacula eximium hucusque locum teneat. DEVM, cuius infinitae bonitati haec tanta unice adſcribenda, ſupplices ueneramur, uti haec ſua VOBIS munera, haec inſignia felicitatis monumenta propria faciat ac perpetua; ſedesque illas, pietate hominum exſtructas quondam et conſtitutas, diuina ope magis magisque attollat! Faxit, ut nouum, quod ingreſſi nunc eſtis, ſeculum fauſtum, fortunatum inoffenſumque decurrat, atque uberiore etiam rerum, quae ad gloriam eius ſpectent, prouentu beata Academia ueſtra, aucta ac illuſtrata, ſeculare hoc feſtum ſuum laetius redire candidiusque ſemper adſpiciat! Valete. Dab. Havniae, Cal. Septembr. Anni MDCCXXIII.

CELEBERRIMORVM NOMINVM VESTRORVM

cultores ſtudioſiſſimi,

Rector et Profeſſores Vniuerſitatis Regiae Havnienſis.

Inſcriptio:

Viris, Magnifico, maxime Reuerendis, Iurisconſultiſſimis, Experientiſſimis, Ampliſſimis, Excellentiſſimisque, RECTORI, et ceteris PROFESSORIBVS INCLVTAE VNIVERSITATIS ALTORFINAE, Dominis, Fautoribus et Amicis noſtris honoratiſſimis. Altorffium.

 XII. Re-

XII.

Reſponſio INCLVTAE ACADEMIAE VITEMBERGENSIS.

MAGNIFICE ACADEMIAE RECTOR,
VIRI MAXIME REVERENDI, IVRISCONSVLTISSIMI, EXPERIENTISSIMI, AMPLISSIMI, EXCELLENTISSIMI,
FAVTORES ATQVE AMICI HONORATISSIMI.

QVo melius de diuinis humanisque literis mereri ſoletis, VIRI CELEBERRIMI, hoc uehementius fortuna ueſtra laetamur, ea praecipue, quae VOBIS ſaecularem Academiae ueſtratis, altioribus et Caeſareis amplificatae iuribus, natalem, ſaluis florentibusque patriae rebus, peroptato reddit. Vidit per haec tempora fundi ſui calamitatem Germania, uidit has ipſas miſerias, ſaepeque luxit in eruditorum coetibus hominum, quos uel effuſa uis hoſtium, uel alia malorum genera, grauiter afflixerunt. Vos, ſtirpe uirtutis antiquae nixi, inter tot rerum temporumque uiciſſitudines, antiquo ſtetiſtis gradu, diuinoque defenſi praeſidio, non modo nullum auiti boni detrimentum feciſtis, ſed noua ſemper meritorum gloria creuiſtis. Cuius quidem felicitatis ueſtrae ſenſu, pro eo, quod ueſtrae nobis literae peramanter confirmant, erga nos ſtudio, cum non poſſimus maiorem in modum non recreari, tum uero DEVM comprecamur immortalem, ut in reliquum quoque res ſpesque ueſtras ſuo protegat auxilio ac fortunet, inprimis autem ſaeculare, quod apparatis, ſacrum omni ex parte felix fauſtumque VOBIS eſſe ſinat. Caeterum, quas miſiſtis tabulas, celebritatis apud VOS inſtituendae interpretes, hic in publico, ſicut petiſtis, propoſuimus, cumque ueſtra nobis beneuolentia nihil optatius eſſe poſſit, hanc ut nobis ſeruetis integram, VOS etiam atque etiam rogamus. Dat. Vitembergae Saxonum, pridie Kalendas Iunias, anno, quam ſalus parta eſt, cIↃ IↃCCXXIII.

CELEBERRIMORVM NOMINVM VESTRORVM

ſtudioſiſſima

Academia Vitembergenſis.

Inſcriptio:

VIRIS, Magnifico, maxime Reuerendis, Iurisconſultiſſimis, Experientiſſimis, Ampliſſimis, atque Excellentiſſimis, RECTORI et CONSILIO INCLYTAE ACADEMIAE ALTORFINAE, Dominis, Fautoribus, et Amicis noſtris honoratiſſimis.

Altorfium.

XIII. Re-

XIII.

Responsio INCLVTAE ACADEMIAE VIADRINAE.

MAGNIFICE ACADEMIAE RECTOR,
VIRI MAXIME REVERENDI, IVRISCONSVLTISSIMI, EXPERIENTISSIMI, AMPLISSIMI, EXCELLENTISSIMIQVE,
FAVTORES ET AMICI HONORATISSIMI.

Singularem oportet uestram esse laetitiam, quibus hoc tempore natalium Academiae uestrae auspicatissimorum, quam et SVPREMI NVMINIS benignitas sedibus illis concessit et conseruauit, et AVGVSTISSIMORVM CAESARVM indulgentia clementissime adiuuit, et PERILLVSTRIS et S. R. I. LIBERA RESPVBLICA NORIMBERGENSIS, piae Nutricis instar, liberalissime fouit et in maius extulit, repetere memoriam datur. Nec poteratis profecto aliter, quam hanc fati uestri felicitatem festiuo gaudio prosequi, DEIque erga VOS beneuolentiam ac fautricis Reipublicae prolixam uoluntatem tripudiis et gratulatione ornare, quemadmodum et nos hanc VOBIS propensionem benignissimi Numinis et Euergetarum serio et ex animo gratulamur. Accedit, quod VOS ad hanc pietatem impellit SACRATISSIMA MAIESTAS CAROLI VI, ROMANORVM IMPERATORIS ET CAESARIS AVGVSTI, ac PERILLVSTRIS REIPVBLICAE perbenigna uoluntas, haec festa VOBIS auspiciis suis commendantium, ut ex iis etiam patrocinia studiorum nondum conticuisse patescat: praeterquam quod exemplis omnium Academiarum incitamini, sicut et nos nostri festi Iubilaei ac pompae Musarum ex uestro hoc apparatu et studio denuo admonemur. Quod autem nos testes et socios huic festiuitati uestrae et gratiarum actioni solenni ad aras diuini Numinis adiungitis, idque tam limata et eleganti epistola, ex eo humanitatem uestram perspicimus, neque modo eruditos VOS, sed etiam comes et facillima natura praeditos Viros agnoscimus, gratiasque adeo pro hac beneuola in nos uoluntatum uestrarum inclinatione, uti par est, agimus. Atque utinam res nostrae paterentur, ut ad religiosam hanc uestri gaudii commemorationem confluere omnes, quotquot sumus, uel saltem delegare unum atque alterum ex ordine nostro ad iungendas uoces possemus, quo maior ex nobis etiam fieret strepitus laetitiae uestrae, nihil certe esset, quod maiori contentione animorum exposceremus. At quum multa sint, quae nos a talibus nunc distineant, et non possint pubis nostrae Academicae studia per tantum tempus deseri, Programma quidem uestrum diuulgabimus et in publico proponemus, ceterum taciti potius et in sinu gaudebimus, reliquias bonitatis suae per orbem Christianum spargere diuinum Numen, uestraeque adeo Academiae prospicere et doctrinae excellentis et admirabilis liberalitatis luminibus. Quod superest, DEVM rogamus, ut pergat erigere Musas, et ex iis ornatum Ecclesiae et Reipublicae conciliare, uestrumque speciatim artium domicilium et Heliconem Noricum tegmine bonitatis suae et

praesidio alarum complectatur, VOSque florentes praestet omni aeuo, et a uestris subselliis operarios emittat praeclaros et insignes in uineam suam et in hortum Reipublicae! Valete. Dabamus Francofurti ad Viadrum, d. XI mensis Iunii, anno cIↃ IↃCCXXIII.

CELEBERRIMORVM NOMINVM VESTRORVM

cultores studiosissimi,

Rector et Senatus Vniuersitatis Regiae Viadrinae.

Inscriptio:

Viris, Magnifico, maxime Reuerendis, Iurisconsultissimis, Experientissimis, Amplissimis, Excellentissimisque, RECTORI et PROFESSORIBVS ACADEMIAE ALTORFINAE celeberrimis, Dominis, Fautoribus et Amicis honoratissimis. *Altorfium.*

XIIII.

Responsio INCLVTAE ACADEMIAE MARPVRGENSIS.

MAGNIFICE ACADEMIAE RECTOR,
VIRI MAXIME REVERENDI, IVRISCONSVLTISSIMI, EXPERIENTISSIMI, AMPLISSIMI, EXCELLENTISSIMIQVE,
FAVTORES ATQVE AMICI HONORATISSIMI.

QVod pro summa uestra humanitate certiores Nos reddideritis de imminente ad diem XXVIIII Iunii primo seculari festo inclytae Academiae uestrae, (quod ei felix et auspicatissimum esse uouemus, iubemus) id tam iucundum Nobis fuit, quam quod potest esse iucundissimum, cum quod ex hoc ipso beneuolentissimam in Nos uoluntatem uestram intellexerimus, tum uero etiam, quod suppeditata nobis sit occasio obseruantiam in VOS nostram significandi. Certe, quemadmodum ab ipsis Academiae uestrae celeberrimae initiis non parum laetata est Academia nostra, quod prouide omnia dirigente Diuina Sapientia, Perillustris SENATVS NORIMBERGENSIS medios inter grauissimosque belli Germanici furores amplioribus iurium priuilegiorumque Caesareorum honoribus eam exornare secum constituerit: ita est, quod hoc tempore VOBIS, VIRI CELEBERRIMI, merito gratulemur, quod DEVS O. M. Academiam uestram, in turbulentissimis et difficillimis seculi superioris temporibus enatam, pro summa sua in scientias diuinas et humanas prouidentia, in hanc usque horam non saluam modo conseruauerit, sed ei eos etiam uiros sit elargitus multo celeberrimos, quorum singulari dexteritate et admiranda scientiarum diuinarum humanarumque peritia non stetit tantum Academia uestra, sed ad summam etiam nominis sui celebritatem peruenit. Faxit DEVS O. M. quod enixe precamur, ut non solum ea, qua hactenus fruiti estis, sed longe etiam maiori felicitate Academia uestra nouo hoc seculo suo exornata laetetur, et quam multos a se dimittere pergat Alumnos a solida rerum scientia perquam eximios, qui Religionem Euangelicam

gelicam uoce et ſcriptis protegant atque tueantur, qui Rempublicam ſapientiſſimis iuſtiſſimisque conſiliis, noui Patriae Patres, adiuuent et exornent, qui barbariem, iam olim a Philippo Melanchthone, Eobano Heſſo noſtro, aliisque Viris, ab Vrbe et uicinia ueſtra proſcriptam, maſcule arceant, et labantibus non uno in loco artibus liberalibus literisque melioribus opportune ſuccurrant, quo ſeri etiam poſteri noſtri, ſaepius adhuc redeunte ſeculari Academiae ueſtrae feſto, eadem, imo, ſi fieri poteſt, adhuc maiora eidem poſſint gratulari. Nos, quemadmodum programma, ut petiiſtis, in loco publico conſueto iterata uice affigi et omnium conſpectui exponi iuſſimus, ita non deerimus uotis ueſtris, ſed pro incolumitate inclytae VRBIS NORIMBERGENSIS, pro incremento optimarum artium, et pro ſalute Academiae ueſtrae, uota noſtra iisdem coniungemus, ut, quo coepit, hoc ſeculo, flore et ſplendore Vrbem ueſtram, imo Germaniam uniuerſam, pluribus ſeculis pergat illuſtrare. Valete. Dabamus Marpurgi Haſſorum, A. R. S. CIↃIↃCCXXIII, d. VI Iunii.

CELEBERRIMORVM NOMINVM VESTRORVM

Cultores ſtudioſiſſimi,

Rector, Procancellarius, Decani, Doctores et Profeſſores Academiae Marpurgenſis.

Inſcriptio:

Viris, Magnifico, maxime Reuerendis, Iurisconſultiſſimis, Experientiſſimis, Ampliſſimis, Excellentiſſimisque, RECTORI, DECANIS, DOCTORIBVS et PROFESSORIBVS INCLYTAE ACADEMIAE ALTORFINAE, Dominis, Fautoribus et Amicis noſtris honoratiſſimis.

Altorfii in agro Noribergenſi.

XV.

Reſponſio INCLVTAE ACADEMIAE REGIOMONTANAE.

MAGNIFICE ACADEMIAE RECTOR,
VIRI MAXIME REVERENDI, IVRISCONSVLTISSIMI, EXPERIENTISSIMI, AMPLISSIMI ET EXCELLENTISSIMI,
FAVTORES ATQVE AMICI HONORATISSIMI.

QVod ſaecularia inclutae Academiae ueſtrae ſacra III Cal. Iul. pio ac ſolemni ritu, primum a VOBIS celebranda, cum litteris, tum adiecta promulgationis publicae formula, ſignificare nobis uolueritis, id laeto gratoque, qui ſororem Academiam, pro communi uinculo, decet, agnoſcimus animo. Et primum quidem PERILLVSTRI et S. R. I. LIBERAE REIPVBLICAE NORIMBERGENSI ſingularem illam felicitatem merito gratulamur, quod, quae cuſtos Imperatoriorum Inſignium, et commerciorum flore, et artificum induſtria undique celebratiſſima eſt, una etiam, in Germania omni, ſeparatum Muſis in territorio ſuo domicilium, in quo litterarum culturae placide

 uacare

uacare liceat, AVGVSTISSIMI IMPERATORIS, FERDINANDI II, auſpiciis erectum, idemque per integrum iam ſaeculum, ſingulari munificentia ſua conſeruatum et amplificatum, efflorescere in dies magis, inque eo, ueſtra cura, publicis ſcientiarum incrementis apprime conſuli uideat. Inde ACADEMIAE VESTRAE, VOBISque, VIRI CELEBERRIMI, iure gratulamur, quod ſaeculares publicosque ludos indicere, eosdemque, auctis ſubinde, per hos centum annos, priuilegiis ac immunitatibus ueſtris, ſolemni caerimonia feſtos agere, datum ſit. Quo uero et noſtris Ciuibus ſaeculare illud gaudium ueſtrum innoteſceret, transmiſſam promulgationis formulam publice non tantum proponendam iuſſimus, ſed et Orator noſter, Iohannes Samuel Strimeſius, Eloqu. et Hiſtor. Profeſſ. Ordin. Philoſoph. Ordinis h. t. Decanus, oratione publica, de ſaecularibus Academiarum feſtis, hoc ſaeculo celebratis, qualis in memoriam Viri immortalis, Iohannis Dieterici Tettauii, ſupremi olim Boruſſiae Cancellarii, et Maecenatis Muſarum liberaliſſimi, IX Cal. Iul. quotannis habetur, laetitiae huius argumentum uberius explicaturus eſt. Quod reliquum eſt, ardentiſſima pro fortunata ſolemnium ueſtrorum celebratione, inprimis uero perpetuo INCLVTAE ACADEMIAE ALTORFINAE incremento, et eximia publicarum priuatarumque rerum ueſtrarum proſperitate, uota concipimus, et, ut Summum Numen rata ea habeat, gloriamque eruditionis ueſtrae, et deriuata inde in Rempublicam litterariam commoda, perennare iubeat, multa animi ſinceritate precamur. Valete. Dab. Regiomonte Boruſſorum, XVII Cal. Iul. A. N. C. CIↃIↃCCXXIII.

CELEBERRIMORVM NOMINVM VESTRORVM

cultores ſtudioſiſſimi,

Rector et Senatus Regiae Academiae Regiomontanae.

Inſcriptio:

Viris, Magnifico, maxime Reuerendis, Iuriſconſultiſſimis, Experientiſſimis, Ampliſſimis, et Excellentiſſimis, RECTORI et PROFESSORIBVS INCLVTAE ACADEMIAE ALTORFINAE, Fautoribus et Amicis noſtris honoratiſſimis.

Altorfium.

XVI.

Reſponſio INCLVTAE ACADEMIAE IENENSIS.

MAGNIFICE ACADEMIAE RECTOR,
VIRI SVMME REVERENDI, IVRISCONSVLTISSIMI,
EXPERIENTISSIMI, AMPLISSIMI ATQVE
EXCELLENTISSIMI,
FAVTORES ATQVE AMICI HONORATISSIMI!

VEnerunt ad Nos literae ueſtrae diſertiſſimae, quibus non ſolum ſecularia ueſtra academica Nobis indixiſtis; ſed perhumaniter quoque ad celebranda iſta Nos inuitaſtis. In quo feſto omnino ac ſolemniori ritu non poſſumus, quin officii noſtri munera ſoluamus, ac ſubinde de felicitate, quod dies ille, quo Academiae ueſtrae incunabula

nabula Musis dedicata fuerunt, illuxerit, gratulemur VOBIS, DEOque pro praesidio, cui florem litterarum uestrarum debetis, gratias habeamus maximas. Coeleste enim beneficium est, quando Musarum templa sarta seruantur et tecta, atque ex litterarum salute salus publica, siue sit sacra, siue ciuilis, non mediocria capit incrementa, etiam diuinae Maiestatis maior ac religiosior fiat cultus. Quam in caussam impii plane essemus, nisi festum huncce diem, qua decet, pietate coleremus, uotaque sollicita pro salute atque florentissima Academiae uestrae fortuna nuncuparemus. Sed tamen quum multis circumsepti simus impedimentis, quo minus hac officiorum parte praesentes fungi possimus, petimus, uelitis unum, uel duos, ex uenerabili uestro ordine deligere, qui in gloriae ac laetitiae uestrae theatro Senatus nostri personam agant, quippe qui omnem operam in eo collocabimus, ut uestro in Nos affectui omnibus humanitatis atque obseruantiae partibus respondere queamus. Ienae, d. XXI Maii. MDCCXXIII.

CELEBERRIMORVM NOMINVM VESTRORVM

Cultores studiosissimi,

Pro-Rector et Professores Academiae Ienensis.

Inscriptio:

VIRIS, Magnifico, summe Reuerendis, Consultissimis, Experientissimis, Amplissimis, atque Excellentissimis, INCLYTAE ACADEMIAE ALTORFINAE RECTORI et PROFESSORIBVS, Fautoribus, et Amicis nostris honoratissimis. Altorf.

XVII.

Responsio INCLVTAE ACADEMIAE IVLIAE.

MAGNIFICE ACADEMIAE RECTOR,
VIRI MAXIME REVERENDI, IVRISCONSVLTISSIMI,
EXPERIENTISSIMI, AMPLISSIMI,
EXCELLENTISSIMIQVE,
FAVTORES ATQVE AMICI HONORATISSIMI.

Litteras uestras d. XXIII mensis Aprilis scriptas, plenas amoris ac beneuolentiae, recte accepimus, atque exinde magna animi uoluptate cognouimus, VOS annum Academiae uestrae iam agere saecularem, VOSque pietatis erga DEVM T. O. M. ac benignissimam Nutricem uestram, Perillustrem REMP. NORIMBERGENSEM, testandae causa, atque ad exemplum et imitationem aliarum Academiarum, solemnia d. XXVIIII Iunii proxime instanti celebraturos, nosque rogare, ut non tantum tabulas, litteris uestris adiectas, in publico proponendas curemus, uerum etiam, ut ex ordine nostro, qui sacris uestris intersint, et inusitato illo gaudio VOBIScum fruantur, quosdam delegemus. Sicut autem de insigni hac felicitate, qua celeberrima Academia uestra iam gaudet, VOBIS ex animo gratulamur, proque humanissima uestra ad tam solemnem actum inuitatione, magnas easque

 singu-

ſingulares agimus gratias, ita etiam VOBIS ſignificamus, nos tabulas ueſtras promte ac libenter publico in loco mox affigi iuſſiſſe. Et, licet, ob locorum diſtantiam, itinerisque longitudinem, tot, quot optarent, ex collegio noſtro, ob labores hic nimis interrumpendos, ad VOS uenire nequeant; tamen amoris erga VOS noſtri teſtandi cauſa unum, eumque cariſſimum Collegam noſtrum, nominatim Gotlibium Samuelem Treuerum, Politices atque Moralium Profeſſorem Publicum ordinarium, qui VOBIS hasce tradet litteras, ablegare uoluimus, ut nomine Iuliae noſtrae ſolemnibus ueſtris ceremoniis interſit, pia uota VOBIS cum nuncupet, et de gaudio ueſtro participet. Nos ceteri nihilominus animis erimus praeſentes, et pro ſalute Academiae ueſtrae uota cum ueſtris iungemus, Supremum Numen uenerantes, ut ſua illam gratia etiam impoſterum complectatur, et ſaluam ac florentem cum inclyta Rep. ueſtra perpetuo conſeruet. Idem et VOBIS faueat, VIRI CELEBERRIMI, praeclariſſimosque labores ueſtros, cum publicos, tum priuatos, quibus famam ac decus almae ſtudiorum ueſtrae Vniuerſitatis tuemini, in illius ac rei litterariae commodum atque incrementum ſecundare pergat, et eam VOBIS commoditatem proſperitatemque uitae largiatur, quae pro munerum ueſtrorum reique familiaris ratione expeti atque exoptari poteſt. Valete. Helmſtadii, d. XVII Iun. MDCCXXIII.

CELEBERRIMORVM NOMINVM VESTRORVM

cultores ſtudioſiſſimi,

Pro-Rector et Profeſſores

Academiae Iuliae.

Inſcriptio:

Viris, Magnifico, maxime Reuerendis, Iureconſultiſſimis, Experientiſſimis, Ampliſſimis, Excellentiſſimisque, RECTORI et SENATVI INCLVTAE ACADEMIAE ALTORFINAE, Dominis Fautoribus et Amicis noſtris honoratiſſimis.

Altorfium.

XVIII.

Reſponſio INCLVTAE ACADEMIAE HERBIPOLITANAE.

MAGNIFICE VNIVERSITATIS RECTOR,
VIRI MAXIME REVERENDI, IVRISCONSVLTISSIMI, EXPERIENTISSIMI, AMPLISSIMI, EXCELLENTISSIMIQVE,
FAVTORES ATQVE AMICI HONORATISSIMI.

AMica profecto literariae ſocietatis foedera, et arctiſſimos non minus honorum, quam ſtudiorum et ſcientiarum nexus, teſtato ſatis erga nos argumento, in uobis conſpicamur, et agnoſcimus, VIRI, et AMICI COLENDISSIMI, etc. dum in nouiſſimis de 4to elapſi menſis ad nos directis, ſingulariſſima humanitate, et laudabili amicae uicinitatis beneuolentia nobis inſinuare placuit; qualiter Superis fauentibus, ſaecularem, aut iubilariam almae et inclytae Vniuerſitatis ueſtrae ſolennitatem feſtiuis applauſibus in diem 29 currentis celebrare conſtitutum ſit: pro quo ſpeciali ciuilitatis et perhumanae inuitatio-

tationis officio, decentissimas affectu et ueneratione non impari gratias reponimus. Non defuissemus ad praedictam solennitatem unum uel alterum ex nobis ad eam cohonestandam ablegare, cum uero in hac nostra Vniuersitate sub idem tempus studia omnium facultatum adeo ferueant, ut ne unus quidem ex nobis abesse possit, praeterquam quod pro more solennis et inauguralis promotio tum Baccalaureorum, tum Magistrorum coincidat, hinc lubeat nos excusatos habere, quibus id unice in uotis est, ut celebratissima tot annorum decursu et politioribus literis scientiisque exculta Academia uestra in uberiora incessanter honorum et uirtutum efflorent incrementa; totque conspicuos emittat in omnes orbis plagas eminentiores doctrinae radios, quotquot unquam in amplissimo sinu suo cultioris literaturae, liberalium disciplinarum, et studiorum enutrierit Alumnos; quibus ueluti stupendis et prodigiosis oraculis, et uiuis testibus, nominatissima eiusdem fama in seram usque posteritatem, per literatorum omnium ora, et linguas uolitet, atque sub Gloriosissimis AVGVSTISSIMORVM IMPERATORVM auspiciis, et patrocinantibus perillustris et S. R. I. liberae REIPVBLICAE NORIMBERGENSIS fauoribus, in repetitam pluries solennitatum saecularium seriem feliciter propagetur. Quod uno ore, et consonante unanimi uotorum suffragio, optamus, fauemus, comprecamur. Dat. Herbipoli, 2 Iunii. MDCCXXIII.

CELEBERRIMORVM NOMINVM VESTRORVM

Cultores studiosissimi,
Rector Magnificus, Decani, Professores,
et Doctores Almae Vniuersitatis Eoo-
Francicae Ducalis Herbipolensis.

Inscriptio:

Viris, Magnifico, maxime Reuerendis, Iurisconsultissimis, Experientissimis, Amplissimis, Excellentissimisque, RECTORI, DECANIS, caeterisque PROFESSORIBVS INCLYTAE VNIVERSITATIS ALTORFINAE, etc. Dominis Fautoribus et Amicis nostris honoratissimis. *Altorfi.*

XVIIII.

Responsio INCLVTAE ACADEMIAE GISSENAE.

MAGNIFICE ACADEMIAE RECTOR,
VIRI MAXIME REVERENDI, IVRISCONSVLTISSIMI, EXPERIENTISSIMI, AMPLISSIMI, EXCELLENTISSIMIQVE,
FAVTORES ATQVE AMICI HONORATISSIMI!

QVemadmodum omnes Academiae commune quoddam uinculum habent, et cognatione quadam inter se continentur; sic unaquaeque iure arbitratur ad felicitatem suam adiungi, quidquid ad alterius additur, atque alacri se plausu in laetitiae inde obortae societatem offert. Quamobrem litterae uestrae non potuerunt non longe gratissimae accidere, quibus nobis significastis, Academiae uestrae solemnia sacra instare, quae die XXVIIII Iunii saecularem suum

 nata-

natalem ſit celebratura. Agnoſcimus VOBIScum diuinam prouidentiam, cuius dono in eadem per tot annos plures diuina humanaque ſapientia illuſtres uiri floruerunt, cuius munere ſeruat etiam nunc VIROS, qui doctrinae meritorumque famam non ſolum per urbem, ſed etiam per orbem, in memoriam diſſeminarunt ſempiternam. Inſuper nihil aeque in uotis habemus, quam ut DEVS T. O. M. VOS primum ſaeculum fauſte finire, ac fructibus in illo collectis ſemper frui, ſecundum uero feliciter inchoare ſinat, nouum exinde ſaeculum benigniſſime fortunet, atque VIROS OPTIMOS priori ſuperſtites in illo ad diuini ſui nominis gloriam, reipublicae eccleſiaſticae, ciuilis ac litterariae commodum diutiſſime ſupereſſe iubeat: imo numquam in eodem deeſſe uelit egregios litterarum uindices, quo, ab omnibus temporum fortunaeque iniuriis immune, plurimis gratiae coeleſtis documentis circumfluat, ad eiusdem felicitatis cumulum adiecta perpetuitate. Floreat PERILLVSTRIS et S. R. I. LIBERA RESPVBLICA NORIMBERGENSIS, ſub cuius matris ſuae tutela manſuetudinis adquieſcit ALTORFINA, filia exoptatiſſima, a qua non minus decoris accipit, quam eidem confert: floreat, et, quod ſupplicationum noſtrarum iam proprium eſt, bonas litteras perpetuo foueat ac tueatur, ipſamet in dies, in annos, in ſaecula, maximis creſcens incrementis. Protegat DEVS inclitam ueſtram Academiam, ut ad eius ſinum magna multitudine confugiant, et ex longinquis etiam regionibus aduolent, qui copioſiſſimos ab ea doctrinae theſauros reportent, et ſolidam eruditionem cum uera pietate coniunctam longe lateque propagent: ut natales illi numquam non candidiores, et ſaecularia, dum redeunt, ſacra, proſperiora reuertantur, atque adeo, quidquid fauſtitatis uoto concipi poteſt, in eandem et VOS ſpeciatim, VIRI CELEBERRIMI, diuina manus ſic effundat abundantiſſime, ut ſacratiſſima doctrina Petri ac Pauli, quibus ſaecularis ueſter dies conſecratus, non alibi magis, quam apud VOS uigeat, et meliorum diſciplinarum et artium quaeuis ſummum ad faſtigium proueehantur. Haec iam pro ſalute ueſtra uota nuncupamus, haec in poſterum itidem ſincero pectore atque ex imis medullis uouebimus, occaſionem quamuis promte arrepturi, qua deditiſſimum animum debitumque ſtudium noſtrum declarare liceat: ſicuti etiam, quod officii noſtri erat, publicas cum epiſtola ueſtra coniunctas litteras publice adfigi curauimus, ut notitia ſolemnitatis huius ad ciues noſtros alioſque perueniret. Quod ſupereſt, dabitis id humaniſſimis precibus noſtris, ut noſtri memoriam conſeruare non grauemini, et Ludouicianam noſtram ac nos omnes ſolito, quem ſemper magni faciemus, amore proſequamini. Valete. Dab. Giſſae Iun. A. MDCCXXIII.

CELEBERRIMORVM NOMINVM VESTRORVM

cultores ſtudioſiſſimi,

Pro-Rector, Pro-Cancellarius, Decani,

et Profeſſores Academiae Gieſſenae.

Inſcriptio:

Viris, Magnifico, maxime Reuerendis, Iuriſconſultiſſimis, Experientiſſimis, Ampliſſimis, Excellentiſſimisque, RECTORI et SENATVI INCLITAE ACADEMIAE ALTORFINAE, Dominis, Fautoribus et Amicis noſtris honoratiſſimis.

Altorfium.

XX. Re-

XX.

Reſponſio INCLVTAE ACADEMIAE HASSO-SCHAVENBVRGICAE.

MAGNIFICE ACADEMIAE RECTOR,
VIRI MAXIME REVERENDI, IVRISCONSVLTISSIMI, EXPERIENTISSIMI, AMPLISSIMI, EXCELLENTISSIMIQVE,
FAVTORES ATQVE AMICI HONORATISSIMI,

EX litteris ueſtris, perquam humaniter ad nos ſcriptis, incredibilem prorſus laetitiam atque uoluptatem percepimus. Ecquid enim magis iucundum, magis exoptatum accidere nobis potuiſſet, quam ſollemnis denuntiatio ſacrorum Academiae ueſtrae ſaecularium, quae prima, peractis centum ab ea condita annis, auſpiciis AVGVSTISSIMI INVICTISSIMIQVE ROMANORVM IMPERATORIS, CAROLI VI, GLORIOSISSIMI SALVTIS TRANQVILLITATISQVE PVBLICAE CONSERVATORIS, et auctoritate ſummaque munificentia PERILLVSTRIS et S. R. I. LIBERAE REIPVBLICAE NORIMBERGENSIS, ſigillatimque ILLVSTRIVM ac GENEROSISSIMORVM CVRATORVM, proxime celebrabitis? Non e longinquo ſane arceſſendae nobis ſunt cauſſae, quare in gaudiorum, quae DEI, ſupremi rerum humanarum Arbitri, IMPERATORIS, Auguſti Germaniae Capitis, NVTRITORVMque benignitate, clementia, atque munificentia, VOBIS obtingunt, conſociationem ueniamus, eademque ad nos quoque, interuallo quidem locorum remotos, animo tamen VOBIS praeſentiſſimos, ſua quapiam ratione ſpectare firmiſſime nobis perſuadeamus. Imperat hoc pietas erga DEVM, omnis ſapientiae et eruditionis, ſiue res diuinas, ſiue humanas illa complectatur, auctorem atque conſeruatorem: efflagitat commune, quo Muſae, bonarumque litterarum per communem Patriam, Germaniam noſtram, officinae colligantur inter ſe, atque arctiſſimo nexu conſtringuntur, uinculum: poſtulat celebritas Academiae ueſtrae, quae tot Viros ſinu ſuo complexa eſt, omnibus modis eruditos, et immortalem ad poſteros laudem conſecutos. Gratulamur igitur VOBIS, VIRI CELEBERRIMI, de ſingulari iſthac felicitate: uouemus, et ex animo precamur, ut eidem accedat perpetuitas, et ſacra ſaecularia, poſt ueſtra et noſtra fata, frequenter recurrant: VOBIS denique ſpondemus atque pollicemur, diem apud VOS feſtum, diuis Petro et Paullo dicatum, III Calend. Quintiles, nobis quoque, abſentibus quidem corpore, mente tamen et adfectu arcte copulatis, ſacroſanctum futurum atque religioſum. Piis certe uotis DEO ſalutem et publicam et ueſtram commendabimus. Ceterum perſuaſos omnino VOS eſſe cupimus, ſolicitam nos, quod noſtri officii erat, geſſiſſe curam, ut litterae ACADEMIAE VESTRAE publicae, ad nos transmiſſae, in loco publico, rebus Academicis ſignificandis deſtinato, expoſitae comparerent, ciuiumque noſtrorum, et omnium, quibus et felicitatem et ſacra ueſtra proxime inſtantia cognoſcere uolupe erat, oculis inſpiciendae exhiberentur.

Tueatur DEVS AVGVSTISSIMVM IMPERATOREM : protegat PERILLVSTREM REMPVBLICAM NORIMBERGENSEM : custodiat INCLVTAM ACADEMIAM ALTORFINAM : VOSque florentissimos diu conseruet. Valete, VIRI CELEBERRIMI, et orbem, quoquouersus patet, litteratum multis felicitatum auctibus per longa temporum interualla locupletati, meritis uestris nominisque uestri fama porro, ut adhuc fecistis, illustrate. Dab. Rintelii, die XXV Maii, A. O. R. CIↃ IↃCCXXIII.

CELEBERRIMORVM NOMINVM VESTRORVM

cultores studiosissimi,

Rector, Decani et Professores

Academiae Hasso-Schauenburgicae.

Inscriptio:

Viris, Magnifico, maxime Reuerendis, Iurisconsultissimis, Experientissimis, Amplissimis, Excellentissimisque, RECTORI, DECANIS et PROFESSORIBVS CELEBERRIMAE ACADEMIAE ALTORFINO-NORICAE, Dominis, Fautoribus et Amicis nostris honoratissimis.

Altorfium.

XXI.

Responsio INCLVTAE ACADEMIAE ARGENTORATENSIS.

MAGNIFICE ACADEMIAE RECTOR,
VIRI MAXIME REVERENDI, CONSVLTISSIMI, EXPERIENTISSIMI, AMPLISSIMI, EXCELLENTISSIMIQVE,
FAVTORES ATQVE AMICI HONORATISSIMI.

Singularem atque eximiam illam humanitatem, qua prolixis VOS nuper litteris de rara illa, quae Academiae uestrae contingit, felicitate certiores nos reddere uoluistis, non possumus non magnopere praedicare, VIRI CELEBERRIMI. Et iam pridem profecto nostra haec Musarum sedes illam sibi quam maxime gratulatur amicitiam, quae ipsi cum ALTORFINA a longo iam tempore intercedit; non exiguis subinde mutuae beneuolentiae documentis per uarias quoque temporum uicissitudines confirmata. Minime ergo dubitabitis, VIRI AMPLISSIMI, quin et nos ea, qua decet pietasque requirit, ratione uestram reputemus felicitatem, et illius, quam totus orbis literatus communem existimat, laetitiae partem ad nos quoque pertinere credamus. Atque eo maiore cum affectu id facimus, quo illustrior est oblata VOBIS gaudendi gratulandique materia. Quantum enim sit rarissimae laetitiae argumentum, Academiae, in ipsis grauissimorum bellorum motibus institutae, sub uariis temporum infelicium tempestatibus conseruatae, et inter tot seculi mala glorioso semper otio florentissimae, sacra secularia et in maximo quidem pacis ipsiusque Academiae flore celebrare, nos omnes VOBIScum facile agnoscimus. Seruet tam illustre VOBIS beneficium diuina clementia, et non annos modo annis, sed secula seculis, magno cum rei literariae incremento, cumulet, uestraque haec

Apolli-

Apollinaria non tam iucundiſſimam praeteritorum temporum recordationem, quam certiſſimum futurorum omen, perpetuique ſplendoris pignus eſſe iubeat. Ita non tantum de inſigni bono totus ſemper laetabitur Literatorum orbis, ſed et de ſingulari perpetuaque cum ueſtro Helicone amicitia, noſtra ſibi porro gratulabitur Academia. Valete. Scribebamus Argentorati, IX Cal. Iun. MDCCXXIII.

AMPLISSIMORVM NOMINVM VESTRORVM

Cultores ſtudioſiſſimi,

Rector et Profeſſores Vniuerſitatis Argentoratenſis.

Inſcriptio:

Viris, Magnifico, maxime Reuerendis; Conſultiſſimis, Experientiſſimis, Ampliſſimis, Excellentiſſimisque, RECTORI et PROFESSORIBVS INCLYTAE ACADEMIAE ALTORFINAE, Dominis, Fautoribus et Amicis noſtris honoratiſſimis.

Altorfium.

XXII.

Reſponſio INCLVTAE ACADEMIAE TEVTOBVRGENSIS.

MAGNIFICE ACADEMIAE RECTOR,
VIRI MAXIME REVERENDI, IVRISCONSVLTISSIMI, EXPERIENTISSIMI, AMPLISSIMI ATQVE EXCELLENTISSIMI,
FAVTORES ATQVE AMICI OMNI HONORIS ATQVE OBSEQVII CVLTV PLVRIMVM PROSEQVENDI!

QVum ea ſit inſignioris laetitiae ac publicae hilaritatis indoles, ut artiſſimis illis unius urbis oppidiue, quin etiam integrae regionis cancellis includi ac circumſcribi dedignetur, ſed ſingularia potius feſtiuitatis ſuae indicia longe lateque ſpargat ac diſſeminet, nec non alios ſpatioſiſſimo licet terrarum et locorum interuallo a ſe remotos diſſitosque eiusdem iucunditatis conſortes quodammodo ac participes reddere conetur: non potuimus non lubentiſſimis mentibus, ac prolixiſſimo animorum noſtrorum bene ominantium adfectu beniuolam ſacrorum ueſtrorum ſecularium proxime celebrandorum ſignificationem intelligere, VOBISque de tam rara ac ſingulari fatorum indulgentia, temporumque felicitate, quam nemini fere mortalium bis uidere usquam contigit, et quam eodem in loco nullus aut uidit unquam, aut uiſurus eſt in poſterum, quod de ſecularibus ueterum Romanorum ludis publicum pronunciaſſe ferunt praeconem, non obiter, non tranſitorie, non fictis etiam ac ſparſis ſeſamo atque papauere ambitioſorum uerborum globulis, ſed ſerio atque ex animo gratulari; praeſertim, cum nihil Academiae ueſtrae, tot laudibus cumulatae, tot Virorum praecellentium ac clariſſimorum meritis fulgentiſſimae, nihil etiam aliis communis noſtrae genetricis, Germaniae, phrontiſteriis, Supremi Numinis honorem ſcilicet, ac ſcientiarum bonarumque artium incrementa

 ſerio

ſerio promouentibus euenire queat laetitiae atque felicitatis, cuius non ſenſus aliquis atque iucunditas in nos deriuetur et redundet, tanto magis, quod Eruditorum omnium et plebeculae futilia tantum demirantis numero exemtorum mentes artiore inuicem ſcientiarum et bonarum artium coagulo ſibi deuinciantur atque cohaereant. Habetis ſane, VIRI CELEBERRIMI ATQVE HONORATISSIMI, ampliſſimum materiae et felicitatis campum, in quem orationes ueſtrae, nec non plauſus ac ſolemnes gratiarum actiones excurrere, et ueluti luxuriari queant; Habetis uberrimam beneficiorum munerumque diuinitus conlatorum ſegetem, ob quam SVPREMI NVMINIS, rerum humanarum Arbitri ac Moderatoris unici, clementiam, AVGVSTISSIMORVM AVSTRIACAE DOMVS IMPERATORVM indulgentiam, PERILLVSTRIS ET S. R. I. LIBERAE REIPVBLICAE NORIMBERGENSIS munificentiam, ſigillatimque ILLVSTRIVM AC GENEROSISSIMORVM CVRATORVM ueſtrorum curam atque tutelam ea, qua par eſt, laetitia et animorum ſibi inuicem congratulantium contentione laudetis, depraedicetis, euehatis. Idque eo magis, ſi in animos ueſtros VOBIS reuocaueritis, quam difficilibus ſuperioris ſeculi temporibus, quam perturbatis ac propemodum attritis, certe diuulſis ac diſſipatis dulciſſimae cariſſimaeque communis patriae noſtrae GERMANIAE, opibus, Academia ueſtra, tot meritis incluta, tot eruditiſſimorum Virorum nominibus continua ueluti ſerie hactenus conſpicua ad tantam dignitatem, tantum honoris faſtigiique apicem euecta fuerit atque ſublata, nec Vatinianis illis ac propemodum internecinis partium inuicem digladiantium et in propria uiſcera Cyclopico more ſaeuientium furoribus exſtingui, nec luctuoſiſſimi totius belli Germanici fluctibus, per SVPREMI NVMINIS miſericordiam, ut ita loquamur, abſorberi potuerit, ſed per damna, per caedes, ab ipſo ferro opes animumque ſumſerit, ac decus ſuum dignitatemque ad haec usque tempora ſartam tectamque conſeruauerit. Quocirca, VIRI AMICISSIMI, quod fecimus ſemper, illud hoc potiſſimum tempore ut faciamus, VOBISque gratulemur, non aequitatis ſolummodo, ſed ipſius officii humanitatisque ratio, a nobis exigere atque poſtulare uidetur. Precamur itaque ſerio, ut dies iſte Academiae ueſtrae celeberrimae natalis feliciſſime VOBIS illuceſcat, et ſecundum illud ſeculum ſplendidiſſimo COLLEGIO VESTRO uniuerſo uere ſecundum ac proſperrimum aperiat. Nos interim, cum ut deſiderio ueſtro, aequiſſimisque precibus ſatisfiat, tum ut ſtudium noſtrum integerrimum, ſenſumque laetitiae non infucatum, ac prolixam uoluntatem teſtemur, non ceſſabimus tabellas ueſtras typis exſcriptas, quas nobiscum laudabili maiorum inſtituto communicare uoluiſtis, publicis Academiae noſtrae ualuis adfigere, et ſignificare, non exiguam de fatis et felicitate ueſtra hilaritatis partem in nos pariter promanaſſe

manasse atque deriuatam esse. DEVS T. O. M. VNICVS ILLE OMNIGENAE SAPIENTIAE ET ERVDITIONIS FONS AC SCATVRIGO, prosperitatem hanc VOBIS ACADEMIAEque VESTRAE iam ueluti renascenti propriam et numeris omnibus absolutam, et cum aeternatura dignitatis doctrinaeque celebritate iucundissimum rerum omnium successum cumulatissime largiri non dedignetur. Valete. Dab. Teutoburgi ad Rheni et Rurae Confluentes, V Iduum Iunii, A. R. S. cIↄIↄccXXIII.

CELEBERRIMORVM NOMINVM VESTRORVM

Cultores studiosissimi,

Rector et Professores Academiae
Regiae Teutoburgensis.

Inscriptio:

Magnifico, Viris maxime Reuerendis, Iurisconsultissimis, Experientissimis, Amplissimis, atque Excellentissimis, RECTORI, DECANIS et PROFESSORIBVS ACADEMIAE CELEBERRIMAE ALTORFINAE, Fautoribus ac Amicis nostris omni honoris et obsequii cultu plurimum prosequendis.

Altorfium.

XXIII.

Responsio INCLVTAE ACADEMIAE KILIENSIS.

MAGNIFICE ACADEMIAE RECTOR,
VIRI SVMME REVERENDI, IVRISCONSVLTISSIMI, EXPERIENTISSIMI, AMPLISSIMI, EXCELLENTISSIMI, CELEBERRIMIQVE,
FAVTORES ATQVE AMICI OMNI HONORIS CVLTV PROSEQVENDI,

SAcrum Academiae uestrae saeculare, sicut omnibus fructum litterarum recte reputantibus solidum gaudium adfert; ita nos quoque, etsi locorum spatiis disiunctos, pro communi studiorum ratione mirifice afficit. Quamobrem dum pro singulari uestro in nos affectu uos ipsi tantae uoluptatis participes nos esse, litterisque publico nomine scriptis diem ipsum eiusmodi solemnibus destinatum nobis significare uoluistis, non modo grata ante omnia mente id agnoscimus, maximasque propterea, quas debemus, persoluimus gratias, sed simul etiam obstrictos deuinctosque nos profitemur, in publica hac amicarum uobis nationum laetitia aliquod piae sinceraeque gratulationis documentum dare, praesertim cum religionis uinculum, et mutuus amor atque uoluntatum consensio uobiscum arctissime nos coniungant. Ecquid enim optabilius iucundiusque esse potest, quam in mediis rebuspublicis seminarium uidere rerumpublicarum? quid delectabilius, quam litterarum domicilium, tanquam hortum mediis in urbibus habere ac

 fouere,

fouere, unde iuuenes ad ſpem reipublicae educantur, uelut floſculi omni ſcientiarum odore pleniſſimi? Eſt uero haec laus ac gloria inter omnes liberas S. R. Imperii Ciuitates illuſtri REIPVBLICAE NORIMBERGENSI propria quaſi ac peculiaris, quod raro munificentiae exemplo regionis ſuae fines Academia illuſtrauerit, eamque per longos difficillimorum temporum decurſus, euocatis eo uiris undecunque celeberrimis, ſartam tectamque conſeruauerit. Qua famae celebritate cum nomen conſecuta eſſet maximum, tum apud poſteros eius recordatio ualuit, ualebitque ſemper. Quis enim ignorat, quot quantisque uiris a primis eius incunabulis ad haec usque tempora in omni ſcientiarum genere abundauerit, quibus uix pares alia Germaniae Academia uidit aluitque? Neque hoc diffitebitur quisquam aut in dubium uocabit, qui praeclara illa nomina ex Theologorum ordine, Piccartos, Hildericos, Schopperos, Koenigios, Matthias, Fabricios, Hackſpanios, Saubertos, Durrios, Sontagios; ex Iureconſultorum, Giphanios, Donellos, Gentiles, VVeſenbecios, Rittershuſios, Ludvvellos; ex Medicorum, Scherbios, Sonneros, Iungermannos, Hoffmannos; ex Philoſophorum denique, Erythraeos, Piccartos, Virdungos, Schvvenderos, Rupertos, VVagenſeilios, Omeiſios, aliosque omnis generis cognouerit, publicis paſſim monumentis celebratos. O ergo felicem rempublicam, quae tanto gaudet theſauro, prouehendae DEI gloriae artibusque ingenuis ornandis utili ac fructuoſo! O incomparabilem prudentiſſimi SENATVS NORIMBERGENSIS in ſuos ciues, horumque natos, et qui naſcentur ab illis, liberalitatem atque beneficentiam, qua ſummorum Regum Principumque ueſtigiis inſiſtens Academiam ueſtram Altorfinam tam magnifice condidit, conditam amplificauit, amplificatam clientela atque patrocinio ſuo tueri, conſeruare, ac propagare omnibus uiribus contendit! Quantus hinc INCLVTO SENATVI apud exteros etiam longe lateque dignitatis accerſitus eſt ſplendor? quantus laudum ac gratiarum acceſſit cumulus? quanta denique gloria, quae uigebit memoria ſaeculorum omnium, quam ſera poſteritas admirabitur, quam ipſa aeternitas intuebitur? Generoſa uero Iuuentus, quae uirtutis litterarumque ſtudiis uobis nunc addicta, atque inuſitatae huic ueſtrae felicitati ſolemnius indulget, paullo poſt ampliſſimis muneribus per orbem terrarum diffuſa debitum gloriae illius cultum ubique praedicabit, ubique laudibus extollet, uel tacita ſaltem mentis uoce iubila haec ueſtra bonis fauſtisque ominibus proſequetur. Nos quoque pro amore noſtro non poſſumus, quin rediuiuae Academiae ueſtrae felicitati ſub tam illuſtris reipublicae, tantique nominis curatorum auſpicatiſſimo regimine hucusque conſeruatae gratulabundi applaudamus, piumque adeo hoc ueſtrum inſtitutum omnino probemus, quo non ſolum tot aliarum Academiarum exemplo, ſed ipſa potius pietate gratique animi religione adducti tanta tamque eximia beneficia, quae DEO, IMPERATORIBVS, NVTRITORIBVSque ueſtris debetis, pie ſancteque recolere, eoque conſilio natalem Academiae ueſtrae ſacrum feſtumque habere conſtituiſtis. Quocirca etiam honeſtiſſimis deſideriis ueſtris ſine omni mora morem geſſimus, litterasque ueſtras publicas ad nos miſſas ualuis templi noſtri affigendas publice curauimus, ut ſolemnitatis apud uos celebrandae ratio ciuibus noſtris, et per eos aliis quoque Cimbriae noſtrae litteratis innoteſceret. Praeterea uero decla-

declarato, prout debuimus, animi nostri affectu, nihil reliquum esse putamus, quam ut DEVM, summum omnium sapientiae officinarum custodem ac praesidem uoce publica obtestemur, ut Academiae uestrae fata, tempora, fortunasque benigne in perpetuum moderetur, omnesque in ea nunc docentes florentesque diuini et humani iuris Antistites, aliarumque optimarum artium doctores quam diutissime publico bono seruet, protegat ac tueatur. Floreat NORIMBERGA, floreat filia eius ALTORFINA, praestantissimorum ingeniorum altrix, ac cum nouis noui saeculi primordiis noua pristini decoris sui incrementa capiat. Dab. Kiliae Holsatorum, A. O. R. CIↃIↃCCXXIII, IV Idus Iunii.

CELEBERRIMIS NOMINIBVS VESTRIS

omni amore, studio cultuque addictissimi,

Pro-Rector, Pro-Cancellarius, Decani atque Professores Academiae Kiliensis.

Inscriptio:

Viris, Magnifico, summe Reuerendis, Iurisconsultissimis, Experientissimis, Amplissimis, Excellentissimis Celeberrimisque, RECTORI, CANCELLARIO, DECANIS et PROFESSORIBVS INCLYTAE ACADEMIAE ALTORFINAE, Dominis Fautoribus et Amicis nostris honoratissimis.

Altorfium.

XXIIII.

Responsio INCLVTAE ACADEMIAE FRIDERICIANAE.

PRORECTOR, DIRECTOR, CANCELLARIVS ET PROFESSORES FRIDERICIANAE MAGNIFICO RECTORI EXCELLENTISSIMISQVE ACADEMIAE ALTORFINAE PROFESSORIBVS

S. P. D.

Literas uestras elegantiae plenas, simulatque singulari beneuolentia in nos uestra redundantes, iucundissimas accidisse nobis scitote. Fas enim est, ut, qui eadem Musarum ornamenta sectantur, illa quoque gaudia participent, quibus uos DEVS immortalis uestramque Academiam cumulauit, talemque animi motum sentiant, qualis uos exhilarat, dum saeculare festum esse in propinquo percipitis, illudque orbi erudito, cuius nos minima pars sumus, speciosis uerbis annunciatis. Et habetis certe argumenti satis, quare rumpatis silentium, ac tum Summi Numinis beneficia, tum perillustris Reipublicae, cuius sub auspiciis et tutamine agitis, munificentiam, curam et sapientiam praedicetis; quae eam uobis felicitatem pararunt, nulla perituram aetate, nulla consumendam uetustate. Nec enim dubium est, illos uere beatos esse dicendos, qui post centum annorum orbem confectum, adhuc bonis omnibus affluunt, atque inter incertos et instabiles uitae humanae casus, eam ingenii gloriam tuentur, qua effloruere primum Altorfinae politissimi Doctores. In quo quum diuinum praesidium obseruetis,

 atque

atque aliquid humana arte et diſciplina maius ; improbe ſane ageremus, niſi cum calidiſſimis precibus ueſtris noſtra coniungeremus uota; ac ſimili ſtudio inflammati ſplendorem, opes, ac facultates Lycei ueſtri admiraremur aeque. Virtutis quippe ac ueritatis radicibus inniti uidetur, diuinoque ortu editum merito exiſtimatur, quod breui curriculo non circumſcribitur, ſed ueluti aedificium magnifice exſtructum aeternitatem aemulatur. Quocirca uix nobis temperamus, quin aliquo numero ad ueſtros excurramus fines, et uerba bona, apta et illuſtria, ac publicae laetitiae congrua percipiamus ipſimet; inprimis cum nos humaniſſime inuitaueritis, ut ueſtris intereſſemus ſacris, nec intelligentia ſola, quae meditamini, ſed natura et ſenſu metiremur. Verum tamen ipſimet probe intelligitis, quam auide noſtram praeſentiam poſcat ſtudioſa iuuentus, quam ſint literarii labores catenati, quamque id aduerſetur exſpectationi tot praeſtantium iuuenum, ſi Profeſſores peregre proficiſcantur, et ſcholae deſiderium quadantenus deponant. Quamobrem iſtud cepimus conſilii, ut, quia ciues noſtri plures a ſe diuelli doctores uix patiuntur, unum ex collegis noſtris deligeremus, qui curſum ad uos dirigat, et, quod experiri omnes cuperemus, et uidere, et audire, is audiat, cernat, percipiatque coram. Eſt is coniunctiſſimus nobis, ac uobis haud dubie cognitiſſimus, FRIDERICVS HOFFMANNVS, Medicae artis Profeſſor ordinarius, ac Facultatis ſuae Senior merentiſſimus, qui amantiſſimis uerbis plura ſignificabit explicate, qui noſter in Palaecomen ſit affectus, quae in doctiſſimos Profeſſores illius loci propenſio; quamque honorifice de iis loquamur et ſentiamus, et ſecunda omnia eorum laboribus ad uirtutis et ueritatis gloriam deſtinatis apprecemur. Nos interea ea, qua poſſumus, animi ſubmiſſione a DEO rogamus, ut, quod ſolenni caerimonia celebrabitis, feſtum ſaeculare fauſtiſſime peragatur; ueraeque ſapientiae decus et ſolidae dignitatis lumen uniuerſam Academiam, eiusque membra praeſtantisſima in aeterna claritatis poſſeſſione certiſſime tueatur ac ſeruet. Et arbitrabimur ſatis magnum praemium noſtro in uos ſtudio eſſe perſolutum, ſi intellexerimus, collegam uobis noſtrum non prorſus iniucundum contigiſſe, nec hoſpitem ingratum. Valete. Halae Magdeburgicae, CIↃIↃCCXXIII, VII Idus Iunias.

Inſcriptio:

Viris Magnificis, maxime Reuerendis, Iuriſconſultiſſimis, Experientiſſimis, Ampliſſimis, Excellentiſſimisque, RECTORI et PROFESSORIBVS INCLYTAE ACADEMIAE ALTORFINAE, Dominis Fautoribus et Amicis noſtris honoratiſſimis.

Altdorfinum.

SECTIO IIII.

SECTIO IIII,

QVA EXHIBENTVR

EPISTOLAE QVAEDAM EVCHARISTICAE ACADEMIAE ALTORFINAE,

DE HONORE LEGATIONIS SIBI AB ALIIS INCLVTIS ACADEMIIS DESTINATO HABITOQVE.

I.

Literae euchariſticae ad INCLVTAM ACADEMIAM HEIDELBERGENSEM.

MAGNIFICE ACADEMIAE RECTOR, VIRI MAXIME REVERENDI, IVRISCONSVLTISSIMI, EXPERIENTISSIMI, AMPLISSIMI, EXCELLENTISSIMIQVE, FAVTORES ATQVE AMICI HONORATISSIMI.

VErbis ſatis explicare non poſſumus, quantam nobis uoluptatem attulerint literae ueſtrae, omnis humanitatis pleniſſimae, quibus noſtrae Academiae non ſolum de ſolennitate ſaeculari, quam per diuini Numinis bonitatem, indicto tempore, feliciter celebrauimus, perbenigne congratulati eſtis; ſed ad eandem etiam Ablegatum quendam mittendum deſtinaueratis. Etſi igitur nihil magis in uotis habuiſſemus, quam ut pro eo, ac conſtitueratis humaniſſime, nosque iam ſperare iuſſeratis, ex ipſo incluto Collegio ueſtro quendam tam prolixae uoluntatis erga nos ueſtrae interpretem, inter illa ipſa ſolennia Academica, praeſentem uidere, debitoque honore proſequi, nobis licuerit: uerum, cum alia interuenerint, quo minus propoſitum proſequeremini; contigit tamen, ut honore iſto nobis iam deſtinato non prorſus excideremus, utque aliquod illius inſignis beneuolentiae ueſtrae documentum publicum extaret; cuius memoria, non ſine perpetua grati animi noſtri ſignificatione, ad ipſam ſeram poſteritatem transferri poſſit. VOBIS enim non improbantibus, interea partes illas detulimus Seniori antehac Academiae noſtrae, et Profeſſori Medicinae primario, nunc autem SERENISSIMI MARCHIONIS ONOLDINO-BRANDENBVRGICI Conſiliario aulico et Archiatro praecipuo, Viro magnifico et nobiliſſimo, IO. MAVRICIO HOFFMANNO, Sacrae CAESAR. MAIESTATIS Comiti Palatino, et Archiatro, atque inclutae Academiae LEOPOLDINO-CAROLINAE Natur. Curioſ. Ephemeridum *DIRECTORI optime merito: qui in illa ipſa feſtiuitate ſaeculari, antiquae et illuſtris Academiae ueſtrae nomine, prouinciam atque auctoritatem magnifici Ablegati, pro eo, ac par eſt, primo loco dexterrime ſuſtinuit. Quo maior autem honor ex illo ipſo ſingulari fauore ueſtro ad hanc noſtram literariam ſocietatem redundauit; eo VOBIS nos deuinctiores profitemur, eoque paratiores ſemper erimus, ut quacunque occaſione VOBIS, ueſtraeque inclutae Academiae, mutua quaeuis officia, omnemque*

cultum debitum, testemur. De cetero, DEVM *immortalem precamur, ut* SERENISSIMVM *ac* POTENTISSIMVM PRINCIPEM ELECTOREM PALATINVM, *cuius glorioso praesidio felicique tutela Musae uestrae fruuntur, itemque uniuersam* SERENISSIMAM DOMVM PALATINAM, *omni excelsae fortunae genere cumulet, ac publico S. R. Imperii bono quam diutissime seruet. Sed et* VOBIS, *Viri excellentissimi, uestraeque celeberrimae Academiae, ea semper fata, quae uotis concipi possunt optima atque prosperrima, idem Numen diuinum clementissime impertiatur! Valete. Dab. Altorfii Norimbergensium, a. d.* IIII *Non. Aug. A.* CIↃ IↃCCXXIII.

CELEBERRIMORVM NOMINVM VESTRORVM

cultores studiosissimi,

Rector et Professores Academiae

Altorfinae.

Inscriptio:

Viris, Magnifico, maxime Reuerendis, Iurisconsultissimis, Experientissimis, Amplissimis, Excellentissimisque, INCLVTAE ACADEMIAE HEIDELBERGENSIS RECTORI, CETERISQVE PROFESSORIBVS CELEBERRIMIS, *Dominis, Fautoribus et Amicis nostris honoratissimis.*

Heidelbergam.

II.

Literae eucharisticae ad INCLVTAM ACADEMIAM LIPSIENSEM.

MAGNIFICE ACADEMIAE RECTOR, VIRI MAXIME REVERENDI, IVRISCONSVLTISSIMI, EXPERIENTISSIMI, AMPLISSIMI, EXCELLENTISSIMIQVE,

FAVTORES ATQVE AMICI HONORATISSIMI.

MVltis nominibus nos VOBIS *obstrictos profitemur, qui Academiae nostrae felicitati, diuinitus nobis indultae, tam prolixe, tamque honorifice, fauistis. Vestra enim gratulatio, qua nostram prosecuti estis festiuitatem saecularem, tanto nobis accidit gratior, iucundiorque; quanto certius constat, eam ab iis profectam esse, qui nobis ex animo cupiant, suoque intelligant exemplo, quantum boni aliis apprecentur. Luculentiori adhuc amicitiae et coniunctionis documento uestram erga nos beneuolentiam declarastis,* VIRI CELEBERRIMI, *cum facultatem nobis daretis Ablegati honorarii constituendi, qui illustris* ACADEMIAE *uestrae nomine solennitatem nostram ornaret plurimum et cohonestaret. Quas partes omnium consensione sibi delatas haud grauate suscepit, et ex incluti ordinis uestri dignitate, magnifice et praeclare gessit, Vir grauissimus, ac fama meritisque excellentissimus, isque disciplinae uestrae quondam innutritus, natalibusque* VOBIScum *coniunctus,* GODEFRIDVS THOMASIVS, *Medicus* PRINCIPIBVS *percharus, et* REIPVBLICAE NORICAE *in deliciis, omnibusque mansuetioribus Musis dulce uenerabileque nomen. Quid? quod nostra cumulastis gaudia, eo carmine solennibus*

nibus nostris dicato, cuius praestantia uestram Germanorumque ingeniorum gloriam, etiam in hoc ipso eruditionis genere, facile tueatur. Vicit adeo expectationem nostram tanta tamque eximia humanitas uestra, quam pro eo, ac par est, magni facimus, publiceque praedicamus. Quin et ipsi PATRES INCLVTAE REIPVBLICAE NORIMBERGENSIS laetati sunt, gratiamque VOBIS habuerunt, cum uiderent, hanc filiam et alumnam suam, inter tot honorificas gratulantium concertationes, etiam a uestra Academia tam comiter, tamque impense, amari, quae et uetustatis dignitate, et ornamentorum amplitudine, inter tot alias exsplendescit. Dabimus igitur operam, ut quacunque occasione gratos memoresque huius tam luculenti officii nos intelligatis. Interim, si VOBIS ita uidebitur, Acta solennium saecularium Academiae nostrae seruabitis; quae, uti aliquam rerum nostrarum memoriam, ita cumprimis egregium humanitatis uestrae monimentum, ad posteritatem transmittent. Ceterum, quantis possumus, a DEO IMMORTALI petimus precibus, ut POTENTISSIMVM REGEM, et magnanimum Martii regni Propugnatorem, PRINCIPEMQVE ELECTOREM SAXONIAE, item et in uniuersum REGIAM AC DVCALEM SAXONVM DOMVM, gloriae atque tranquillitati temporum uolens propitius seruet, et ui coelesti, numineque diuino, perpetuo tueatur: ut et VOS sub tam auspicato magnoque praesidio fortunati semper & florentes rem sacram atque literariam ornetis, uberrimosque meritorum uestrorum fructus huic aeuo aeque ac secuturis saeculis feliciter largiamini. Valete.

CELEBERRIMORVM NOMINVM VESTRORVM

cultores studiosissimi,

Rector et Professores Academiae Altorfinae.

Inscriptio:

Viris, Magnifico, maxime Reuerendis, Iurisconsultissimis, Experientissimis, Amplissimis, atque Excellentissimis, INCLVTAE ACADEMIAE LIPSIENSIS RECTORI, MAGISTRIS, et DOCTORIBVS, Dominis, Fautoribus et Amicis nostris honoratissimis. *Lipsiam.*

III.

LITERAE IPSIVS ABLEGATI HONORARII ad INCLVTAM ACADEMIAM LIPSIENSEM.

MAGNIFICE ACADEMIAE RECTOR, PATRES CONSCRIPTI PERPETVO OBSERVANTIAE CVLTV SVSPICIENDI.

Fauentis mihi fortunae beneficium agnosco prorsus singulare, quod ad postulationem, desideriumque uestrum, iussu Procerum mandatoque delectus fuerim, qui in sacris Academiae Noricae saecularibus, effusissimo hodie hilaritatis publicae sensu concelebratis, legati uestro nomine honorarii partes dignitatemque sustinerem. Quod ego quidem munus, cum nimis mihi arduum, plenumque honoris ac inuidiae, appareret,

reret, ea, qua decet, modeſtia initio deprecatus, ſuſcipere tamen omnino neceſſe habui, ut notam hominis parum morigeri obſequentisque declinarem. Et ipſa certe animi VOBIS ſemper deuotiſſimi religio hanc mihi legem facile impoſuit, necquidquam obluctanti, cum ut habeantur ſane plures, quibus auctoritate ac meritorum amplitudine eximiis rectius iſtae partes potuiſſent demandari; qui tamen maiori obſeruantia (ne de originis diſcipulinaeque nexu quidquam heic ingeram) obſtrictus, mancipatusque VOBIS uiuat, certum ſit, homines inter natos inueniri neminem. Igitur omni, qua par eſt, uerecundia onus, cui ferendo impares ſentiebam humeros, paſſus denique ſum imponi, fecique demiſſo animo, quae fieri uoluiſtis, ut in feſto hoc die partem gaudii laetitiaeque ſuſcipiens, affectus pariter ueſtri ac ſtudii exuperantiam ſolemni congratulatione declararem. Dici non poteſt, quam benigna comitate receptum fuerit iſthoc humanitatis ac fauoris ueſtri documentum abs illuſtribus Academiae nutritoribus, qui terſiſſimo cumprimis ac luculento, quod typis exaratum miſiſtis, carmine mirum in modum delectati cumulum propterea gratiarum VOBIS ſunt relaturi. Sed hasce omnino plena gaudiorum feſtiuitatisque Academia facundiſſimi Oratoris ſui calamo plenius copioſiusque enarrabit. Mihi id duntaxat unum nunc relictum eſſe arbitror, ut, antequam ex hoc Muſarum Apollinisque ſacrario ad lares meos reuertar, pietatis heic erga VOS meae et religioſi obſequii conſtet ratio, quam ut in poſterum parato ſemper ad nutus ueſtros miniſterio poſſim probare, omni contentione, quoad uixero, ſum allaboraturus. Valete ex uoto, ueſtrumque mihi fauorem ſeruate illibatum, lumina perpetuo rei literariae bono diu lateque fulgentiſſima.

MAGNIFICIS AC VNDIQVAQVE CELEBERRIMIS VESTRIS NOMINIBVS.

Scrib. Altorfii a. d. III Kal. Iul. cIↄIↄccxxIII, *in muſeo Rinkiano, cultiſſimo Gratiarum ac melioris ab omni aeuo doctrinae habitaculo.*

deuotiſſimus omni cultu
atque officiis,

Godefridus Thomaſius.

IIII. Li-

IIII.
Literae euchariſticae ad INCLVTAM ACADEMIAM IENENSEM.

MAGNIFICE ACADEMIAE PRORECTOR, VIRI MAXIME REVERENDI, IVRISCONSVLTISSIMI, EXPERIENTISSIMI, AMPLISSIMI, EXCELLENTISSIMIQVE, FAVTORES ATQVE AMICI HONORATISSIMI.

Magnum DEI beneficium eſt, quod, pro eo, ac optaueramus, natalem Academiae noſtrae ſaecularem, rite feliciterque celebrare nobis licuit. Verbis exprimi non poteſt, quantum ad publicam laetitiam noſtram attulerint humaniſſimae literae ueſtrae, quibus non ſolum iſtam ſolennitatem Academicam conceptis uerbis felicem fortunatamque eſſe iuſſiſtis; ſed etiam ad amplificandum eius honorem nobis perbenigne conceſſiſtis, ut, qui inclutae Academiae ueſtrae nomine ſacris noſtris ſaecularibus intereſſet, legatum honorarium ipſi conſtitueremus. Commodum accidit, ut eo tempore huc ueniret Vir ſancti muneris auctoritate et eruditionis excellentia maxime Reuerendus, IO. DAVIDES BAIER, Sereniſſimi DVCIS SAXO-VINARIENSIS auſpiciis Antiſtes Dornburgenſis et Burgelenſis, itemque Eccleſiaſtes Ciuitatis Vinarienſis: qui cum Parentem habuerit Theologum celeberrimum, ac quondam de Academia ueſtra optime meritum, et ipſe in Muſarum ueſtrarum contubernio altus honoribusque Academicis ornatus fuerit; VOBIS certe comprobantibus, magnificas Ablegati ueſtri partes lubens meritoque ſuſcepit, et inter ipſa ſolennia ſaecularia egregie ornauit. Haec tanta et tam luculenta ueſtrae erga nos beneuolentiae teſtificatio, ſicut ipſis illuſtribus Academiae noſtrae NVTRITORIBVS, et CVRATORIBVS, accidit gratiſſima; ita noſtrum praecipue ordinem VOBIS maiorem in modum deuinxit, ut nihil quicquam ſit tantum, quod nos non ueſtra cauſſa debere uelimus, facturique ſimus quacunque occaſione, cum ſtudioſe, tum libenter. Interea uero DEO immortali religioſiſſimis animis ſupplicamus, ut SERENISSIMORVM DVCVM SAXONIAE ERNESTINAE PROPAGINIS Domum auguſtam, communis Patriae felicitati, et rei ſacrae ac literariae bono, inprimisque auſpicatiſſimo Muſarum ueſtrarum praeſidio, incolumem florentemque in omne aeuum praeſtet; item et VOBIS, Viri excellentiſſimi, atque illuſtri Academiae ueſtrae, quicquid ornamenti atque proſperitatis uotis expeti poteſt, lubens propitius perpetuo indulgeat.

Vnum eſt, quod adhuc his literis a VOBIS peramanter petendum duximus. Nimirum identidem hucusque uſu uenit, ut, cum quidam ciues ingenii turbulenti et male feriati ex incluta Academia ueſtra ſuo

merito eiecti, huc confugerint, et a nobis, istarum rerum primum ignaris, in nostram Ciuitatem Academicam fuerint recepti, non parum molestiae paullo post nobis attulerint, peruersi moris sui retinentes. Idem VOBIS *etiam ab iis credimus potuisse accidere, quos et nos nostra societate literaria censuimus indignos. Vt igitur hac etiam ex parte tranquillitati rei Academicae, quantum fieri potest, utrinque in posterum prospiciatur, memores pristinae huiusmodi pactionis, quae iam antehac inter utramque intercessit Academiam, per communia doctrinae uirtutisque studia* VOS *rogamus, ut, quoties contigerit, ut eius generis perditos homines ex coetu uestro Academico exterminandos iudicetis, publicas citationis atque relegationis formulas, inuolucro conclusas, per tabellarium Norimbergensem, eumque ordinarium, ad nos perferendas haud grauatim curetis, quo iidem a nostrae etiam Academiae aditu atque consortione arceantur. Parem operam* VOBIS *nos quoque lubentes praestabimus, et hoc humanitatis genus, quibus fieri potest, studiis officiisque demereri annitemur. Valete. Dabamus Altorfii Norimbergensium, Nonis Sextil. A.* cIↄ Iↄ cc xxiii.

CELEBERRIMORVM NOMINVM VESTRORVM

cultores studiosissimi,

Rector et Professores Academiae Altorfinae.

Inscriptio:

Viris, Magnifico, maxime Reuerendis, Iurisconsultissimis, Experientissimis, Amplissimis, Excellentissimisque, PRORECTORI *et* PROFESSORIBVS INCLVTAE ACADEMIAE IENENSIS, *Dominis, Fautoribus et Amicis nostris honoratissimis.* *Ienam.*

V.

Literae eucharisticae ad INCLVTAM ACADEMIAM IVLIAM.

MAGNIFICE ACADEMIAE PRORECTOR, VIRI MAXIME REVERENDI, IVRISCONSVLTISSIMI, EXPERIENTISSIMI, AMPLISSIMI, EXCELLENTISSIMIQVE,

FAVTORES ATQVE AMICI HONORATISSIMI.

V*Estrae erga nos beneuolentiae atque humanitatis documentum prorsus eximium publice dedistis,* VIRI CELEBERRIMI, *quod literis nostris superioribus perofficiose et peramanter inuitati, non solum saecularia nostratis Academiae sacra, quae per diuini Numinis gratiam, stato tempore, feliciter peracta fuere, prolixo fauore, piisque uotis, prosecuti estis; sed etiam ad eadem condecoranda, ex incluto Collegio uestro ablegastis Virum fama et meritis excellentissimum amplissimumque,*

GOT-

GOTLIBIVM SAMVELEM TREVERVM, Politices atque Moralium Professorem ordinarium, qui propensissimae uestrae erga nos uoluntatis optimus omnibusque gratissimus extitit interpres, et magnificam illustris Academiae uestrae auctoritatem inter illa ipsa solennia, pulcherrime asseruit. Quo itaque insignior honor huic erudito Coetui hinc accessit; eo is gratior accidit PERILLVSTRI REIPVBLICAE NORIMBERGENSI, altrici Musarum nostrarum benignissimae; eoque studiosius noster inprimis Ordo, pro eo, ac par est, dabit operam, ut, quantum hoc nomine VOBIS debeat, non uerbis tantum, sed factis etiam, quacunque data occasione, declaret. Quod reliquum est, DEVM immortalem religiosissime precamur, ut Potentissimum ac Sacratissimum Magnae Britanniae REGEM, et uniuersam Serenissimam, eamque REGIAM et ELECTORALEM ac DVCALEM DOMVM BRVNSVICO-LVNEBVRGENSEM, sub cuius gloriosissimo regimine praesidioque celeberrima Academia uestra felicissime floret, non solum regnorum populorumque suorum bono, sed et ipsius Europae ac rei Christianae tranquillitati, quam diutissime seruet, atque omnibus augustae felicitatis generibus perpetuo cumulet. Sic et VOS, Viri celeberrimi, ad amplificandum reipublicae literariae decus, et ad illustre nomen inclutae Academiae uestrae ornandum, bene feliciterque semper agatis! Valete. Dab. pridie Nonas Iulias, A. R. S. cIↄ Iↄccxxiii.

CELEBERRIMORVM NOMINVM VESTRORVM

cultores studiosissimi,

Rector et Professores Academiae Altorfinae.

Inscriptio:

Viris, Magnifico, maxime Reuerendis, Iurisconsultissimis, Experientissimis, Amplissimis, Excellentissimisque, PRORECTORI et SENATVI INCLVTAE ACADEMIAE IVLIAE, Dominis, Fautoribus et Amicis nostris honoratissimis.

Helmstadium.

VI.
Literae eucharisticae ad INCLVTAM ACADEMIAM FRIDERICIANAM.

RECTOR ET PROFESSORES
ACADEMIAE ALTORFINAE
VIRIS MAGNIFICIS, PRORECTORI, DIRECTORI, ET CANCELLARIO, CETERISQVE EXCELLENTISSIMIS ACADEMIAE FRIDERICIANAE PROFESSORIBVS
S. P. D.

ETsi inter saecularia literati coetus nostri sacra, quae DEI beneficio exoptatum ac felicem habuerunt exitum, multas uariasque laetandi caussas haberemus: dici tamen non potest, quantae nobis

iucunditati fuerit luculenta illa ueſtrae erga nos uoluntatis teſtificatio. Quid enim nobis contingere potuiſſet gratius, quidque honorificentius, quam et eam Academiam tam prolixe cupideque noſtro uelificari honori, quae tot illuſtribus egregiisque uiris ornata, totque inſtructa decoribus, Germanos pariter atque exteros in pulchrum ingeniorum certamen, honeſtamque laudis aemulationem, uocat? Non ſatis habuiſtis, VIRI CELEBERRIMI, *literis humaniſſimis diſertiſſimisque ueſtrum nobis amorem, ueſtrumque ſtudium, abunde declarare; ſed ex incluto etiam ordine ueſtro legatum huc mittendum deſtinaueratis, quem in ſacra et ſolenni Academiae noſtrae ſupplicatione, teſtem communis gaudii, et uotorum ueſtrorum interpretem multo ſuauiſſimum gratiſſimumque, expectabamus. Sed, quod magnopere doluimus, praeter opinionem, calamitas domeſtica, et luctuoſa deſideratiſſimi Filii iactura, oppreſſerat, et uel ex itinere reuocauerat, optimum, et muneris auctoritate, meritorumque fama excellentiſſimum,* COLLEGAM *ueſtrum, cui partes ſolennis gratulationis obeundas detuleratis. Qui caſus quamuis Ablegationis ueſtrae iucunditatem nobis eripuerit; haudquaquam tamen intercipere potuit laetum uberemque tam propenſae erga nos uoluntatis beneuolentiaeque fructum; quem utique permagno aeſtimamus, eaque de cauſſa non parum* VOBIS *debemus, et inprimis grati monimentum animi extare cupimus, cultum noſtrum, mutuumque ſtudium, quandocunque facultas et occaſio erit, declaraturi.* VOS *uero, quem teſtati eſtis amorem fauoremque, conſtanter nobis ſeruate, et Acta ſolennium Academiae noſtrae ſaecularium, quae potiſſimum eximio humanitatis ueſtrae documento ornantur, aequi bonique facite. Quod ſupereſt,* DEVM OPT. MAX. *qui aeterno imperio res humanas moderatur, quanta maxima poſſumus, religione ueneramur, ut communi gentium quieti, et chriſtiani nominis dignitati, in ſeriſſimos annos ſeruet, ſaluumque praeſtet, Potentiſſimum Prutenorum* REGEM, *et* PRINCIPEM ELECTOREM BRANDENBVRGICVM, *ſtatorem Muſarum ueſtrarum indulgentiſſimum; ſimiliterque* REGIAE *ac* PRINCIPALIS DOMVS BRANDENBVRGICAE *in uniuerſum ornandae firmandaeque neque finem faciat, neque modum. Ita uero diuini Numinis nutu ac conſilio fiet, ut, quod ex animo optamus,* VOS *etiam, ſub tutela tam glorioſa, felices ſoſpitesque de omni eruditione egregie mereamini, et menſuram felicitatis* FRIDERICIANAE, *rebus ſupra uotum fluentibus, omnibusque bonis congratulantibus, impleatis. Valete.*

Inſcriptio:

Viris Magnificis, maxime Reuerendis, Iurisconſultiſſimis, Experientiſſimis, Ampliſſimis, Excellentiſſimisque, PRORECTORI, DIRECTORI, CANCELLARIO, CETERISQVE PROFESSORIBVS INCLVTAE ACADEMIAE FRIDERICIANAE, *Dominis, Fautoribus et Amicis noſtris honoratiſſimis.*

Halam Magdeburgicam.

* * *

SECTIO V,

QVA COMPREHENDVNTVR

SCRIPTA AD IPSAM CELEBRATIONEM SACRI SAECVLARIS PERTINENTIA.

I.

PROGRAMMA

MAGNIFICI ACADEMIAE RECTORIS NOMINE PVBLICE PROPOSITVM,

ad Ciues Academicos pietatis et modeſtiae inter ſolennia ſacra commonefaciendos.

RECTOR

VNIVERSITATIS ALTORFINAE

IO. IACOBVS BAIERVS

DOCTOR ET PROFESSOR MEDICINAE PRIMARIVS

CIVIBVS ACADEMICIS

S. D.

ADuentat iam propius inſignis ille uotisque noſtris hucusque expetitus dies, magnus Academiae huius natalis, isque ſaecularis, quo ſummam DEI AETERNI *erga Muſas has Altorfinas bonitatem, et* SACRATISSIMORVM IMPERATORVM *clementiam,* PERILLVSTRIS*que* SENATVS NORIMBERGENSIS, *Nutritorum noſtrorum benigniſſimorum, munificentiam, debita pietate atque ueneratione publice ſolenniterque celebrare connitemur. Praeſtabit fauor Numinis diuini, ut, quod religioſiſſime precamur, uota noſtra dignis ſucceſſibus procedant, atque ipſum tempus exoptatum auſpicato illuceſcat, huicque optimarum artium uirtutumque ſacrario etiam hac ratione nouus ueluti uigor, nouumque decus, concilietur. Quid uero eſt, quod ſincerius noſtra explere gaudia, hisque Hilariis Academicis iucundius ornamentum afferre queat, quam ueſtra inprimis,* CIVES ACADEMICI, *pietas atque modeſtia? Iactabant olim Romani, ſibi templum quoddam eſſe, quod neque a muſcis, neque a canibus, unquam fuerit contactum. Et Aelianus, Graecus ſcriptor, inter miracula Apollinis refert, nullum uene-*

natum animal ullo tempore in templum lucumque Apollinis insulae Clari uenisse. O utinam, cum alias perpetuo, tum his praecipue saecularibus sacris, ab hac sanctiore et DEO *uero bonisque mentibus dicata aede omne illud procul absit, quod uel honori gloriaeque eius parum congruens esse, uel coetus nostri tranquillitatem ac gaudia pia ullo modo intempestiuius interpellare, et quasi contaminare, possit! Maioribus nostris ea contigit felicitas, cum ante hos centum annos haec Musarum sedes solennissimo ritu inaugararetur, ut publice deinceps praedicarint, in magno hominum confluxu, nihil omnino turbarum, nihilque rixarum, extitisse, quod eius solennitatis laetitiam hilaritatemque publicam interpellarit, ac uel minima ex parte obfuscarit. De uobis, o spes patriae, sanctiorumque Musarum deliciae, illud etiam nobis pollicemur, fore, ut in praesens quoque hanc laudem uobis optimaeque huic literarum parenti propriam perpetuamque reddatis. Agite igitur, ubi* III *Calend. Quinctil. hic ipse, quem expectamus, dies,* DEO *fauente, feliciter prospereque illuxerit, intra septimam et octauam matutini temporis horam, in aream Collegii Academici frequentes conuenite, atque nobiscum decenti comitatu pompam hanc Academicam condecorate, primum quidem in publico templo, deinde in VVelseriano Academiae auditorio, diuino Numini, supremo huius operis munerisque moderatori, animis ad piam laetitiam compositis, uota saecularia reddituri, et noua etiam in futurum tempus nuncupaturi. Imo totam hanc festiuitatem Academicam, tanquam in conspectu* DEI *immortalis, qui audit uidetque omnia, et in praesentia tot grauissimorum uirorum, inque ore atque oculis totius multitudinis, quae ad spectanda haec solennia hinc inde confluet, tam reuerenter, tamque modeste, transigetis, ut ab ipso* DEO *uolente pacatoque optata facile consequamur; ut perillustres huius Academiae* NVTRITORES CVRATORES*que gaudeant, suas in ornanda hac Academia curas, suos labores, magnificosque sumtus, tam bene feliciterque cessisse; ut praeterea cuiuscunque ordinis uenerandi Hospites, itemque indigenae, uestram insignem uirtutem laeti recognoscant, et ubique collaudent; denique, ut ipsa sera posteritas hanc temporum Musarumque nostrarum felicitatem uel ex hoc exemplo aliquando intelligat, et nobis uobisque quasi postliminio gratuletur. Sic spe uotisque pleni, totius instituti rationes diuinae prouidentiae perbenigne moderandas iterum iterumque commendamus; uobis autem,* O OPTIMI HVIVS ACADEMIAE CIVES, *fortunatos studiorum rerumque successus ex animo apprecamur.* P. P. DOMINICA IIII POST TRINIT. A. R. S. CIↃIↃCCXXIII.

II. Die

II.

Die von GOtt selbst anbefohlene Jubel-Freude/

Welche
über die unzehlige Wohlthaten
des Allerhöchsten/
die Er
der Nürnbergischen Universität Altdorff/
von Anbeginn ihrer Fundation, bis auf
das 1723ste Jahr/
reichlich und gnädiglich erzeiget/
Auf hohe Verordnung E. Hochlöbl. Magistrats des
Heil. Röm. Reichs freyen Republique Nürnberg
angestellet/
und
an dem alljährl. Academischen Fest Petri und Paulli,
aus Psalm. CXLV, 3. 4.
nebst
einem schuldigen Danck-Gebeth
in einer kurtzen

Jubel-Predigt

vorgestellet worden
von
Gustav Georg Zeltner/ der heiligen Schrift Doct.
S. Theol. und Lingg. Orientt. Prof. P. wie auch der
Kirche daselbst Pastore.

J. N. J.

Der ewig reiche GOtt woll uns in diesem Leben
Ein immer frölich Hertz und seinen Frieden geben;
Auch uns in seiner Gnad erhalten fort und fort/
Und uns aus aller Noth erlösen hier und dort. Amen!

Introitus.

JSt unter vielen sehr löblichen Thaten der heiligen Patriarchen etwas rühmliches zu lesen; so ist es gewißlich Jacobs Gelübd und Danck: deren jenes er gethan/ als er in Mesopotamien gezogen; diesen aber abgestattet/ da er auf der Heimkehr von dar zu seines Vatters Haus wieder begriffen war. Von dem ersten/ dem Gelübde/ schreibt Moses in dem 28 Cap. des 1 B. Mos. v. 20. 21. 22: Und Jacob thät ein Gelübd/ und sprach: So GOtt wird mit mir seyn/ und mich behüten auf dem Weege/ den ich reise; und Brod zu essen geben/ und Kleider anzuziehen/ und mich mit Frieden wieder heim zu meinem Vatter bringen; so soll der HErr mein GOtt seyn/ und dieser Stein/ den ich aufgerichtet habe zu einem Mahl/ soll ein Gottes-Haus werden/ und alles/ was du mir gibst/ deß will ich dir den Zehenden geben. Von dem andern/ dem Danck/ aber heißt es im 32 Cap. v. 10: Jch bin zu gering aller Barmhertzigkeit und aller Treu/ die du an deinem Knecht gethan hast: denn ich hatte nicht mehr/ weder diesen Stab/ da ich über diesen Jordan gieng/ und nun bin ich zwey Heer worden. Wir wollen/ und können auch jetzt nicht untersuchen/ was den frommen Sohn Jsaacs zu solchem gottseligen Versprechen bewogen; als wozu genug seyn wird/ wann wir sagen: Derjenige freudige Geist/ der seinen Großvatter/ den glaubigen Abraham/ regieret/ habe auch sein Hertz mit eben dem thätigen Glauben/ Furcht und Liebe GOttes erfüllet; dahero auch GOtt der HErr selbst kein Bedencken getragen/

da sonst hohe Potentaten sich von vielen Ländern schreiben / sich einen GOtt sowohl Abrahams / als Isaacs / und **Jacobs** / seiner geliebten und gehorsamen Unterthanen zu nennen. Der Danck aber / den Jacob vor GOtt unter dem freyen Himmel abgeleget / ist merckwürdiger / und verdient in reiffere Betrachtung gezogen zu werden: als worinn er nicht nur offenhertzig bekennet / wie **grosse Dinge** sein und seiner Vätter **GOtt an ihm gethan** / sondern auch sich aller solcher Gaben und Wohlthaten **unwürdig** erkennet; ja endlich so weit herausbricht / daß er seine eigene Schwachheit gestehet / und zu verstehen gibt / wie er nicht mehr von GOtt / als seinen Macht- und Gnaden-Schutz (dessen er durch der Engel Auf- und Absteigen vom und in dem Himmel im Traum versichert worden /) erwartet / jetzt aber noch über demselbigen / an statt seiner einzeln Person / mit **zwey grossen Heeren** / durch den himmlischen Seegen / wieder nach Haus ziehe. O ein schönes Gelübd! O ein rühmlicher Danck! Ein Danck eines getreuen Liebhabers des ewigen GOttes / der / was **Jacob der Apostel** bezeuget / recht lebendig verstanden / und **alle vollkommene Gaben** / (Jac. I, 17) **die von oben herab kommen** / zu **des** himmlischen **Vatters des Lichts** Lob und Ehren treulich geheiliget hat! Wir bewundern billig die Gnade GOttes / die in ihme war / und preisen ihn über dem unterthänigen Gehorsam / womit der Geist des Gebeths / der auch Danck würcket / seine Seele ausgeschmücket hat. Nehmen aber so gleich diß fürtreffliche Tugend-Exempel vor uns / als ein Muster gleicher / ja noch mehrern / Verbindung / zum Preiß / Lob / Danck und Ehre GOttes des Allerhöchsten / an dieser **heutigen Academischen hundertjährigen** Festivität: da nicht ein einiger Jacob mit seinem Stab / sondern diese gantze liebe Universität / mit Ihren **Hochpreißlichen Herren** NVTRITORIBVS und CVRATORIBVS, sich ihres Academischen Wohlstandes / unter Göttlichem Gnaden-Schutz und vielen Seegen / in allerley genossenen hohen Gutthaten / danckbarlich erinnert / und eben diesen Tag / als einen **Tag / den der HErr gemacht / darinnen wir uns freuen und frölich seyn** sollen und können / feyerlichst begehet. Gewißlich / wir haben auch mit dem frommen Jacob Ursach zu bekennen in aller Demuth unserer Seelen: **HErr! wir sind viel zu gering aller deiner Barmhertzigkeit und Treue / die du an deinen Knechten gethan hast!** Jacob gelobete seinem und seiner Vätter GOtt / daß der HErr sein GOtt seyn / und der Ort / worauf er damahl lag / ein BethEl / ein GOttes-Haus / auch endlich der Zehenden / von alle dem / was er habe / dem HErrn gewidmet seyn sollte. Wir / M. G. sind anheute ingedenck des vor hundert Jahren eben hier an dieser heiligen Stelle geschehenen Versprechens / und bezahlen dem Höchsten jetzt auch unsere Gelübde / welche unsere theuerste Landes-Vätter / nebst den Lehrern dieser werthen Universität / durch den Mund des nunmehr in seinem JEsu ruhenden Herrn Joh. Sauberti, des ältern / gethan haben. Wir bekennen / so demüthig als freudig / daß nicht nur erfüllet worden / was GOtt der HErr bey damahliger solennen Inauguration seinen Dienern zugesaget / und sie gehoffet; son-

dern auch durch seine reiche Gnade ein mehrers erfolget / als damahlige Läufften hoffen liessen. Ist nun das Bene ominor, dieses frommen Theologi, welches er so muthig hier ausgesprochen / über Vermuthen so herrlich in seine Krafft gegangen ; Ist unsere und der GOtt-ergebenen / nunmehr aber in GOtt entschlafenen / Vorfahren Hoffnung nicht zu Schanden worden ; Ist des HErrn / des treuen Wächters Israel / Aug offen gestanden über uns Tag und Nacht : Ey / so gebühret ihm auch ewiges Lob für alle seine Güte / die ewiglich währet. Gelobet sey GOtt / der unser Gebeth / unser Gelübd / unsere Hoffnung / nicht verworfen / noch seine Liebe und Güte von uns gewendet hat / ruffen wir mit David aus dem 66 Ps. v. 20. Ja wir stimmen mit den Eltesten vor dem Thron GOttes und des Lamms / aus der Offenb. Cap. IV, 11 / an: HErr / du bist würdig zu nehmen Preiß / Ehre und Krafft / denn du hast alle Dinge geschaffen / ja du erhältest alles durch dein kräfftiges Wort. Wir setzen dazu : Durch dein Wohlgefallen hast du unsern Berg und Universität starck gemacht / und dein Werck auch hier erhalten im Seegen. Dein heiliger Name seye dafür gebenedeyet in Ewigkeit. Ist also noch übrig / M. L. daß wir auch / worauf unser Danck bestehe / und wie er solle eingerichtet werden / aus dem Wort der Wahrheit / das unsers Fusses Leuchte ist / lernen. Wir wollen dannenhero und zu solchem End einen kurtzen Jubel-Text aus den Danck- und Lob-Psalmen Davids / der so lieblich in Liedern gewesen / vor uns nehmen / und dazu erbaulich anwenden / zuförderst aber GOtt den HErrn bitten / daß er auch diß unser Vorhaben segnen / und uns durch seinen Geist in alle Wahrheit leiten wolle. Darum wir dann miteinander beten ein andächtig Vatter unser ꝛc. Welche unsere Andacht zu befördern / wir zuvor anstimmen / und mit frohen Hertzen und Mund absingen : Hochgelobet / Hochgeehret sey des HErren theurer Nam / u. s. f.

Text:

Psalm. CXLV, v. 3. 4.

Der HErr ist groß und sehr löblich / und seine Grösse ist unaussprechlich: Kindes-Kind werden deine Werck preisen / und von deiner Gewalt sagen.

Eingang.

Wann GOtt der HErr ein besonders Werck verrichtet / oder ein Gesetz / auch Verheissung / gestellet / so finden wir ordentlich / G. wie er zugleich auf ein Denckmahl seiner Thaten oder Anstalten bedacht gewesen. Wir wollen jetzt nicht anführen die Verordnung des Sabbaths zum Gedächtniß seiner Ruhe nach der Schöpffung / 1 B. Mos. II, v. 2. 3. Noch viel weniger sind wir gesinnet uns zu beruffen auf den Levitischen

Opffer-Dienst / der so lang zum Gedächtniß der Verheissung von Christo dienen muste / bis nach Col. II, 17. der Schatten dem Cörper gewichen. Selbst die heiligen Sacramenten in beyderley Verfassung der Mosaischen und Christlichen Kirch-Regierungen / sind zum Andencken der grösten Wohlthaten GOttes / unter andern Absichten / laut der Einsetzung / geordnet. Die Göttliche Feste sollen und werden allein zulänglich seyn / dasselbige zu erweisen / als die / wo nicht durchgehends / doch mehrentheils / zur Erinnerung absonderlicher Gnade und Liebe / welche der GOtt Israelis seinem Volck erzeiget / vermeynt und bestimmet; ja ausdrücklich bey dem Fest der Laubrüst 3 B. Mos. XXIII, v. 43. dazu gesetzet / und sonst auch in gedachtem Capitel wiederhohlet worden: **Daß eure Nachkommen wissen / wie ich die Kinder Israel habe lassen in Hütten wohnen / da ich sie aus Egyptenland führete; Ich bin der HErR euer GOtt.** Woraus ja erhellet / daß sie guten theils zu dem Ende zu feyern angeordnet worden / damit die Nachkommen des Volcks GOttes wüßten / was der HErr ihren Vättern Gutes gethan / und wie sie sich dagegen auch beständig danckbar erweisen sollten. Denen wir folglich / wie in andern vielen Stücken / doch in Christlicher Freyheit / bey unsern Jahr-Festen nachahmen. Gleichwie aber dieses alles auf gewisse Fälle und absonderliche Begebenheiten gezielet / da es dem **gnädigen und barmhertzigen GOtt** gefallen / laut des CXIten Psalms / **ein Gedächtniß zu stifften seiner Wunder;** so werden wir doch nicht leicht ein allgemeines Denck- und Danck-Fest in GOttes Wort / und zwar auf eine Zeit von **Hundert Jahren** / denen Glaubigen fürgeschrieben finden / als in unserm E. L. kurtz zuvor fürgelesenen Text. Welcher dannenhero / eben aus dieser Ursach / würdig / daß er etwas genäuer betrachtet / und dadurch unsere Hertzen in der Erkentniß des Göttlichen Willens und Liebe zu gebührendem Lob des Allerhöchsten ermuntert werden. Welches wir am besten zu vollbringen hoffen / wann wir daraus

Das hundertjährige Gedächtniß der immerwährenden Güte GOttes /

oder / so wir diesem heutigen Freuden-Tag näher treten wollen /

Das allgemeine durch David promulgirte Jubel-Fest /

vorstellen / solches alles aber / nach kurtzer Erläuterung / zu einer erbaulichen Anweisung / wie auch wir unsere Academische Jubel-Feyer nach diesem vorgezeigten Willen GOttes recht begehen sollen / anwenden.

Du aber / HErr JEsu Christe / zeige uns selbst den Weeg deiner Rechte / daß wir sie bewahren bis ans Ende: Gib / daß von Hertzen lernen wir / mit allen Freuden dancken dir / gehorsam seyn nach deinem Wort / dich allzeit preisen hier und dort. Amen.

Ab-

Abhandlung.

Ob in unsern CXLVsten Psalm von der allgemeinen Welt-Regierung GOttes/ oder absonderlich von der Ehre des Königreichs JEsu Christi/ unsers HErrn/ geredet werde/ wird von einigen gefragt. Es ist aber aus vielen Umständen klar/ daß darinnen von dem Reichthum der Güte GOttes insgemein David handele/ so doch/ daß auch alles weiter hinaus in höherer Absicht der Heiligung durch das Licht und Gnade Christi gerichtet/ mithin den glaubigen Kindern GOttes die Wercke seiner heiligen Fürsehung in dem Glauben zu ehren/ fürnehmlich zu Gemüth geführet werden. Unser Text insonderheit/ der als eine Zwischen-Rede/ oder Parenthesis, unter den übrigen Lobsprüchen stehet/ fäßt alles/ was in dem gantzen Psalm enthalten/ kurtz zusammen/ und wie er allen und jeden eine Christliche Jubel-Feyer/ welches wir ein Programma seculare Davidicum wohl nennen konnten/ angekündiget/ also legt er uns zu betrachten vor

I. Die Ursach/ um welcher willen solche Jubel-Freud oder Festivität anzustellen.

II. Die Zeit und Leut/ oder wann und wer dieselbe zu begehen habe.

III. Die Frölichkeit selbst/ oder Gottgefällige Fest-Ubung/ worinnen sie bestehen solle.

Belangend I.) die Ursach/ warum hier David eine Gottgeheiligte Jubel-Freude zu halten/ als ein Prophet des HErrn/ durch welchen der Geist Christi geredet/ befiehlet/ die zugleich aller dieser Freude Haupt-Grund in sich hält/ heißt in dem Text: GOttes Grösse. Groß ist der HErr/ und sehr löblich/ und seine Grösse ist unaussprechlich; So lauten die Worte des Manns nach dem Hertzen GOttes. Da denn jedermann weiß/ wie solche hiemit sehr gerühmte Grösse GOttes geistlich/ und keines wegs vom leiblichen Ansehen/ dergleichen dorten von Saul 1 Sam. X, 23. gerühmet wird/ zu verstehen. Alldieweil GOtt der HErr selbst ein Geist ist/ nach dem Zeugniß des Sohns GOttes Joh. IV, 24. Und wann er gleich Hiob. XI, 8, seqq. als höher denn der Himmel/ tiefer denn die Hölle/ länger denn die Erde/ breiter denn das Meer beschrieben wird; so ist doch bewußt/ es werde dadurch in einer hohen Poetischen Vorstellung/ nichts anders als seine unermäßliche Allgegenwart und Krafft/ nach menschlicher Weise und Maas/ bedeutet. Ist es nun eine geistliche/ GOttes untheilbaren Wesen gemäse Grösse/ so wird/ wo wir ferner etwas determiniren sollen/ weiter nichts dadurch gemeynet/ als die unendliche Vollkommenheit des Höchsten in aller Welt/ in seinem Wesen/ Personen und Eigenschaften/ welche sonst GOttes Hoheit/ Herrlichkeit und Majestät/ insgemein aber sein hoher herrlicher Name/ und Philipp. II, 9.

ein Nam über alle Namen / in dem sich alle Knie beugen müssen; ingleichen der grosse Name des HERRN in allen Landen / der unser Schutz und Hülfe ist; seine grosse Stärcke / Macht / Güte; ja auch sein grosser und wunderbarlicher Name / der da heilig ist / der es mit der That beweisen könne rc. Jer. X, 6. und Ps. XCIX, 3. anderswo aber mit andern nachdrücklichen Worten benennet worden. Wann deme nun also / so bleibt nur dieses noch zu erwägen übrig; wie David solche Göttliche Hoheit / d. i. seine wesentliche Allmacht / Allgegenwart / Allwissenheit / ewige Gerechtigkeit und unbegreifliche Barmhertzigkeit / samt andern Tugenden GOttes / (2 Petr. I, 3.) die zu seiner Herrlichkeit mit gehören / uns zu betrachten vorhalte. Da denn noch überdiß zu wissen; er stelle uns solche Fürtrefflichkeit GOttes für / theils wie sie in GOtt / ja GOttes Wesen selbsten sind / weßwegen ihn auch Johannes ein Licht und die Liebe nennet; theils aber und fürnehmlich / wie sie sich gegen seine Geschöpffe / und besonders gegen uns Menschen / am allerreichesten aber gegen seine Kirche und deren Gliedmassen / als ein voller Strom / und lebendige überlauffende Quelle / ergiesse / eussere / oder hervorthue / oder / wie wir derselben in allerhand heiligen Würckungen wohl geniessen. In welcher Absicht nicht nur seine Grösse / d. i. seine Herrlichkeit / sehr löblich / oder / welches eben so viel / Lob- und Ruhm-würdig / und bald hernach unerforschlich / d. i. unbegreifflich / heisset / sondern auch folgends / wo von dem geziemenden Preiß ausdrücklich Meldung geschiehet / seiner Wercke und Gewalt gedacht wird. Eben aus der Ursach / damit wir / in dem uns so theuer anbefohlenen Gedächtniß der immerwährenden Güte des HErrn / nicht allein auf seine Majestät an sich betrachtet / sondern auch / und vor andern / auf das Geschäfft seiner Hände (wie dort Es. V, 12. stehet /) Acht haben sollen. Wovon schon im CXI. Psalm es lautet / daß / wer ihr (der Wercke GOttes) achte / der habe eitel Lust daran. Ob der hocherleuchtete Prophet / ausser den gemeinen Natur- und Gnaden-Wercken GOttes / nach allen drey Haupt-Articuln und Wohlthaten / auch zugleich auf besondere Fata der Kirchen / einzelner Personen / und sein selbst ziele / wie sie nemlich andern begegnen / er aber besonders wunderbarlich geleitet worden / leidet die Zeit nicht zu erforschen. Und das um so viel weniger / da auch die unerforschliche Weege GOttes selbst (ἀνεξιχνίαστοι ὁδοὶ) Rom. XI, 33. uns schlechte Hoffnung / darinnen weit zu kommen / machen. Darum wir dann von der unendlichen Grösse und immer fortwährenden Güte des Allerhöchsten / als der Ursache mehrgedachter und von David angesagter Jubel-Freude / uns

II.) zu der Zeit und den Leuten / von welchen und wann sie solle begangen werden / wenden. Hier nun ist kein Zweifel / es seye beedes allgemein; wie wir denn solch Jubel-Gedächtniß oben deßwegen ein von David verkündigtes gemeines Iubilaeum genennet. Denn wer ist wohl unter der Sonnen zu finden / der nicht diesem grossen GOtt / wovon allererst die Rede war / vieles / ja alles / was wir sind / haben und vermögen / an

Leib

Leib und Seel/ zu dancken hätte. **Alles / was wir ausrichten / das hast du uns gegeben;** bekennet nicht nur die Israelitische Kirche / Es. XXVI, 12. sondern auch **Paullus** macht einen allgemeinen Uberschlag/ und schließt/ oder summiret endlich: **Von ihm/ durch ihn/ in ihm sind alle Ding/ ihm sey Ehre in Ewigkeit.** Rom. XI, ult. Scheinet also nicht nöthig zu seyn/ daß wir weiters nach den **Leuten** fragen/ oder **Wer** der Güte GOttes gedencken solle/ ausführlich zeigen; da ja/ wer nicht wie Roß und Mäuler seyn will / sich **unter die allmächtige Hand GOttes demüthigen/** und seiner ausgetheilten Gaben unaussprechliche Weitschafft und Reichthum ehren muß. Noch viel weniger dörfen wir uns um die **Zeit** bekümmern / als wovon **David** selbst anderwerts bekennet/ daß/ wie von der Liebe/ so auch dem Lob GOttes/ kein Augenblick auszunehmen; der auch dasselbe mit seinem eigenen Exempel bestättiget / wann er spricht: **Ich will den HErrn loben allezeit / sein Lob soll immerdar in meinem Munde seyn:** Psalm. XXXIV, 1. seq. Nichts desto weniger wird hier **eine besondere Zeit und Leute** in derselben beniemet/ in welcher und von welchen diese heilige Jubel-Feyer solle fürnehmlich celebriret werden. Und diese heissen **Kindes-Kinder**/ wie es der sel. Lutherus gar wohl übersetzet / oder die Nachkommen ins andere / dritte und vierdte Glied. Nicht/ als ob sie allein GOttes Werck zu preisen schuldig wären; sondern dieweil/ was ihren Vättern von der guten Hand GOttes auch Gutes wiederfahren / denen Kindern im danckbaren Gedächtniß zu erhalten gebühret; damit zugleich/ mit dem Danck/ der Gehorsam gegen GOtt/ der sich/ unter andern/ auf die empfangene Wohlthaten gründet/ aufrecht stehen bleibe/ und nicht mit dem ersten Anschauen verschwinde. Wie denn die Schrift ordentlich/ wenn sie den Verfall der Kirche (z. E. in dem B. der Richter Cap. III, 7.) beschreibet/ solchen von der Vergessenheit GOttes herleitet/ und eben aus der Ursache dafür im V. B. Mos. IV, 9. absonderlich und getreulich warnet. So schön aber Lutherus den Verstand der Worte unsers Textes/ nach der Teutschen Mund-Art/ ausgedrucket/ so viel vollkommener lautet es doch / wann wir **David** selbst in seiner Sprach von diesem heiligen Gedächtniß werden reden hören; als in welcher er eben das jenige Wort (דור) gebrauchet/ welches wir heut zu Tag ein Seculum, **eine Zeit von Hundert Jahren**/ zu nennen pflegen. Welches zu beweisen/ wir uns einig und allein auf das I. B. Mos. XV. beruffen/ allwo eben dieses Wort/ das Lutherus **ein Manns-Leben** gegeben hat / von dem Heil. Geist durch ein Seculum erkläret wird/ der es v. 13 auch selbst/ was hernach im v. 16 **nach vier Manns-Leben** heisset/ mit **vierhundert Jahren** verwechselt. Und bestättiget solche Weissagung von Abrahams Nachkommen und ihrer Unterdruckung auch endlicher Erlösung/ der Erfolg/ welcher Exod. XII beschrieben wird/ als woselbst ausdrücklich stehet/ Israel seye in dem 430sten Jahr aus Egypten ausgezogen: womit dann die obge-

dachte vier Secula sich in der vollkommenen Erfüllung zeigen. Und so ist demnach auch hier in unserm Text dieses der Sinn des Geistes: Es solle ein Geschlecht und abgelauffenes Seculum oder hundertjährige Zeit / לדור dem andern und folgenden / oder die Kindes-Kinder ihren Erben / was GOtt der HErr ihren Vättern gethan / verkündigen; auf daß vermittelst solcher Verneuerung des danckbaren Andenckens an GOttes Gnaden-Werck / welches die Vorfahren genossen / die immerwährende Güte des reichen GOttes im frischen Gedächtniß und fortgesetzten Preiß seiner ewigen Herrlichkeit und Liebe erhalten werde. Und so ist / nachdem wir bewiesen / daß David von einem hundertjährigen Jubel-Gedächtniß rede / da ein Geschlecht dem andern / so zu reden / in gleicher Ubung der demüthigen Erkentniß Göttlicher Wohlthaten / die Hand biete / und wir auch eben aus der Ursache diese seine Wort zum Grund unserer Jubel-Freude geleget / nichts mehr übrig / als daß wir annoch

III.) allein gantz kürtzlich die von ihm promulgirte Jubel-Freude und Feyer selbst / oder worinnen sie bestehe / betrachten. Diese nun nennet er / der danckbare König / einen demüthigen Preiß oder Lob GOttes / דור לדור ישבח מעשיך / und gleich darauf וגבורותיך יגידו spricht er; welches auch der liebe Lutherus, mit preisen / und sagen von GOttes Gewalt / sehr gut übersetzet. Dabey wir gantz nichts erinnern / als daß / was er mit dem Wort / Gewalt / gegeben / (גבורות) nicht allezeit seine gemeine Macht / in Erhaltung aller Dinge / sondern auch vielfältig ausserordentliche mächtige Thaten bedeute; wie es denn nicht selten / sowohl als das Griechische δύναμις oder δυνάμεις, z. E. Ebr. II, 4. für Wunderzeichen und Kräfften gebrauchet wird / die vor andern / als sonderbahre GOttes Werck / auch ein besonders preisen / sagen und erzehlen / wie sonst / so bey den Nachkommen / erfordern. Doch hiebey wollen wir uns / wie schon gedacht / nicht verweilen / sondern den Preiß selbst oder das Sagen von GOttes gewaltigen Wercken erwägen. Da denn offenbar ist / es verstehe der Geist des HErrn nicht ein leeres Geschwätz im loben / und ein lebloses Erzehlen dessen / was GOtt gethan / sondern eine solche lebhaffte Erinnerung und Verkündigung / mit welcher / wann das Hertz voll ist / nach Christi Worten / auch der Mund übergehet / oder / wie im Psalm. XVII, 1. stehet: das nicht aus falschem Munde gehet; ja einen solchen Preiß / da Leib und Seel zugleich auf das empfindlichste angegriffen werden; wie er selbst / David / mit seinem Tantz vor der Lade des Bundes / so in II. Sam. VI, 14. umständlich beschrieben ist / zeugen kan. Wann also hier der innwendigen Erkentniß Göttlicher Wohlthaten nicht ausdrücklich gedacht wird / so geschiehet solches nicht deßwegen / als ob GOtt der HErr nicht darauf vor andern sähe / dem Aufrichtigkeit angenehm ist / und der von seinen Kindern das Hertz fürnehmlich fordert / daraus das Leben gehet: Sprüchw. IV, 22; sondern darum / dieweil er solches schon gleichsam zu voraus vest setzet / und als bekandt / daß kein ihm gefälliges Sagen und Rühmen statt habe / denn das aus dem Hertzen fliesse / zu Grund stellet: zumahlen er sein gebührend Lob

in der angenehmen Zeit und zu gewissen Zeit-Läufften (wie wir zuvor vernommen/) nicht bloß um dessentwillen/ der es ableget/ erfordert; sondern auch andere dadurch zu gleicher Danck-Ubung/ wie eine feurige Kohle die andere anzündet/ will erwecket haben. Und so sind auch die Worte des Psalmisten nicht als eine blosse Weissagung/ von deme/ was geschehen werde/ in künftigen Zeiten/ wie es scheinet/ und die Ubersetzung lautet; sondern von Christlicher Pflicht zu verstehen/ oder von dem/ was da seyn und geschehen solle. Welches wir jetzt mit mehrern zu beweisen aus vielen Ursachen weder vor nöthig achten/ noch wegen Enge der Zeit uns die Mühe geben dörfen. Wir wollen demnach nur noch einige sehr kurtze Anmerckungen/ nach genugsamer Erläuterung unsers Jubel-Textes/ beyfügen/ und zu unser aller Erbauung hieraus

1.) erkennen lernen/ die Tiefe der Göttlichen Geheimnisse/ nicht nur in seinem Wesen/ sondern auch in seinem Willen und Wercken; die allezeit sehr groß und unausforschlich/ und wie das tiefe Meer unergründlich bleiben/ auch da/ und in solchen Fällen/ wo sonst eine klare Offenbahrung der Sache selbst/ samt der Erfahrung/ vorhanden; folgbar schliessen wir/ wie auch hierinnen alle Vernunft unter den Gehorsam Christi solle und müsse gefangen genommen werden/ 2 Cor. X, 5. Und dasselbige meistens in Betrachtung dessen/ daß GOtt der HErr mehr ist und allezeit thun kan/ ja auch zum öftern gethan hat/ als wir wissen oder verstehen/ Eph. III, ult. Ist aber solches nöthig in gemeinen Wercken/ so wird es noch nothwendiger seyn/ in denen Dingen/ wo gewisse Umstände vorkommen/ die der HErr seinem Rath vorbehalten/ und erst nach der Zeit an den Tag kommen läßt. Wohin absonderlich die Fata seiner Kirche/ ja auch eines jeden Menschen und Christen/ mit gehören; davon es vielfältig heißt/ und gilt/ was dort der HErr zu Petro sagte: Was ich jetzt thue/ das weist du nicht/ du wirst es aber hernach erfahren/ Joh. XIII, 7. Oder es gehet uns/ wie es Mosi begegnet/ der/ als wir lesen 2 B. Mos. XXXIII, 23. GOtt von Angesicht nicht/ wohl aber von hinten/ und in den Rucken zu sehen die Gnade erlanget. Das meiste bleibet gar bis in die himmlische Academie und auf die secula seculorum verschoben/ wo erst GOttes Licht und Krafft/ in dem Erkentniß/ auch der Güte und Weisheit GOttes/ von Angesicht zu Angesicht/ dieser Zeit Stückwerck erfüllen/ und das hier unvollkommene Lallen in ein vollkommenes Lob GOttes verwandeln wird: wie davon die abgelegten Proben der Kinder GOttes in der hohen Offenbahrung Johannis zeugen. Dabey es aber auch bey dunckler Erkentniß an dem aufrichtigen treuhertzigen Preiß der unermeßlichen Güte des ewigen GOttes allhier/ wie wir gehöret/ nicht ermangeln solle; so doch/ daß/ wie dort die Seraphim ihr Angesicht und Füsse mit ihren Flügeln Es. VI, 2. seq. deckten/ vor dem Angesicht des HErrn Zebaoth/ indeme das Haus unter ihrem Lob mit Rauch erfüllet wurde/ wir gleichfalls die Verborgenheiten GOttes in aller Demuth bewundern/ und unter solcher heiliger Verwunderung uns mit tiefster Ehrerbietung in seine Herrlichkeit andächtig versencken.

So wäre auch 2.) aus unserm erklärten Jubel-Text sehr wohl und gründlich herzuführen ein recht beständiges / sicheres und GOtt geheiligtes Directorium Historicum, das ist / eine gründliche Anweisung / wie und warum die Geschichte dieser Zeit / besonders aber der Kirche GOttes / oder des Königreichs JEsu Christi / seines Sohnes / aufzuzeichnen und zu lesen / so dann ferner / wann es klüglich und getreulich in dem Licht des Geistes geschiehet / was für grossen Nutzen dieses alles bringe / und was endlich unter andern die Ursach seye / warum die heilige Schrift so viel historische Bücher von Anbeginn der Welt in sich fasse. Es dienet nemlich alles zu dem Ende / und schaffet diese Frucht / daß / wie dort im Ps. CII, 19. stehet / alles geschrieben werde und bleibe auf die Nachkommen / und das Volck / das geboren wird / den HErrn auch lobe / oder welches eben so viel / damit auch Kindes-Kinder / (mit unserm Text zu reden /) und die nach ihnen kommen / sich der grossen Wercke GOttes erinnern / und ihm für seine Güte dancken können. In welcher Absicht durchgehends alle Lob- und Danck-Lieder / z. E. der 77 und 78 Psalm / das Canticum Habakuk, Mosis Denck-Lied 5 B. Mos. XXXII. ingleichen Mariae und Zachariae Freuden-Gesänge Luc. I. und II. wie auch der Propheten Schriften insgesamt mit dergleichen wiederhohlten Einschärfungen der grossen / alten und vorigen Thaten GOttes / so er an den Vättern bewiesen / gantz angefüllet sind / ja auch zu eben dem Ende von Anbeginn der Christlichen Kirche die schönsten Fest- und Danck-Lieder / nach Paulli Erinnerung Coloss. III, 16. einen grossen Theil des offentlichen Gottesdienstes ausmachen. Es soll uns aber auch dieses nur berührt zu haben / genügen / dieweil wir unserm Zweck näher treten müssen. Da wir vor allen

3.) in unserm Text antreffen einen vesten Grund unserer heutigen mit GOtt und für GOtt angestellten Academischen Jubel-Feyer / oder hundertjährigen Lob-Gedächtniß der Güte GOttes / die auch über diese hohe Schul und Universität bis daher mächtig und beständig gewaltet hat; und zwar besonders: Ob / warum / auch wie / wir solche begehen oder halten sollen. Sintemal gleich anfänglich / daß wir dergleichen Festivität celebriren können / ja nicht nur können und mögen / sondern auch sollen / daraus erhellet / dieweil hier GOttes Geist durch David / den Danck-begierigen König (der / wie Sir. XLVII. zu lesen / dem Höchsten für ein jegliches Werck mit einem Lied gedancket /) nicht nur allen Seculis oder den Kindes-Kindern ausdrücklich solches anbefohlen / sondern auch sie des Göttlichen Wohlgefallens versichert hat. Also und dergestalt / daß wann wir dergleichen hochwichtige Zeit-Wechslungen feyren / wir gewiß sind in dem HErrn / es geschehe auch diese Ubung unserer Christen-Pflicht aus dem Glauben / der durch das Wort GOttes kommt / Rom. X, 17. und möge in dem Namen JEsu Christi / GOtt zu Lob / von uns verrichtet werden. Und so ist dann auch unsere Seele getrost in dem HErrn / als die wir wissen und überzeuget sind im Geist und in der Wahrheit / unsere Andacht seye ein GOtt angenehmer Dienst / dieweil wir thun / was für ihm

gefällig

gefällig ist / durch JEsum Christ / welchem sey Ehre in Ewigkeit.
Wir sehen aber auch nechst diesem: **Warum** solche Freude anzustellen / oder worüber sie ergehe/ und was uns dazu bewegen solle? Nemlich / nicht menschlicher Ruhm und Ehre / sondern **GOttes Werck und dessen** gebührendes Lob und **Preiß** / davon Tob. XII, 7. stehet: **Der Könige und Fürsten Rath und Heimlichkeit soll man verschweigen / aber GOttes Werck soll man herzlich preisen und offenbahren.** Wann wir nun überzeugt sind / wie grosse Dinge der HErr auch an uns gethan / wie sollten wir nicht seinen allertheuersten Namen rühmen und benedeyen? Laßt uns nur die Wohlthaten genauer betrachten / welche er dieser lieben Universität bewiesen / damit unsere Seelen den GOtt erheben / der unser aller / wie weyland seines Volcks Israels / GOtt ist. Hat er uns nicht bis diese Stunde in Gnaden für allem Unfall und Verfall behütet? Ist nicht sein Aug über uns offen gestanden / als des treuen **Wächters Israelis** / mit vollen Seegen? Wem haben wir diese Gabe / daß diese Lehr-Schule noch in ihrem Flor stehet / zu dancken / als dem Meister mit der gelehrten Zungen / der in Jerusalem schon in dem zwölften Jahr die himmlische Weisheit profitiret / und nach Matth. XXIII, 10. **unser einiger Meister** (διδάσκαλος) heisset und heissen will? Wollen wir einige besondere Gutthaten mit Fleiß bemercken / so wird sich unser Hertz noch mehr zum Danck ermuntert finden. Ist es ein geringes / daß Er / der HErr / diese liebe Universität für falscher Lehre von Anbeginn behütet / und da sie noch im ersten Academischen Flor eine schwere Versuchung ausgestanden / doch solche glücklich überstehen und überwinden helfen? Wer wollte nicht die Gnade GOttes ehren / daß Friede und Einigkeit bey der seligmachenden Wahrheit immerzu unverruckt geblieben / und wann andere dergleichen Collegia unter- und gegeneinander in Streit und Widerwärtigkeit gerathen / dennoch / ohne darein verwickelt zu werden / gegen alle Anfechtungen / unversehrt bestanden? Wer zuruck dencket / und / wie trübselig es in den bekandten schwehresten Kriegs-Läufften / um diese Gegend / absonderlich vor und in dem langwührigen Teutschen Krieg / ausgesehen / der wird nicht ohne demüthige Verwunderung die heilige Providenz des himmlischen Vatters über diese Stadt und Academie betrachten können: zumahlen wann man lieset / wie fast in den allergefährlichsten Zeiten es bey nahe in keinem Jahr an den Academischen Promotionibus gemangelt. Wozu noch dieser Seegen endlich gekommen / daß / als man es am wenigsten vermuthet / die Privilegia Vniversitatis vermehret / und auch unsere Rahel (ich ziele auf das in der Vorrede berührte Gelübde und unsere Theologische Facultät /) fruchtbar / mithin dieser werthen hohen Schul ebenfalls aus vier Eheweibern / wann ich also die gesamte löbliche Facultäten nennen darf / gantze Heere / wie dort dem Jacob / gebohren worden. Wie viel schöne Anstalten / Gebäude und Bequemlichkeiten von Zeit zu Zeiten diesen Sitz guter Künste und gelehrter Wissenschaften / mit aufgewandten nicht geringen Kosten / gezieret / stehet ja jederman vor Augen / und darf von mir an dieser heiligen Stelle nicht angeführet werden. Kurtz: Was jener Heyd auf heydnische Art von seinem Museo gesagt: Etiam hic Dii habitant; das müssen wir auch von unserm Altdorfischen Zion mit Christlichen Worten wiederhohlen: Der HErr HErr habe in vielen Stücken gezeiget /

hier habe er Lust mit seiner Gnade zu bleiben / diß seye eine Stätte seiner Ruhe / hier wolle er wohnen / denn es gefalle ihm wohl. Psalm. CXXXII, 13. 14.

Sollten wir aber nun bey so gestalten Sachen / und bey so offenbahren Beweiß der vätterlichen Güte / so die Brunnquell alles Guten auf uns reichlich fliessen lassen / des HErrn Werck nicht erkennen? Sollten wir nicht von seiner Gewalt sagen? Sollte nicht unsere Seele mit Maria den HErrn erheben / und unser Geist sich freuen GOttes unsers Heylandes / der so grosse Dinge an uns gethan hat? Ja / ja / M. G. wir müssen und wollen verkündigen / daß der HErr fromm ist / unser Hort / und kein Unrecht an ihm ist: Der HErr ist Sonn und Schild / Er gibt / und hat uns gegeben reichlich Gnad und Ehre. Er hat diese hundert Jahre über / bis auf gegenwärtige Freuden- und Seegens-Stunde / es nicht fehlen lassen an dem Wort seiner Verheissung: Er wird auch künftig kein Gutes mangeln lassen den frommen Hertzen. Wohl uns / wann wir ferner / mit unsern Nachkommen / auf GOtt uns verlassen! Und das ist auch endlich unsere Jubel-Pflicht / oder die aus unserm Jubel-Text unmittelbahr herfliessende heilsame Vermahnung: Wie wir unser Academisches Jubel-Fest in dem HERRN halten sollen. Also nemlich / daß wir nicht allein von gantzen Hertzen erkennen / was uns der allgewaltige GOtt / der GOtt der Wahrheit / der Treu und Glauben hält ewiglich / in so vielen Jahren so unzehlich viel Gutes gethan; sondern auch seinem allerheiligsten Namen Lob / Ehr und Danck mit Mund und Hertzen abstatten. Laßt uns ruffen mit dem Propheten: HErr mein GOtt / wir preisen dich: wir loben deinen Namen / denn du thust Wunder: Deine Fürnehmen von Alters her sind treu und wahrhaftig / Es. XXV, 1. seq. Lobe den HErrn unsere Seele / und was in uns ist seinen heiligen Namen / und vergesse niemand nicht / was Er uns Gutes gethan hat. Nicht uns / sondern deinem Namen o GOtt! sey Ehre / um deiner Gnade und Wahrheit willen / Amen. So dann aber ist unsere Pflicht und Schuldigkeit / Jhn hertzinniglich anzuruffen / daß Er mit seiner Gnade unverruckt ferner über uns wolle walten / mit seinem Seegen nicht von uns weichen / sein Werck auch fürohin an diesem Ort fortsetzen / und endlich / wann Er uns aus aller Noth erlösen wird / auch aufnehmen in sein himmlisches Reich; da wir alle vollkommen vom HErrn gelehrt / nicht mehr das Wissen Stückwerck erlernen / sondern Jhn selbst und seine völlige Grösse von Angesicht zu Angesicht schauen / und in seiner Gemeinschaft ewig jubiliren werden. Welches / wie es ist aller rechtschaffener Christen Hoffnung in der Gedult / und der sichere Ancker unserer Seelen / der (laut Hebr. VI, 19.) hineingehet in das Heiligthum GOttes / als das Jnwendige des Vorhangs; so kan und soll es auch unsere Lob- und Danck-Begierde in der Krafft und

Freudigkeit erhalten / daß wir auch im Sterben nicht verzagen / sondern unter dem Lob GOttes sanft einschlafen / und wann wir einst wieder erwachen / ein ewiges Hallelujah / unter den Chören aller Engel GOttes / ohne Aufhören anzustimmen getrost und mit aller Zuversicht nach unserm seligen Ende erwarten. Und so sey dann nochmahlen der Name des HERRN gelobet / der uns bisher geseegnet hat mit allerley Göttlichen und geistlichen Seegen in himmlischen Gütern durch Christum. Gepreiset sey GOttes Werck / das er unter uns gewürcket und in so vielen Jahren so weit gebracht und vollbracht hat. Gebenedeyet sey GOtt / der mit seiner Gnad und Gewalt über uns und unsere Studia so treulich gewaltet hat. Wir erkennen / HErr / du grosser GOtt / daß du mit deinem Namen heist HERR allein / und bist der Höchste in aller Welt. Wir übergeben Dir in deine heilige Hände diß Werck deiner Hände / das Du angefangen nnd so heiliglich befördert hast. Du hast uns geholfen / und uns Hoffnung gemachet / die uns nicht wird lassen zu Schanden werden / künftiger Hülfe / du liebreicher Vatter! Ach zeige noch ferner deinen Knechten deine Wercke / und deine Ehre ihren Kindern / und fördere das Werck unserer Hände / ja das Werck unserer Hände wollest Du fördern / um deines Namens willen. Veni Sancte Spiritus! GOtt Heiliger Geist! Dir / dir allein (so schliessen wir mit unserm sel. Hn. Sauberto) soll diese hohe Schul auch fernerhin gewidmet seyn.

So dancke GOtt und lobe Jhn /
Das Volck des HErrn / mit guten Thaten;
Das Land / diese liebe Universität / bring Frucht und (beßre sich /
Dein Wort ist wohl gerathen.
Uns seegne Vatter und der Sohn /
Uns seegne GOtt der Heilge Geist /
Dem alle Welt die Ehre thut /
Für Jhm sich fürchten allermeist.
Nun sprecht von Hertzen: Amen.

Gebeth.

Heiliger GOtt / himmlischer Vatter / der Du alle Dinge durch dein ewiges Wort erschaffen hast / und noch erhältest / auch täglich uns alles Gutes thust durch deine Güte / die da reichet so weit der Himmel ist / und nach deiner Wahrheit / die da währet in Ewigkeit. Wir kommen für dein Angesicht an diesem Freuden-Tag / Dir Danck zu opffern und unsere Gelübde zu bezahlen vor allem Volck / wie für alle deine Wolthaten / die nicht zu

zehlen sind / so absonderlich für diesen Weinberg / den deine Rechte hier gepflantzet / und den Du Dir zu einer Werckstatt guter Lehre an diesem Orte erwehlet hast. Es sind jetzt eben hundert Jahre verflossen / da diese hohe Schule / nachdeme Du sie schon zuvor eine geraume Zeit / und über viertzig Jahr in Academischer Freyheit / mit vielen Seegen / unter mancherley Gefahr / herrlich geschmücket / zu einem mehrern Wachsthum gediehen / und als ein Zweig deiner Pflantzung zu der höhern Universitäts-Würde erhaben worden. Solch deiner Hände Werck / welches Du / getreuer GOtt / durch deine Gesalbte vollbracht / erkennen wir demütig / als eine Frucht deiner unendlichen Güte / und ehren zugleich unsere theure **Landes-Vätter** / deren Geist Du dazumal erwecket / mit schuldigem Preiß. Gleichwie aber solch danckbares Andencken in unsern Hertzen ruhet / so ist auch unser Mund voll Lachens / und unsere Zunge voll Rühmens / wenn wir nicht allein uns deiner Gnade erinnern / wodurch Du diesen Ort zu einer Wohnung deiner Gerechtigkeit / und zu einem Pflantz-Beete nützlicher Werckzeuge in der Kirchen und Policey ausersehen / sondern auch deine Treue alle Morgen neu werden lassen / daß unsere Arbeit in dem HErrn bis dahero nicht vergeblich gewesen / vielmehr aber solche einen Seegen und Sieg über den andern erhalten. Dein allerheiligster Name seye dafür gelobet für und für / und alles Fleisch müsse deinen Ruhm verkündigen / so lang die Sonne und der Mond währet / von Kind zu Kindes-Kindern. Du hast zwar deine Hütten / die Du unter uns aufgeschlagen / je zuweilen mit deiner Hand berühret / daß sie in allerley Noth gewancket / aber Du hast sie auch wieder mit deinem mächtigen Arm bevestiget. Du hast sie bedecket zur bösen Zeit / und verborgen in deinem Gezelt / auch nach dem Ungewitter erhöhet auf einen Felsen. Wodurch es geschehen / daß diß Brünnlein Israelis / welches die **Edlen im Volck** gegraben / noch Wassers die Fülle / und das Land sein Gewächs gegeben. GOtt ist bey dieser Universität drinnen geblieben / der HErr hat ihr früh geholfen / und unsere Hoffnung bestärcket / sie werde auch künftig wol bleiben. **O HErr!** wir sind nicht werth aller deiner Barmhertzigkeit / die Du an deinen Knechten gethan hast. Unsere Zunge soll Dir Lob sagen / und alles Fleisch deinem heiligen Namen auch für diese Wolthat dancken immerdar. Wir ruffen / o **GOtt!** demütig zu Dir / Du wollest

nicht

nicht gedencken unserer Sünden / womit wir Dich in voriger Zeit beleidiget haben / und uns nicht vergelten nach unserer Missethat / sondern uns gnädig seyn / und Dich unser erbarmen / wie sich ein Vatter über Kinder erbarmet. Verbirg dein Antlitz nicht für uns / und verstosse nicht im Zorn deine Knechte / deñ Du bist unsere Hülfe. Thue die Hand nicht von uns ab / GOtt unser Heyl / so wollen wir deinen Namen fürchten. Errette uns nach deinem Wort / und gib uns / wie bishero / also künftig / Hirten und Lehrer nach deinem Hertzen / und führe sie samt der studirenden Jugend auf ebener Bahn. Sende dein Licht und deine Wahrheit von deinem Heiligthum / daß wir auch hier sehen die Wunder an deinem Gesetze / und die Wahrheit erkennen / die uns frey machet / Dir in Heilig- und Gerechtigkeit / so Dir gefällig ist / zu dienen unser Leben lang. Laß die Berge / o **GOtt Vatter!** den Frieden bringen unter dein Volck / und die Hügel die Gerechtigkeit. Gib Rath und Krafft / **o liebster JEsu!** daß die Gabe gesund zu machen von hier aus sich ferner denen Krancken und Nothleidenden auf ihrem Siechbette mit vollem Seegen zeige. Du aber / **o GOtt Heiliger Geist!** seye und bleibe unter uns fürohin jederzeit der Geist der Weisheit und des Verstands / der Geist des Raths und der Stärcke / der Geist der Erkentniß und Furcht GOttes / und laß an **allen Facultäten** erscheinen die Wercke deiner Hände / wie sie erhalten werden iñer und ewiglich / und geschehen treulich und redlich. Beschütze / **o GOtt! Ihro Kaiserliche Majestät** / unsern **allergnädigsten Kaiser und Herrn** / und kröne Dieselbe mit deiner Gnade / als mit einem Schilde. Beschirme alle andere **Christliche Potentaten** / insonderheit sämtliche **Chur-Fürsten / Fürsten / und Stände des heiligen Römischen Reichs** / und sey ihre Stärcke. Bewahre vor andern unsere liebe **Obrigkeit** / als theure **Landes-Vätter** / auch **mildeste** NUTRITORES, und **gütigste** CURATORES, dieser Universität / und bleibe ihr Trost und grosser Lohn. Gib / daß die Kinder deiner Knechte allezeit bleiben / und ihr Saame für Dir gedeye. Erhalte unter ihrem geseegneten Regiment nebst andern heilsamen Lehren / löblichen Wissenschaften und guten Künsten / dein heiliges Wort unverfälscht.

Stosse den Leuchter der Evangelischen Predigt nicht von seiner Stelle / und laß unsere Nachkommen samt uns deiner seligmachenden reinen Wahrheit weder mit List noch Gewalt beraubet werden. Verleihe aber auch / daß wir nicht nur lehren und lernen / was zu wissen und zu thun recht ist / sondern zugleich wahre Heiligkeit die Zierde deines Hauses unter uns beständig sey und bleibe. Benedeye die hochnöthige Academische Disciplin, und laß nimmermehr derselben Freyheit weder zum Anstoß der Schwachen / noch zum Deckel der Bosheit denen Frevelern gerathen. Schaffe vielmehr / daß wir als Knechte Christi mit willigem Geiste Dir dienen aus kindlichem Hertzen im heiligen Schmuck. Mache aller Feinde und Widerwärtigen Anschläge zu nichte / und bleibe eine feurige Mauer um uns her. Deine Hand bedecke uns / und unter den Schatten deiner Flügel lasse uns allezeit Zuflucht haben / dieser Tage nicht zu vergessen / sondern dieselbe noch öffters zu halten bey Kindes-Kindern und allen / die nach uns kommen werden. Gedencke unserer werthen Mutter-Stadt Nürnberg im besten / mache ihre Mauren veste / und seegne ihre Kinder darinnen / in allerhand hohen und niedern Aemtern / Handlungen und Gewerben / daß deine Fußstapffen auch daselbst vom Fette triefen. Ihren Widrigen müsse es fehlen / sie aber lasse auf ihren Höhen einher treten mit Krafft. Wir befehlen Dir auch diese ihre Tochter und Stadt Altdorf zu deiner Liebe. O getreuer GOtt! fülle deroselben Häuser und Felder mit deinen Gütern / daß ihre Burgerschaft ihren Fuß in Oel tuncken / und alle Innwohner von Hertzen sich freuen mögen über deiner Hülfe. HErr / wende deine Augen nimmermehr von uns ab / so wollen wir nicht nur jetzt / sondern auch ins künftige Danck-Opffer bringen täglich / und ein Gedächtniß stifften deiner Wunder / daß geschrieben werde auf die Nachkommen / was der HERR an uns gethan / und das Volck / das geboren wird / Dich allezeit auch bey uns und allenthalben lobe unter den Menschen-Kindern ohne Aufhören. Ja / HErr / hilf deinem Volck / seegne dein Erbe / weyde sie und erhöhe sie ewiglich. Laß dein Antlitz leuchten / so genesen wir. Du bist unser GOtt / wir dancken Dir / GOtt / wir wollen Dich preisen. Dancket dem HERRN / denn Er ist freundlich / und seine Güte währet ewiglich. Es sage nun Israel / seine Güte währet ewiglich. Es sage nun das Haus Aharon / seine Güte währet ewiglich. Es sagen nun alle / die den HErrn fürchten / seine Güte währet ewiglich. Gelobet sey / der da kommt im Namen des HErrn; Wir seegnen Euch / die ihr vom Hause des HErrn seyd. Gelobet sey der GOtt Israel / der alleine Wunder thut / und gelobet sey sein heiliger Name ewiglich / und alle Land / auch diese liebe Universität / müsse immer seiner Ehren voll werden / Amen / Amen.

Vatter unser etc.

III.

ORATIO SOLENNIS NOVO ACADEMIAE ALTORFINAE SAECVLO

IVSSV ET AVCTORITATE

ILLVSTRIVM

ACADEMIAE NVTRITORVM


DICTA

A

CHRISTIANO GOTLIBIO SCHVVARZIO

COM. PALAT. CAESAR. MORALIVM ORATORIAE ET POETICES PROFESSORE PVBLICO

III KAL. QVINCTIL. A. R. S. cIↄIↄccxxiii



SPLENDIDISSIMA ET OMNIVM ORDINVM DIGNITATVMQVE MAXIME VENERANDA FLORENTISSIMAQVE CONCIO.

Videmus tandem, uolente DEO, et, quod Respublica literaria in uniuerſum laetetur, quodque ſecutura loquantur ſaecula, laeti hilaresque uidemus eum diem, qui, quicquid felicitatis honorisque unquam antehac diuinitus contigit huic Academiae Altorfinae, uelut ad unam refert ſummam; neque ſolum mentes noſtras ad iucundiſſimam bonorum praeteritorum cogitationem excitat, ſed et nobis ſerisque poſteris nihil non auſpicati in futurum tempus pollicetur. Exoptatus eruditae ſodalitati honos redditur, et melioribus noui ſaeculi auguriis doctrinae uirtutisque templum iterum reſeratur. Spes ampliores rei literariae denuo affulgent, laudabilesque labores eunt in orbem, et, quod optarunt maiores noſtri, quodque nos ipſi flagrantibus animis a DEO precati ſumus, id hoc tempore uel ultra uotum conſecuti uidemur. Nihil iam nobis eſt fortunatius, nihilque hilaritatis plenius, quod res noſtrae tam fauſte, tam feliciter proſpereque, euenerunt, ut nemo ab omnibus Gratiis Muſisque tam ſit auerſus, quin noſtra nos frui felicitate cupiat. Adeo ad condecoran-

dam nostri saecularis sacri solennitatem omnium bonorum animi nobiscum conspirant, ut incredibili humanitate atque congratulatione inter se concertent, et mirifica beneuolentiae signa nobis impertiantur. Si itaque, quam plena est huius temporis laetitia, tam apta et digna mihi contingat oratio; nihil profecto nunc metuerem, ne uituperationem iustam, notamque temeritatis, subirem. Quis enim est uestrum, Auditores, quin animaduertat, quam difficile atque arduum factu sit, ingentia eorum solennium gaudia exprimere, quae in hoc Musarum domicilio neque antehac spectauit quisquam, neque ullus nostrum, quae communis rerum humanarum conditio esse solet, hoc ipso loco, iterum facile spectabit. Iam uero, tam splendida HOSPITVM, honoribus, et uirtute ac doctrina refulgentium, praesentia; tam honorificus PROCERVM PATRIAE consessus; tam frequens AVDITORVM cuiusuis dignitatis confluxus; tam insolita facies huius ipsius loci, in quo nunc uersamur, et, quod caput rei est, tanta rerum hoc tempore dicendarum copia atque magnitudo, non potest non maiorem in modum me permouere, ut neque mente, neque lingua, neque ore, satis consistam. Quot non enim erunt, qui querantur, inque uitio ponant, quod non nulla siluerim, uel attigerim frigidius, quae maxime fuissent exponenda; aut quod alia instituerim fuse et copiose persequi, quae nullo cum damno potuissent praetermitti; aut denique, quod, in tam graui argumento, nimis arido exilique dicendi genere sim usus, neque ore satis rotundo plenoue omnia pronuntiarim? Adeo facilius est, gratulantium coronae immixtum quasi in sinu gaudere, alienamque orationem placide persequi; quam omnium sese exponere iudicio, et in ipso conatu oneri succumbere. At enimuero, posteaquam partes dicendi mihi imposuit muneris publici ratio, et maxime sacrosancta obsequendi necessitas; audebo iacere aleam, quodcunque iactu cadat. Prodeat igitur sine Rhetorum cincinnis fucoque incomptus sermo; erumpat sine quaesita arte uox ista, ILLVSTRIVM huius Academiae NVTRITORVM beneficio iussuque mihi concessa; quam quomodocunque animat firmatque ipsa publica huius temporis felicitas; quam prouocant tot animi Auditorum erecti, tot aures attentae,

tot oculi in me coniecti, tot frontes porrectae, et hilaritate renidentes; quae omnia ad audendum mihi ſtimulos addunt. Intempeſtiuam ergo crederem eſſe uerecundiam, quae malit, re non amplius integra, haud ſine dedecore tacere, quam parum diſerta et eloquens haberi. Neque tamen uelim exiſtimari animum meum ex hac ipſa oratione: plura enim et ampliora cogitatione ſum complexus, quam uerbis explicare poſſim; maiora DEI, CAESARVM, et NVTRITORVM, quae in hanc Academiam extant beneficia, ſunt commemoranda, quam ut digne animo ac mente concipi queant. Nihilominus, plenus pietatis uotorumque, pro uirili parte, inſtitutum perſequar, et id, quod ſuſcepi, quoad potero, perferre conabor: neque enim deſpero, facilem mihi ueniam paratam fore, ſi, quantum potero, non quantum debeo, de maximis rebus uerba fecero, idque breuius, quam argumentorum amplitudo exegerit, uel ueſtra audientium deſiderauerit expectatio.

Vnde uero nunc dicendi initium capiam, aut quod potiſſimum argumentum in tam ſplendido eruditoque conſeſſu ſuſcipiam pertractandum? Obruor certe rerum cogitationumque ubertate, et mihi ad diſſerendum tam multa praeſto ſunt, ut uerear magis, ne nimis pauca pro re, quam multa, dixero. Fortaſſis, neque a tempore, neque ab hoc loco, prorſus alienum uideatur, ſi nunc quidem de primis Academiarum inter Germanos inſtitutarum originibus, fatisque uariis, diſſerere aggrediar. Magnum enim eſt, et admiratione dignum, atque incredibile memoratu, Germaniam, quam tanquam agris ſiluisque informem, moribus rudem et aſperam, lentisque ac ſidere ſuo torpentibus ingeniis ſqualentem, cultiores traducebant Romani, adeo poſtea optimarum artium cultura mitigatam, totque uirtutis ac doctrinae elegantioris officinis auctam euectamque ſeſe extuliſſe, ut, ſicut gentes ceteras ac populos armorum gloria deuicit, ita et ingeniorum excellentium fecunditate, et prodigioſis nouorum ueteribusque incognitorum operum inuentis, omnes ſuperaſſe uideatur. At enimuero, ſic ingrederer quidem orationem, in qua qualemcunque dicendi copiam quodammodo oſtentare liceret, ſed quae neutiquam propria eſſet huius diei feſtiuitati, neque aleret

ſuſtineretque tot exultantium animorum ſenſum, neque tanto uotorum ac publicae gratulationis concentui reſponderet.

Quoquo autem uerſus oculos in hoc coetu circumfero, et quicquid de huius diei ſolennitate reuoco ad animum; uideor mihi uidere omnium omnino mentes et cogitationes eo intentas, ut geſtiant recognoſcere atque intelligere huius ipſius Academiae felicitatem, quae unica tantae tamque inuſitatae laetitiae cauſſa eſt atque origo. Ita nempe rectiſſime admonebimur officii noſtri, ut curatius penſitemus tot et tanta coeli munera, quibus haec Academia mirifice ornata fuit atque cumulata. Ita et ex rerum praeteritarum recordatione ſummam capiemus uoluptatem, et optimis ueriſſimisque auguriis in nouas ſpes felicitatis etiam in poſterum continuandae impellemur.

Nonne uero hanc optimam literarum parentem reuera felicem ac fortunatam gratis laetisque animis praedicemus, quae tam illuſtribus diuinae prouidentiae ornamentis eniteſcit: quam AVGVSTISSIMI INVICTISSIMIQVE IMPERATORES ſingulari prorſus gratia ornandam tuendamque ſuſceperunt; quae poſt DEI IMMORTALIS, et SACRATISSIMORVM CAESARVM clementiam, tam ſapientis tamque munifici SENATVS NORIMBERGENSIS incredibili bonitati atque curae, et initia ſua, et incrementa, et ſtabilitatem, debet; denique, quae, ſuperatis fortunae rerumque difficultatibus, dignitatem priſtinam exoptato retinet, et in hac publica temporum felicitate, Patriaeque communis tranquillitate, inter tam honorificas exterorum pariter atque indigenarum congratulationes, laetosque applauſus, ſacra ſua ſaecularia auſpicatiſſime obit? Vecors ſit oportet, et omnium mortalium indigniſſimus, qui, ubi haec ac talia cogitet, non ultro ſentiat, haudquaquam humanis tantum conſiliis, neque communi quidem illa DEI immortalis cura, iſthaec accidiſſe; ſed hoc pietatis doctrinaeque ſacrarium, quod inter frequentiſſimas rerum humanarum uiciſſitudines ſemper uiguit, et ad hunc usque diem ſaluum ſtat, floretque, non poſſe non Numini diuino in primis curae cordique eſſe. Ita ſcilicet, quicquid magnum et inuſitatum eſt, neque intra hominum mediocritatem conſiſtit, recte ad DEVM auctorem referimus, ut ſuae origini uindi-

uindicentur, quae non nisi diuino nutu atque consilio et gesta sunt, et prouisa. Certe enim, quemadmodum in ipsis Academiae huius initiis coelestia auspicia non obscuris significationibus declarata apparuerunt; ita nec hodieque dissimulamus, quantum Numinis aeterni prouidentiae illius caussa debeamus.

Gloriabatur quondam terra Cretensis Iouis parui cunabulis; et Delos, celebratissima maris Aegaei insula, iactabat Dianam et Apollinem, rerum suarum praesides; Thebae etiam, primaria Boeotorum ciuitas, ementiebantur Herculis, alumni sui et dei tutelaris, auctoritatem; neque minus Athenae, unde humanitas, doctrina, iura, leges, ortae atque in omnes terras distributae, putabantur, potissimum in Mineruae praesidio omnes gloriae ac perennitatis suae rationes positas habebant. Neque ulla facile extitit urbs paullo insignior, quae non, miscendo diuina humanis, primordia affectarit augustiora, et uel a diis condita, uel genuisse deos, uideri uoluerit, horumque ope ac tutelā fortunatam se sempiternamque fore existimarit. Sed frustra fuit mendax atque improba superstitio. Vbi enim est illa magnifica et gloriosa ostentatio originum consecratarum, deorumque indigenarum? Heu, quantum perdidit prisci decoris splendorisque Creta? Quantum Delos? Quam tristi excidio deletae, quamque uastis ruderibus obrutae, iacent Thebae et Athenae, ut iam in illis ipsis locis, ubi fuere, quaerantur! Nos uero, sanctioris religionis lumine illustrati, nobis gratulamur, quod huius eruditae sodalitatis originem et incrementa, perpetuamque conseruationem, immortali et rerum omnium praepotenti DEO euidentioribus indiciis et ueriori pietate imputamus. Etenim, si in ceteris rebus, sine ope diuina, nihil recte inchoare homines, nihil gerere prouidenter, nihilque prospere exequi, possunt; ecquis putet, pro illorum temporum conditione, potuisse hoc loco tantam tamque arduam rem suscipi peragique, aut omnino in deliberationem consultationemque cadere; nisi praesens his consiliis interfuisset Numen coeleste, eademque nutu suo atque arbitrio rexisset. DEVS adeo, DEVS optimus maximus, primum excitauit mentes PATRVM REIPVBLICAE NORIMBERGENSIS, et sapientia constantiaque ita instruxit, ut tam pulchrum, et diuinae gloriae, publicaeque saluti, destinatum

opus, magnis ſane ſumtibus, ſed multo maioribus animis, molirentur, feliciterque perficerent.

Quod ſi animo et memoria in primam aetatem huius coetus quaſi regrediamur, et inde usque ea repetamus fata, quae huic contigerunt Academiae; omnia magna et admiranda diuinae prouidentiae documenta ſe nobis obiiciunt; ſed euidentius admirabiliusque eſt nihil, quam eo tempore, quum incerta atque turbida eſſent omnia, quumque iam grauiſſimi et calamitoſiſſimi belli nubes in uicinia ſurgerent, non aliter, ac florentiſſimis pacatiſſimisque rebus, hoc uirtutis et doctrinae domicilium auſpicato excitatum, liberaliſſimeque ornatum, ac ſplendidiſſime dedicatum fuiſſe. Alias id uſu uenire ſolet, ut, ubi Iani templum aperiri coeperit, ibi Apollinis et Camenarum ſacraria triſtiore fato occludantur. Nusquam enim aegrius Pieridum Gratiarumque ſuaues audiuntur uoces, quam inter Martis lituos, et tormentorum fragorem. Nusquam liberali et honeſto literarum otio minus, quam inter armorum ſtrepitum, relinquitur locus. Ea enim eſt belli diritas, ea ſaeuities, ut fulmine ſuo Muſas non cominus tantum percutiat atque proſternat; ſed ex interuallo etiam iis iniiciat trepidationem, ut, uerſo ſolo, alias ſedes, tutioraque circumſpiciant praeſidia. Quid? quod Roma uetuſtior, etiam cum domi otio ac diuitiis afflueret, ſapientiae comptiorisque facundiae doctores aliquoties expulit. Quid? quod Sparta, quae armorum magis, quam literarum, ſeſe efferebat gloria, humanitatis et politioris doctrinae ſtudiis aliquando omnem ad ciuitatem ſuam aditum intercluſerat. At, ſapientiori conſilio, melioribusque auſpiciis, SENATVS POPVLVSQVE NORIMBERGENSIS artes bonas ſemper in honore habuit, et, uel inter atrociſſimae tempeſtatis minas, unde triginta per annos infauſtis prorſus diſſidiis uniuerſa agitata fuit Germania, Muſis manſuetioribus, quae alibi iam proculcari, fameque confici, coeperant, nouam aperuit ſedem, receptasque liberaliſſimis aluit impenſis, ac pulchris ornatas praemiis a contemtu et exitio uindicauit. Sane, potuiſſet tunc aliis in mentem uenire, quicquid in Academiam condendam conſeruandamque impendi oporteret, id fortaſſe rectius collocatum iri, ſi in alios reipublicae uſus, ipſasque belli neceſſitates, reponeretur. Iam

uero,

uero , cum nihilominus optimi huius Academiae NVTRITORES, re diu multumque deliberata, uel contra imminentem temporum difficultatem, ſpei ſuae atque deſtinationi mira magnanimitate inſtiterint, et Reipublicae ſuae maiorem gloriam, maiusque decus, ex adaucto literarum honore conciliare cupierint: quis dubitet, quin tam ſapientes tamque munifici PROCERES, non tam cum Egeria quadam collocuti, aut ab Apolline uatidico inſpirati, quam ab ipſo DEO IMMORTALI, quem in ſuum aduocarant conſilium, excitati inflammatique, tunc Academiae amplificandae habuerint rationem, adeoque de iis rebus inſtituendis perſequendisque cogitarint, quae iam maximam habuiſſent admirationem, ſi etiam in altiſſima quiete, ſi in ſumma communis patriae tranquillitate, tentatae ſuſceptaeque fuiſſent?

Sed et illud eximium prouidentiae diuinae munus eſt, quod haec ingeniorum palaeſtra, quemadmodum inter acerrimi et diuturni belli minas altius ſurrexit, ita inter ipſos eius turbines, atque inter alia publicarum priuatarumque calamitatum genera, non modo nullam ſui honoris ſuaeque felicitatis fecit iacturam; ſed ab ipſis etiam rebus aduerſis identidem duxit uires ſuas, ac noua cepit ornamenta. Quid enim aliud efficere potuit uaſtitas peſtilentiae, quae primis annis naſcentem infeſtabat Academiam? niſi, ut clarius diuinae bonitatis exhiberet teſtimonium; cum eius mali uis ope coeleſti mox ita repreſſa fuerit atque extincta, ut poſthaec, uel ultra ſaeculi decurſum, non niſi continua ſaluberrimi aeris temperies, hoc opidum, huncque coetum eruditum, exhilararit. Quid bellorum, aliorumque caſuum luctuoſorum, formidines? niſi, ut Muſae noſtrae a metu afflictae perditaeque fortunae ad tranquilliorem ſuauioremque uitam reuocarentur, utque, uel per ipſam aduerſariorum clementiam, uel per rerum temporumque aſperitatem diuinitus mitigatam, conſtaret, literas bonas etiam in aduerſa tempeſtate hic portum habere poſſe. Quid adhaec illa infauſti Socini doctrina, omni lue grauior peſtilentiorque? quid aliorum errorum corruptelae, quae paullatim furtimque in hanc literatam ciuitatem irrepere auſae fuerant? Quorſum eruperunt tandem, quemque alium habuere finem? niſi ut, expulſa animorum caligine, ueritas coeleſtis illuſtrius colluceret, maiorique conualeſceret

robore, et ad hanc usque diem prouidentius feliciusque asseratur.

Quis uero cetera tot tamque euidentia diuinae de nobis curae prouidentiaeque argumenta commemoret? Quae cogitatio, quis spiritus, quae uox atque oratio, haec tua, O NVMEN SVPREMVM, beneficia in nos collata, comprehendat atque eloquatur? Multitudine eorum stupescimus; obmutescimus magnitudine. Tibi interim, tot tantorumque bonorum auctori summo, gratias laudesque agimus immortales, tibique ea, quae maiores nostri nosque ipsi nuncupauimus uota, nunc piis atque religiosis animis, uerbisque conceptis, persoluimus. Nos adeo, quod unicum iam praestare possumus, incredibilem et immensam tuam erga nos bonitatem, semper in animo, semper in oculis, habebimus. Quam benigne nobis nostrisque Musis tu feceris, quam mitis facilisque tot tristioris fortunae tempestates a nobis auerteris, atque ex aduerso, quot quantisque bonis ornaueris nos cumulaueris que; ipsi nobis, et aliis, perpetuo commemorabimus, pluresque excitabimus in laudum tuarum praeconia, faciemusque, ut et sera intelligat posteritas, quantum admirabili misericordiae ac benignitati tuae acceptum feramus. Equidem Romani ueteres, ut gratos se praestarent, in sacris saecularibus, non laudes modo, aut aliquot dierum supplicationes; sed templa etiam, aliaque opera magnifica, uouebant, sacrabantque. Nos autem, qui detestamur falsas impiasque paganorum religiones, tibi, O AETERNE DEVS, denuo dedicamus hanc ipsam Academiam, tanquam diuinae humanaeque sapientiae templum, tuo sanctissimo nomini consecratum, in quo quotidie tua peraguntur sacra, tuoque honori, ac saluti publicae, fingitur formaturque iuuentus Academica. Fac ergo, O DEVS BENIGNISSIME, qui tam egregium opus praesens uolensque moderatus es, ut porro propitius sis muneribus tuis, iisque eam, quam omnes precamur, quam auguramur omnes, addas perpetuitatem, et hanc bonarum mentium aedem porro tuearis, ac felicem fortunatamque praestes, ut hic impietas atque ignorantia nauiter destruatur; ut honestas contra atque eruditio in dies pulchrius effloreseat; utque semper hinc prodeant animi, qui, doctrina bonisque moribus instructi, diuinae maie-

ſtati tuae, quantum maximum debent, habeant honorem, qui pro aris focisque propugnent, qui inſeruiant bono publico, qui patriam ornent, qui ament propagentque uirtutem ac ſapientiam, neque quicquam, niſi quod pium, quod honeſtum et eximium, quodque cum laude coniunctum eſt, prompti alacresque ſequantur.

Verum, non ſatis noſtra erga DEVM pietate defungemur, niſi et eorum merita ſimul recognoſcamus, debitoque cultu proſequamur, per quos potiſſimum diuinae bonitatis munera huic Academiae ſunt diſpenſata. Quid uero aequius eſt, quid religioſius, quam a coeleſti aeternoque Numine ad terreſtria et tutelaria illa rerum noſtrarum Numina conuerti, atque eorum praecipue SACRATISSIMORVM CAESARVM maieſtatem, etiam poſt ſuprema ipſorum fata, in his ſacris ſolennibus uenerari, quorum gloria quam plenae ſunt literae omnes, quamque refertus uniuerſus terrarum orbis; tam plenum illuſtribus ſummae clementiae monimentis hoc ſanctius Muſarum domicilium exſplendeſcit? Adoramus hic ante omnia diuinam prouidentiam, quae, ſicuti de coelo in terras miſit AVGVSTISSIMAM GENTEM AVSTRIAM, et in celſiſſima dignitatis maieſtatisque ſede collocauit, ad fines orbis chriſtiani prorogandos, et ad quietem tranquillitatemque gentium ac nationum tuendam; ita ex hac altiſſima Progenie eos ſemper PRINCIPES AVGVSTOSque excitauit, qui, cum ipſi omni ſapientia, omnibusque, quae in tantae fortunae faſtigium conueniunt, ſcientiis ornati eminuerunt; tum literis literarumque cultoribus effuſiſſimam praeſtiterunt bonitatem, atque Germanorum nationem, bello inuictam, terrarumque uictricem, tot tantisque praeſtantiſſimarum artium atque diſciplinarum praeſidiis ornamentisque inſtruxere, ut haec ſeipſam, naturaeque captum, iam ſuperaſſe exiſtimetur. Quam gloriam licet omnes, qui, ex hac Domo auguſta prognati, ſacratiſſimo terrarum imperio praefuere, ſuo ſibi merito uindicarint; noſtrae tamen Muſae, tot tamque auguſtorum Nominum ſplendore ueluti obrutae, nihil prius ſanctiusque nunc habent, quam ut in hac ſaeculari ſolennitate iis ſaltem pietatem animo conceptam demiſſiſſime declarent, quibus maxime ſua ſe ornamenta, ſuos honores, ſua iura atque priuilegia, debere profitentur.

Te adeo, DIVE RODOLPHE II, quam magnum uirtute ac maiestate Imperatorem, quam gloriosum pacis atque otii uindicem, et quam acrem optimarum artium assertorem, summis ad coelum laudibus uniuersa extulit Germania; tam bonum, tam clementem, tamque sibi salutarem, sigillatim experta est, et adhuc subiectissime ueneratur, haec Altorfina Musarum sedes. Et quidni aeternum ueneretur, sanctamque habeat memoriam tuam? cum non minus ingenio, quam animo, admirandus, liberalium doctrinarum studiis praesidium patrociniumque prolixa uoluntate impertiueris; neque Tychones tantum, et Kepleros, ac Tengnagelios, aliosque uiros literarum cultu praestantes, ad artes altius euehendas accenderis; sed et ipse erudito in puluere uersari, atque dextra illa, qua summi gubernacula imperii moderatus es, radium et regulam tractare, nihil recusaueris. Tua igitur incomparabilis indulgentia his etiam terris ad maiora speranda primum sustulit signum; cum iam ante hos centum quadraginta et quinque annos agendis sacrandisque huius Academiae fundamentis uolens propitius faueres. Tu enim Musis solertibus prima apud nos praemia concedebas, ut eximii bonarum artium et philosophiae candidati, prima ornati laurea, ad meliora et audenda et speranda excitarentur: quoniam liberalia studia certo ordine, certisque gradibus, omnium optime saluberrimeque, uti tractantur, ita suis etiam condecorantur praemiis. Sed secundae etiam laureae distribuendae, maiorisque decoris dilargiendi, facultatem iam tum indulgebas; ut ne iis artibus disciplinisque summi apud nos honores deessent, quae omnis eruditionis humanae optima et certissima sunt ornamenta, et sine quibus ne consistere quidem possunt, quae his imponuntur, grauiores altioresque scientiae.

A tuis uero auspiciis, DIVE FERDINANDE II, totius huius saecularis solennitatis origines potissimum sunt repetendae. Tuo igitur sacratissimo nomini, quanta pietate, tanta submissione, adhuc nostrae assurgunt Camenae, quarum domicilium ante hoc saeculum, et hoc quidem ipso die, quem nunc festum solennemque agimus, ex summa auctoritate tua, maioribus honorum iuriumque Academicorum ornamentis auctum, ac cum bonorum comprecatione, cum

secundis

ſecundis rerum ominibus, omniumque ordinum applauſu, in plenius ornatiusque diſciplinarum ac uirtutum templum euectum, ſolenniſſimeque inauguratum, ſurrexit. Magna profecto, et omnibus ſaeculis commemoranda haec res erat, IMPERATOREM MAGNANIMVM, inter illa grauia Germaniae tempora, inter calamitatum publicarum turbas ubique gliſcentes, uota incluti SENATVS NORIMBERGENSIS de amplificandis Academiae honoribus tam facilem, tamque promptum, audiiſſe; neque paſſum eſſe tubarum ſonitu, tormentorumque tonitribus, aures ſuas obſurdeſcere ad Muſarum preces, atque hilaria; ſed, ipſo belli tempore, de pacis artibus amplificandis cogitaſſe, atque de Marte ipſo, et de barbarie, exitium literis melioribus paſſim comparante, feliciſſime triumphaſſe. Hoc tantum tamque mirandum opus praeſtari non poterat, niſi ab eo IMPERATORE, qui non minus pacis decoribus, quam armis, imperium firmabat; qui ingenia ſaeculi ſui omnibus fouebat modis; qui hominum ſolertium uirtute atque eruditione mirifice delectabatur, horumque conatus eximios gratia et munificentia impenſiſſime prouehebat.

Quantum uero eſt, quod et tibi debemus, O DIVE LEOPOLDE, cuius nomen aeternis gentium ſaeculorumque laudibus celebrabitur? Quemadmodum enim auguſtiſſimus Principatus tuus exemplum dedit Imperii omnium glorioſiſſimi feliciſſimique, in quo, quicquid magnum et pulchrum, quicquid egregium et admirabile, eſſe poteſt, excelſiſſime effloruit; ita incredibile eſt, quanto quamque felici prouentu ornatiora tuis auſpiciis illuxerint ingenia, tot honoribus praemiisque in medio poſitis prouocata; quanta animorum contentione, et quam exoptato ſucceſſu, omnia optimarum artium atque ſcientiarum genera, culta fuerint atque perpolita; denique, quot ſcholae illuſtres atque Academiae in Germania partim recens ſint excitatae confirmataeque, partim pluribus etiam ornamentis condecoratae. In quam felicitatis partem et haec ipſa liberalium ſtudiorum ſedes uenit, quam, NVTRITORIBVS benigne conciliantibus, in paternam auguſtamque tutelam tuam recepiſti, quam nouo locupletaſti honore, et cui eius dignitatis, quae in Academiam conuenire

poteſt, complementum, ac quaſi cumulum, largiſſime addidiſti.

Saluete igitur, O PII MANES GLORIOSISSIMORVM CAESARVM, qui ad diuinum illud animorum concilium coetumque dudum euecti, uiuitis inter Principes, Proceresque coeleſtes, omnium feliciſſimi! Fruimini uera illa et aeterna coeli felicitate, quam cum huius ſaeculi fortuna omnique imperii et regnorum ſplendore commutaſtis! Haec, haec glorioſiſſima ueſtrae clementiae et bonitatis documenta nobis indulta, haec PRIVILEGIA AVGVSTA, quae nunc coram ueneramur, Muſis noſtris non minus perpetuo auſpicata erunt atque ſancta, quam Romanis quondam ancilia ſua coelo delapſa, quae temporibus ſtatis ſolenni ritu circumferebant, et in quibus publicae felicitatis pignus ſibi repoſitum eſſe, arbitrabantur. Noſtrae Muſae, ad immortalis gloriae ueſtrae admirationem excitatae, quod unicum de ſe polliceri poſſunt, tam honorificam gratiam et benignitatem ueſtram ſanctis ſemper ſtudiis recolent, et ueſtrorum in Imperium Romanum, inque uniuerſum orbem cultiorem, meritorum laudes, atque innumera uirtutum monimenta, omni memoriae, omnique poſteritati, tradent, ut, quantum uitae ueſtrae ſpatio a coeleſti fato denegatum fuit, tantum ad perennem auguſtiſſimorum nominum ueſtrorum cultum atque uenerationem accedat.

Sed, quod tanta tamque illuſtria bona nunc ſarta et tecta retinemus; quodque iis hoc feſtiuo tempore, tam tranquille, tam laeti hilareſque frui poſſumus; hoc, quis alius, poſt NVMEN DIVINVM, praeſtat, quam AVGVSTVS SOLI DEO SECVNDVS, CAROLVS VI, PRINCEPS SINE EXEMPLO MAXIMVS; qui fato auſpicatiſſimo noſtris ſeruatus eſt temporibus, ut inuſitato ac memorabili maximarum uirtutum ſplendore hoc aeuum illuſtret; ut, operibus tot immortalibus exantlatis, rebusque Germanorum ad ſummum elatis, gloriam patriae ſaeculique perficiat; et ut SACRI maieſtatem IMPERII, omnibus belli pacisque praeſidiis munitam, in altiſſimo felicitatis gradu collocet. Quod uero eſt genus optimarum artium, quae pars eſt altioris doctrinae, quam DIVINAE CAESAR MENTIS non ipſe excelſiſſimo complexus

ingenio

ingenio ita foueat atque alat, ita tueatur atque ornet, ut hunc OCTAVIANO AVGVSTO benigniorem, magnificentiorem TRAIANO, et ANTONINO ſapientiorem, omnium ſaeculorum poſteritas ſit admiratura? Tanta igitur tamque excellenti temporum felicitate merito laetantur et exultant Muſae Altorfinae, utpote quibus, ſecundiſſimo IMPERII CAROLINI auſpicio, nunc tam otia ſancta, tamque grata halcyonia, indulgentur. Hae adeo, ſacro perfuſae horrore, uenerabundaeque, hae, ſubiectiſſimorum religione animorum incenſae, a DEO IMMORTALI nihil impenſius petunt, nihil flagitant ardentius, quam ut, Republica chriſtiana multis magnisque meritis ornata, quamdiutiſſime uiuat CAROLVS VI, AVGVSTVS, PIVS, FELIX, CONSTANS, AC FORTIS; ut, rebus ubique tranquillatis, relataque aurei ſaeculi fortuna, uigeat floreatque CAROLVS VI; ut, firmata propagataque DOMO AVGVSTA, ſecurus laetusque agat CAROLVS VI; utque in immenſum eat FELICIS curſus IMPERII, atque SACRATISSIMA AVSTRIORVM STIRPS humanae ſortis terminos nunquam attingat!

Sic non exigua qualiscunque orationis parte defunctus uideri poteram, ſi is munere ſuo defunctus dici queat, qui res graues atque magnas non tam uerbis idoneis exponit, quam uoluntate ſignificat; et ſentiendo copioſius, quam loquendo, proſequitur. Conſtat, identidem oratores non obſcuri nominis, uel in media oratione, exoptaſſe, ut ſubito diuinitusque ſibi adiungeretur eloquentia ad magnas arduasque res exprimendas. Ego uero, poſtquam nunc ad almam Matrem, NORIMBERGAM, pie uenerandam, et ad ſumma atque illuſtria eius in hanc Academiam beneficia commemoranda, progredior; uelim optemque, ut non tam eloquentia, quam ipſa uis pietatis, ipſe grati animi ardor, ipſa fides et obſeruantia, iam pro me loquantur! Hic, ſi ab initio in laudes tam inclutae illuſtrisque REIPVBLICAE excurrere uelim; quae tamen neque iniuſtae, neque ab hac ſolennitate alienae, eſſent: hei, quam amplus patensque dicendi campus mihi aperiretur; hei, in quam immenſam orationem dilaberer, ut, ſi hanc perſequi uelim, me dies, uox, latera, omnesque uires, deficerent! Collaudent alii, maiori ingenio et facundia inſtructi, tot

publicorum priuatorumque aedificiorum et totius MAGNIFICENTISSIMAE VRBIS amplitudinem atque ſplendorem ; praedicent tantae Ciuitatis ueneranda iura, priuilegia, honores, et rerum domi forisque geſtarum gloriam ; commendent, poſterisque narrent, POPVLVM NORIMBERGENSEM felicitate ingeniorum, et morum grauitate pariter atque humanitate florentiſſimum ; ſuſpiciant totius REIPVBLICAE ordinem, mirifica conſiliorum legumque prudentia conſtitutum ; extollant debitis in coelum laudibus SENATVM, perpetuo ſapientiae et iuſtitiae cultu glorioſum, auctoritate grauem, gentilitiarum imaginum uetuſtate ac ſplendore inclutum, et immortalium meritorum nominibus per cultiora uniuerſi orbis ſpatia illuſtrem. Mihi in praeſens ea duntaxat attingere fas ſit, quae ſi tacerem, hoc pro me aedificium, haec ſaxa, hae ipſae cathedrae, loquerentur. Neque uero mihi tam laudare, quam admirari, nunc liceat, ſingularem SENATVS POPVLIQVE NORIMBERGENSIS erga optimas artes et ſcientias amorem, bonitatem, atque munificentiam. Ecqua eſt enim alia Respublica, quae renaſcentium literarum ſtudia auidius et maiori animorum contentione, quam NORIMBERGENSIS, primum arripuerit ; quae feliciori ſucceſſu ea ipſa fouerit ; et quae gratioribus denique praemiis eadem decoranda curarit? Teſtis, teſtis eſt haec ipſa Academia ; quam PATRES PROCERESQVE REIPVBLICAE NORIMBERGENSIS quaſi in ipſo Germaniae centro, in publico Europae theatro, in ore et oculis totius coetus chriſtiani, non minore ſapientiae ſuae, quam munificentiae, gloria condiderunt, et ad hunc usque diem feliciſſime ſeruant. Qua re, quomodo melius rei ſacrae atque literariae amplificandae inſeruire ; quomodo pulchrius de ornanda ſocietate humana mereri ; quomodo prudentius poſteritati conſulere, et denique, quomodo certius ac perennius ſibi ſuisque decus comparare potuiſſent? Hoc enim aſylum eſt, quod Muſis patet fugientibus ; neque indigenis tantum, ſed exteris etiam, gratiſſimum hoſpitium, et ſecuram amoenamque ſtudiorum ſedem, praebet. Hic Circus maximus eſt, in quem Virtus deſcendit, et ubi praeclara, atque in ſpem publicam nata, ingenia, quotidianis concertationibus ſeſe exercent,

ac pulcherrima togatae militiae munia obeunt. Haec arx eſt ſanctioris Mineruae, in qua literae bonae ab infeſto fortunae incurſu defenduntur. Haec Victoriae aedis eſt, quae innumera oſtentat tropaea, ab ignorantia et barbarie relata. Hoc denique templum eſt Mnemoſynes, in quo magna NVTRITORVM beneficia, et ingentium animorum res bene laudabiliterque geſtae, itemque uirorum eruditione ac diligentia clarorum labores, aeternitati conſecrantur. Neque uero inconſulto quodam animi impetu primum in hanc cogitationem uenerunt PATRES REIPVBLICAE ORNANDAE VNICE INTENTI; ſed, quod iam ſupra diximus, inducente DEO, et re accurate ſapienterque penſitata, tantum tamque arduum opus aggreſſi ſunt; quod demum temporis ſucceſſu, et ueluti per gradus certos, in eam dignitatis Academicae altitudinem, in qua nunc, diuina fauente gratia, conſiſtit, exoptato perennitatis augurio, extulerunt. Ita nimirum neque aliae arbores diutius perdurant, roburque ſuum felicius retinent, quam quae lentius ſua capiunt incrementa. Quis uero ambigat, tam PIOS PROCERES, quorum mentes dudum coelo receptae triumphant, cum prima tanti operis conſtituendi inierint conſilia, cum ipſa huius ſcholae fundamenta in ſecreto iecerint, iam tum intra ſe ueriſſimam ſpem aeternitatis concepiſſe, et, firma animorum confiſione, uoluntatis opisque diuinae fuiſſe certos? Tam auſpicato, tam proſpero, tam felici, progreſſu, omnia ſucceſſerunt!

Verum, nulla huic Academiae antehac illuſtrior, nulla ſolennior atque glorioſior, contigit dies, quam cum ante hos ipſos centum annos, hac ipſa luce, quam omnis poſteritas ſanctam feſtamque habebit, in culmen pulcherrimi omnium ſcientiarum atque artium ſacrarii, DEO hominibusque approbantibus, et auſpiciis proſperrima quaeque addicentibus, attolleretur. O quam felicia, o quam ſalutaria, amplificandae rei ſacrae atque literariae tunc contuliſtis conſilia, PATRES VENERANDI, qui eo tempore Muſarum ſacra curabatis! Quanto cultu pro tantis meritis TE adhuc proſequamur, qui in auguſtam ablegatus aulam CAESARIS OPTIMI MAXIMI gratiam noſtro Muſarum contubernio excellenti uirtute tua facile conciliaſti, CHRISTOPHORE FVRERE; cuius nomen

publicae atque literariae rei in Ciuitate Norica tam ſaepe auſpicatum fuit, et hodieque magnum Patriae lumen affert, ſemperque erit uenerabile? Quas laudes gratiasque TIBI omnis habeat poſteritas, GEORGI CHRISTOPHORE VOLCAMERE, quem commemorabili pietate et animi magnitudine praeditum, atque adhuc in poſteris uigentem digniſſimis, omnes boni colunt beneuolentia ſempiterna? Quantam TIBI teſtemur pietatem, VDALRICE GRVNDHERRE, cuius uices honoresque multis acceſſionibus ſplendidiores tam incluti nominis tantaeque uirtutis Heres in hoc ipſo centeſimo anno feliciſſime tuetur? Denique, quae TIBI monimenta denuo ſtatuamus, CAROLE SCHLVSSELFELDERE, cuius ſtirpem quamuis iniqua extinxerint fata; egregiorum tamen meritorum cultum haec Academia perpetuo conſeruabit? Non potui non, in hac ſolennitate, ueſtrorum memoriam nominum excitare, O MANES BEATISSIMI; quia, cum ceteris ILLVSTRIBVS PATRIAE PATRIBVS, inter periculoſiſſimas temporum inclinationes, pulcherrimum opus auſi eſtis; quia, inter tot tantaque mala tunc imminentia, in laudabiliſſimo propoſito intrepidi perſeueraſtis; et quia, ex publica magni SENATVS auctoritate, ante hoc ipſum ſaeculum, ſolennem huius maioris Muſarum domicilii procuraſtis dedicationem, cui haec gaudia ſaecularia maxime innituntur.

Sed neque alio tempore unquam quicquam praetermiſerunt BENIGNISSIMI huius Academiae NVTRITORES, quod ad hoc Reipublicae ſuae Palladium tuendum, et magis magisque condecorandum, facere potuit. Hic, ſi immortales omnium eorum laudes, qui inprimis de curanda hac Academia bene meruerunt, recenſere uelim, tantum tamque longum iter orationis denuo inirem, unde per aetatis meae ſpatium mihi reuerti non liceret. Sed tamen a me impetrare non poſſum, quin inclutum GEVDERORVM nomen iam appellem, quoniam illuſtrem huius nominis SENATOREM et REIPVBLICAE SEPTEMVIRVM hic coram ueneramur, de cuius laudabiliſſima cura Camenae noſtrae aliquandiu laetatae fuere. Sic et magna illa atque ſplendida Patriae nomina, VOLCAMERI uidelicet, LOEFFELHOLZII, NVZELII, HOLZSCHVHERI, BEHAIMII, VVELSERI, KRESSII, TVCHERIque,

PATRES

PATRES et VIRI PRIMARII CIVITATIS, perpetuo in ſermonibus mentibusque Muſarum noſtrarum haerebunt; quorum uirtutes praeſtantiſſimae in poſteris Senatoria dignitate illuſtribus cumulatius reſplendent, et inter haec ſacra quaſi praeſentes oculis noſtris obuerſantur, ſuique commouent admirationem. Nec ſecius uero PAVMGARTNERORVM etiam, et PFINZINGIORVM, et STROMERORVM, et POEMERORVM, et HALLERORVM, et HARSDOERFERORVM, ceterarumque ILLVSTRIVM PATRIAE GENTIVM, ampliſſima in ſe merita ab omni obliuione uindicabunt, ac poſteritati commendabunt literae noſtrae; neque unquam laudes tantas obſoleſcere patientur. Quo nomine nec nobis quicquam carius antiquiusque eſſe poteſt memoria egregiorum Iuris Antiſtitum, huiusque Academiae PROCANCELLARIORVM, qui, in partes publici conſilii curaeque adſciti, id ſemper ſpectarunt, ne quid res literaria apud nos detrimenti caperet. Quam ſingularis uigilantiae, ſummaeque fidei ac candoris, laudem, tibi inprimis propriam reddis, VIR MAGNIFICE, qui hodie iſtam prouinciam pulcherrime feliciſſimeque ornas. Equidem honorum nataliumque dignitas cum magna uirtute, cum excellenti eruditione, ſimilimaque rerum omnium prudentia, arctiori uinculo coniuncta, iamdudum decus ueſtrum in ſtabili ſplendidoque loco collocauit; dabimus tamen operam, ne quid et noſtri officii atque obſeruantiae in meritis ueſtris digne recolendis unquam deſideretur.

Iam uero, cum tot tamque magnae nobilesque animae, in exornandis his Athenis Noricis ſemper elaborarint; fieri uix potuit, ut ullum iis commoditatis decorisque genus deeſſet. Si ſpectamus hoc ipſum, in quo nunc uerſamur, publicum Academiae aedificium; ecce, quantis id ſumtibus, quam commode, quam magnifice, extructum, et quam dignum tam ILLVSTRI REPVBLICA ALTRICE, refulget! Si opidum reſpicimus, in quo commorantur Muſae noſtrae, id amplitudine quidem aliis ultro cedit, nullo tamen loco, uel ſalubritate aeris agrique, uel nemorum amoenitate, uel alio apparatu neceſſario, facile eſt inferius. Agnoſcas hic alteram Platonis uillam, ab Athenis, illa omnis doctrinae et elegantiae patria, proxime ſitam, doctorum ubertate uirorum fecundam, atque mitiſſima coeli

temperie, et saltibus umbrosis, gratissimisque hortulis ac secessibus, ad animos recreandos, et ad studiorum seueriorum rationes honesto dispungendas otio, peraccommodatam. Quam fertilis, quam pulchra, quam speciosa, Medicorum filiis arridet Flora Altorfina, ut prae plurimis aliis in Germania caput uel citra inuidiam efferre possit? Quam opportuna adest officina, ad corpora igne soluenda, et ad uires naturae scrutandas, comparata? Quam eximia eminet specula, unde coeli miracula, unde siderum magnitudines, interualla, status, cursus, atque progressiones, propius suspicere, et accuratius contemplari, licet; cuiusmodi subsidiis praeclaris, quot non sunt eruditi coetus, qui adhuc destituantur? Iam quid de salutari et sapiente legum Academicarum ordine; quid de doctorum, liberaliter undique conductorum, praestantia; quid de huius Academiae conditione in uniuersum, loquar? Equidem nemini obscurum est, quanta ingeniorum fertilitate omni tempore sese extulerit NORIMBERGA, ut nulla facile Academia, non solum in Germania, sed etiam aliis quibusdam, quae cultum ingenii alunt, terrarum partibus, reperiatur, de qua non aliquando uiri docti, Norimbergae nati, bene meruerint. Nihilominus, quanta fecunditate aliis bona sua impertiuit locis; tanta bonitate atque humanitate omni tempore uiros a doctrina et uirtute collaudatos recepit aliunde, et beneficiis, honoribus, honestisque stipendiis, ad se inuitauit. Haec est caussa, cur *Edo Hildericus*, ex *Vareliorum* prosapia ortus, Frisiae; Brisgouiae, *Freigius*; *Giphanius*, Geldriae; Galliae, *Donellus*; Italiae, *Scipio Gentilis*; *VVesenbecius*, Antuerpiae; Monti Bellicardo, *Taurellus*; *Scherbius*, et *Maderus*, Heluetiae; Bohemiae, *Crinesius*, et *Praetorius*; Palatinatui, *Glacianus*, *Agricola*, et *Georgius Koenigius*, blande quasi eripi potuerint. Haec ratio est, propter quam *Bergius*, *Rittershusius*, et *Cregelius*, Brunsuicensium ac Luneburgensium terras; Pomeraniam, *Hubnerus*, et *Tydaeus*; Thuringiam, *Caspar Hofmannus*, et *Hedenus*; Brandenburgicas regiones, *Noeslerus*, et *Mauricius Hofmannus*; Misniam, *Vngepauerus*, *Iungermannus*, *Hammerus*, *Linckius*, et *Spizius*; *Mollerus*, Pannoniam; aliique uiri docti alia orbis politioris loca, relinquenda censuerint, ut Altorfii potius, quam alibi, pulchras ingenii sui

dotes

dotes explicarent. Quid praeterea alios memorem ſacrorum interpretes optime meritos, *Schopperum*, *Matthiam*, Ditmarſum, *Saubertos*, *Fabricios*, *Hackſpanium*, *Durrium*, *VVegleiterum*, *Sontagium*? Quid recenſeam Iurisconſultos omni laude praeſtantes, *Dinnerum*, *Cobium*, *Schefferum*, *Textorem*, *Geigerum*, *VVagenſeilium*, *Gerhardum*? Quid plures adhuc Medicos excitem, arte ſua et uſu clariſſimos, *Sonerum*, *Nicolaum*, *Brunonem*, *Apinum*? Quid de ceteris ſapientiae atque humanitatis doctoribus, de *Erythraeo*, de *Colero*, de *Piccarto*, de *Clapmario*, de *Virdungo*, de *Schvventero*, de *Petro Saxone*, de *Philippo Carolo*, de *Trevvio*, de *Ruperto*, de *Sturmio*, de *Omeiſio*, de *Roetenbeccio*, aliisque, nunc dicere ingrediar? Horum nomina ſola ſimplex hic ſermo capere ſatis non poteſt; tantum abeſt, ut ſingulorum laudes commemorare ſuſtineam? Hi enim omnes, ſiue peregrini atque aduenae, ſiue in gremio FELICIS NORIMBERGENSIVM REIPVBLICAE nati, cum Muſis noſtris iucundiſſime uerſati ſunt; hi, pro ſua quisque parte, integerrimam hanc doctrinae ingeniis cultae ſedem induſtria et uirtute ſua maiorem in modum illuſtrarunt, ac, poſtquam ſuis ſibi meritis immortalem peperere famam, nunc, in coeleſti Academia, ſapientiae diuinioris luce largiſſime perfunduntur.

At, neque his quidem temporibus, quae ſummi Numinis gratia eſt, deſunt, qui in hoc uirtutis omnisque praeclarae cognitionis theatro, ſtudioſae iuuentuti ſtrenuam nauent operam, qui omni ſtudio atque fide elaborent, ut, quas ſibi impoſuit partes RESPVBLICA HONESTISSIMARVM ARTIVM OPTIMIQVE MORIS RETINENTISSIMA, eas recte et cum dignitate tueantur, neque ullo tempore committant, ut a cogitatione officii, quod beneficiorum magnitudo, literarumque amor, poſtulat, receſſiſſe uideantur. Sed, contineo me, ne, ultra progreſſurus, ſuperſtitum praeſentiumque modeſtiae grauis exiſtam. Id uero interim ſine omni oſtentatione, et ſine iactantia, aſſeuerare poſſum, nullam eſſe partem illuſtrioris doctrinae, cum uel admirabilem habeat dignitatem, uel publicae ſeruiat utilitati, cuius hoc etiam loco dilucide docendae explicandaeque, uti olim, ita et hodie, ratio non habeatur. Vbi enim curatius diuina communicantur cum mortalibus; candidius coeleſtia exponuntur oracula;

neruoſius confutantur errores; animisque ad pietatis eruditae ſtudium luculentiores praeferuntur faces? An ſanctae Themidis cultus alibi religioſior feliciorque effloruit? cum ex hoc incluto ſapientiae muſeo nobiliſſima iurisprudentiae diſciplina perpetuum ſincerumque lumen mutuetur; cumque hic tot ac tanta Iurisconſultorum eminuerint ingenia, ut habeamus omnino, quae clariſſimis aliarum Academiarum luminibus recte comparemus. Vbi denique artis ſalutaris honor acrioribus Doctorum conatibus auctus eſt? Ac, quid fidei induſtriaeque ullo tempore praetermiſſum exiſtimemus, quo minus omnis philoſophiae et humanitatis ſtudia, minore quidem ambitione, at non ſegniore cultu, apud nos etiamnum uigeſcant? Ita nempe BENEFICENTISSIMI PATRIAE PROCERES nullis unquam impenſis, nullis curis, laboribusque, pepercerunt, ut huius Academiae rebus ſemper bene benigneque conſulerent; ita et adhuc, illuſtre glorioſumque MAIORVM exemplum ſecuti, id laudabiliſſime curant, ut decus literarum porro tueantur, atque in dies amplius adaugeant.

Habuit ergo, DEO fauente, res optabilem progreſſum; cum non modo flos Noricae finitimaeque Iuuentutis habeat, ubi, inter domeſtica Muſarum commercia, bono publico commodiſſime feliciſſimeque adoleſcat; ſed ex uariis etiam Europae regionibus, qua artibus bonis honor pretiumque conſtituitur, a condita Academia usque ad haec tempora, egregiarum aduenae mentium huc commearint, qui, maiori doctrinae cultu, bonique moris laude, collocupletati, poſtea ſingularem erga hanc REMPVBLICAM, tanquam ſtudiorum ſuorum altricem, in patriam retulerunt amorem, quique tantum gloriae addiderunt huic ipſi ſanctiſſimo literarum hoſpitio; quantum deinceps, in ſuo quisque munere, uel domi, uel peregre, omnia honeſta humanaeque ſocietati ſalutaria uitae genera ornarunt. Poſſem hic PRINCIPES MAGNOS, aliosque ILLVSTRISSIMOS NOBILISSIMOSQVE INGENTIVM VIRORVM NEPOTES, poſſem ſplendidiſſimos AVLARVM MINISTROS, ſapientiſſimosque RERVM PVBLICARVM ac TRIBVNALIVM MODERATORES, poſſem eximios ſacrarum literarum Interpretes, itemque Papinianos, et Galenos, et Themiſtios, ceterosque uiros omni eruditionis genere inſignes, commemorare, qui, collectis

praeſtan-

praeſtantiorum diſciplinarum opibus, ex hac artium officina feliciter progreſſi, Altorfinarum laudes Muſarum longe lateque circumtulerunt. Verum, comprimo orationem, ne altius prouecta nullum in dicendo finem inuenire poſſit. Id unum in praeſens non prorſus reticendum puto, quamuis apud nos parcius, et tam religioſe, ut uix alibi religioſius fieri poſſit, publica Academicae induſtriae praemia diſtribuantur; a uenerabili tamen Theologorum ordine, poſt depulſam priorum temporum ſterilitatem, intra hos uiginti ſex annos, iam uiginti Candidatos, rerum diuinarum cognitione, et fama meritisque excellentes, ſummos ſanctioris ſcientiae honores retuliſſe: in Iurisprudentia uero, eadem dignitatis laude atque commendatione, at maioris fecunditatis argumento, intra hos centum annos, quadringentos octoginta ſeptem; et ex artis ſalutaris ſtadio, ducentos quadraginta tres, prodiiſſe, qui, more inſtitutoque maiorum probati, ſuae ſibi doctrinae, ſuae induſtriae, uirtutisque, inſignia hic repererunt. Sed et uos, quingenti ac duodeuiginti philoſophiae optimarumque artium Magiſtri; uos ſexdecim Poetae, qui doctarum praemia frontium apud nos meruiſtis, quamuis pro numero et conſuetudine aliarum Academiarum pauciores, pro dignitate tamen literati ordinis aſſerenda ſatis multi; uos eritis teſtes, qua fide, quo ſtudio, qua diligentia, eae artes, quae ceteris omnibus lumen praeferunt, hoc loco tradantur, colanturque.

Haec, et talia plura, ſi quis animo complectatur; quomodo fieri poſſit, ut conſilium tam pium, tam ſapiens, et chriſtiano magiſtratu, talique ac tanta IMPERII ROMANI REPVBLICA tam dignum, praeconio promerito, debitisque laudibus, non cohoneſtet? Quis eſt, qui SENATVS POPVLIQVE NORICI in prouehendis artium ſtudiis ardorem, in cumulandis meritorum praemiis, liberalitatem atque munificentiam, non admiretur, aeternisque monimentis commendandam exiſtimet? Quod ſi unquam igitur, hodierno ſane die, certiſſimis elucet documentis, quanti SENATVS OMNIVM DECORVM ADMIRATIONE VENERABILIS faciat culturam ingeniorum, omnisque eruditionis copiam; quanto et quam magnifico impendio ſuam hanc alat, ornetque, Academiam. O quam felix, quam fortunata, quam glorioſa ueſtra cura eſt,

ILLVSTRES REI SACRAE AC LITERARIAE QVATVORVIRI, qui hoc tempore, ex auctoritate MVNIFICENTISSIMI SENATVS, in publico doctrinae praesidio positi, optimarum artium studia, quae propria sunt REIPVBLICAE NORIMBERGENSIS ornamenta, cum immortali nominum uestrorum gloria, sapientissime curatis. Quod munus diuino plane consilio uirtuti fideique uestrae tributum est, ut, VOBIS prouidentibus, Patria porro floreat ingeniis, ut literarum honor ope uestra ab iniuriis et contemtu uindicetur, utque haec Academia pristinum seruet nitorem, et nunc, DEO bene iuuante, ueluti nouum felicitatis cursum ineat. Venit mihi in mentem legisse aliquando in Liuio, graui rerum Romanarum scriptore, ubi T. Quintius in publica concione de ardua quadam caussa orationem habuerit, manasse Patribus gaudio lacrimas, adeo, ut fere ipsum quoque confuderint dicentem. Scio, O PATRES OPTIMI, liceat enim VOS sine titulorum ambitu alloqui, quorum uel nomina sola splendore suo refulgent; scio, inquam, O OPTIMI PATRES PROCERESQVE PATRIAE, VOS, pro summa pietate uestra, et incredibili erga bonas literas fauore, non parum animis commoueri, nec mediocri gaudio erigi; cum uideatis, DEI IMMORTALIS prouidentia, uestros pro salute publica labores, uestras pro flore rei literariae curas, tam bene prospereque cessisse, ut, VOBIS rem moderantibus, tam singularis huic Academiae uestrae contigerit felicitas; ut haec solennia saecularia ex sententia possimus transigere, ut in splendidissima hac honestissimaque concione tot bonae mentes, pro publica felicitate, et pro perennitate Academiae, tam piis uotis exardescant; imo, ut tot exteri, et inprimis tot CELEBERRIMAE ILLVSTRESQVE ACADEMIAE, hos rerum nostrarum successus tam laeto plausu, tamque fauentibus animis linguisque, excipiant. Quapropter, iamdudum gestit animus, VOBIS, O GRAVISSIMI BENIGNISSIMIQVE LITERARVM NOSTRARVM ARBITRI, qui publicae huic laetitiae praesidetis, publico etiam nomine, solennem atque effusissimam testari gratulationem. DEVS VOBIS, huicque coetui, gaudium hoc ex omni parte sincerum germanumque praestet, vosque omnium, quae expeti possunt, bonorum copia cumulatos, in uera stabilique felicitatis possessione confirmet,

firmet, ut illuſtre meritorum lumen Patriae Muſisque ſeriſſimos in annos impertiamini.

Cum ante hos centum quinquaginta et duos annos prima ueluti rudimenta atque fundamenta publicorum huius Academiae aedificiorum iacerentur; inuenio, praeter alios, IODOCVM TEZELIVM, et ANDREAM IMHOFIVM, Septemuirali dignitate in REPVBLICA NORICA eminentes, operi huic curando dirigendoque feliciter praefuiſſe. O, quam auſpicato iſthaec nomina illuſtria nunc recolimus, cum quaſi fundamenta noui ſaeculi, nouaeque felicitatis, huius Academiae ponuntur! Quanta igitur maxima pietate poſſum, iam TIBI nominatim gratulor, illuſtris GVSTAVE GEORGI TEZELI, AVGVSTISSIMI IMPERATORIS Conſiliarie, INCLVTAE REIPVBLICAE NORIMBERGENSIS Triumuir, et rei ſacrae atque literariae Ephore ſplendidiſſime, longeque meritiſſime; itemque TIBI, illuſtris IOHANNES CHRISTOPHORE IMHOFI, EMINENTISSIMI ELECTORIS MOGVNTINI, ac SERENISSIMAE PRINCIPIS et MAGNAE DVCIS HETRVRIAE, Conſiliarie intime, REIPVBLICAE PATRIAE Septemuir, et Academiae Curator, honorum meritorumque amplitudine grauiſſime! Equidem TEZELII pariter atque IMHOFII, iam per plura ſaecula, non minus togae, quam ſagi, artibus inſignem ſibi poſterisque gloriam conciliarunt, quae intermorietur nunquam; tantorum tamen meritorum acrius nos commonet huius diei ſolennitas, qua coram conſpicimus tam felices auitae dignitatis Amplificatores, quorum conſilii altitudinem, et mirificam fidem, indefeſſamque in publica utilitate prouehenda uigilantiam, uniuerſa praedicat Patria; quorum excellentes animi uirtutes ſuſpiciunt exteri, et mirantur, praedicantque, Muſae; quorumque humanitatem inuſitatam loquuntur omnes. Sed VOS etiam honoris uenerationisque cauſſa appello, VOBISque eodem nomine iam ſolenniter gratulor, o ueneranda Patriae nomina, LEONHARDE GRVNDHERRE, et HIERONYME GVILIELME EBNERE, itidem Illuſtres Generoſiſſimique Reipublicae Senatores conſulares, huiusque Academiae Curatores optime meriti! qui, cum ipſi omne decus animis complectamini, cumque, in patriae ſalute curanda, in excitandis ingeniis, inque literarum honore tuendo augen-

doque, curas omnes atque cogitationes, omnem denique mentem defixam habeatis; optimi cuiusque animum admiratione ueſtri impletis, ſimulque Gentium ueſtrarum, uetuſtae nobilitatis meritorumque ſplendore praenitentium, dignitatem, famam, et exiſtimationem, domi forisque ſpectatam, non propagatis modo, ſed multis etiam magnisque auctibus euehitis.

Quid aequius, quidque iuſtius foret, quam ut in decentes aeternasque laudes ueſtras nunc ſigillatim excurrerem? Verum non audeo extrema orationis parte nouum amplumque exordiri argumentum: quia, quicquid dixero, minus fore ſcio; et quoniam incredibilis modeſtia ueſtra laudationem praeſentium ultro deprecatur: quamquam uel eo ipſo nomine ſumma et ueriſſima promereamini praeconia, quod pro uniuerſis meritis ueſtris unicum requiſiuiſtis, mihique iam ante iniunxiſtis, ſilentium.

Silerem adeo nunc prorſus, niſi illa adhuc reſtarent, quae, ſaluo pietatis gratique animi officio, ſileri praetermittique nullo modo poſſunt. Iam nimirum omnis intentio mentis, omnisque animi religio, iterum conuertenda eſt ad ipſam ALMAM STVDIORVM INGENIORVMque PARENTEM ac NVTRICEM, ad REMPVBLICAM NORIMBERGENSEM, omni laude illuſtrem, ſed omni maiorem: a qua uitam ac ſpiritum ducunt Muſae Altorfinae, et a cuius praeſidio, liberaliſſimaque uoluntate, haec ipſa dependet Academia. TE itaque, TANTAE TAMQVE INSIGNI GLORIA CVMVLATAE S. R. I. REIPVBLICAE SENATVS SPLENDIDISSIME, VOS in uniuerſum, O TAM BENIGNI, TAM INDVLGENTES, TAMQVE MVNIFICI, HVIVS ACADEMIAE NVTRITORES CONSERVATORESque, haec ipſa alumna et cliens ueſtra, me qualicunque interprete, reuerentiſſime compellat. Quid uero alumnam duntaxat, clientemque, dico, quam VOS IPSI filiae honore dignamini, et, VESTRORVM exemplo ABAVORVM, oculo cariorem habetis? Haec, tot tantisque REIPVBLICAE VESTRAE beneficiis condita, conſeruata, atque ornata, VOBIS aeternam teſtatur pietatem, gratiasque agit immortales. Haec VOBIS, VESTRISque, et OMNI CIVITATI, felicitatem perpetuam comprecata, fortunam ac dignitatem ſuam gratiae et benignitati ueſtrae, etiam

in futurum tempus, demiſſo cultu, certaque fiducia, commendat. Haec nexu mancupioque ſe ueſtram profitetur, ac, cum aliud praeſtare nequeat, operam datura eſt, ut nullo non tempore dignam ſe TAM MVNIFICA PARENTE prolem, omni fide et induſtria, omnique obſeruantia et obſequio, praeſtet. Haec denique, cum tot bona, totque honores, a VOBIS accipiat; beneficia ueſtra aeternis proſequetur honoribus; omnibusque contendet uiribus, ut ueſtram in AVGVSTVM IMPERIVMque pietatem, ueſtraque in Rem publicam atque literariam merita, ingenue aperteque dilaudet: ut non in his tantum proximisque ſedibus quotidie audiantur; ſed exteros etiam remotosque Populos fama in dies illuſtriori impleant, iisque laudum monimentis conſecrentur, in quae nihil ſenectuti, nihil temporum hominumque iniuriae, liceat. Atque audiet certe tam illuſtris exemplum munificentiae ſero uentura aetas, et admirabunda accipiet, quam propenſa uoluntate, et quam multis magnisque impenſis, VOS coeleſtis ueritatis cultum, et decora ſaeculo ſtudia, amplificare contenderitis. Audiet haec orbis terrarum, qua a feritate ad manſuetudinem diſciplinaeque amorem traductus eſt, et agnoſcet exinde, nusquam artes bonas effloreſcere felicius, quam ubi tam ſapiens, tam iuſtus, et doctrinae uirtutisque tam amans, Magiſtratus ad gubernacula Reipublicae ſedeat. Nos uero interim ad uota confugimus, DEVMque, omnis ueri bonique auctorem, ſupplices obſecramus, ut concedat tantis bonis felicem et tranquillum ſemper ſucceſſum; ut VOBIS, qui PATRVM amorem atque indulgentiam Ciuibus ueſtris, Muſisque, praeſtatis, dignam rependat gratiam, retribuatque uniuerſae REIPVBLICAE abunde, quod in honorem optimarum artium, et in ſalutem huius Academiae, cumulatiſſime confertis; utque VOS huius propenſiſſimae uoluntatis ueſtrae fructum capiatis ampliſſimum, ex gloria patrocinii literarum, quo genus humanum demeremini, et ex honeſta felicique inſtitutione iuuentutis Academicae, quae ſaluberrimis imbuta diſciplinis, bono gloriaeque Rei chriſtianae atque literariae ſuccreſcit; utque omnia, quae facitis, quaeque facietis, proſpere cedant VOBIS, REIPVBLICAE, bonisque artibus; itemque, ut nouum hoc, quod ueſtro ductu, ueſtraque munificentia,

 aperi-

aperitur ſaeculum, ſine offenſa fortunae, optabili rerum ſucceſſu procurrat; atque ut, altero ſaeculo feliciter circumacto, Muſae Altorfinae, maioribus auſpiciis, amplioribusque laudibus, DEO, VOBISque, gratias agant; denique, ut VESTRA RESPVBLICA, VESTRA PROGENIES, VESTRA HAEC ACADEMIA, eo usque duret atque floreat, quoad ſtabit uigebitque haec rerum uniuerſitas!

Ita, ſpe animisque pleni, totque praeclaris confirmati ominibus, etiam in poſterum tempus omnia ſecunda atque proſpera auguramur; maxime, cum huius eruditae ſodalitatis honori, in hoc ipſo ſacro ſaeculari, TAM ILLVSTRIS, TAM SPLENDIDA ATQVE VENERANDA HOSPITVM CONCIO tam prompte faueat, noſtrasque res tam prolixo affectu, tamque pia congratulatione, proſequatur. Quo nomine VOBIS, MAGNIFICI ILLVSTRIVM ACADEMIARVM ABLEGATI, VIRI CELEBERRIMI, ET ERVDITIONIS HONORVMQVE LAVDIBVS EXCELLENTISSIMI; VOBIS etiam, ILLVSTRES GENEROSISSIMIQVE SENATORES, in quorum uultu ipſam grauitatem comitatis pleniſſimam, et ipſius INCLVTAE REIPVBLICAE NORIMBERGENSIS dignitatem atque auctoritatem, intueri uenerarique licet; VOBIS praeterea, o reliqua PATRIAE ORNAMENTA, VIRI MVLTIS MERITORVM, DIGNITATVM, FORTVNAEQVE, NOMINIBVS COMPELLANDI, quanta fieri debet, pietatis et obſeruantiae ſignificatione, gratias agimus plurimas maximasque, pro honore huic Academiae publice prolixeque habito; quod hanc ſaecularium ſacrorum celebritatem honorifica praeſentia ueſtra condecoraſtis: cuiusmodi inſignis beneuolentiae fauorisque genus tanti facimus, ut eius memoriam coetus noſter, futurorumque temporum poſteritas, non poſſit non pie ſemper inuiolateque ſeruare, utque laudes humanitatis ueſtrae nulla unquam delibatura ſit obliuio.

IIII. ODAE

IIII.

ODAE SAECVLARES
QVAS
IPSIS SACRIS SAECVLARIBVS
ACADEMIAE ALTORFINAE
III KAL. QVINCTIL. A. R. S. cIɔIɔccxxIII
AVSPICATISSIME CELEBRATIS
A
CHORO SYMPHONIACORVM
DECANTANDAS
PVBLICO SVPERIORVM IVSSV
EA QVA PAR EST ANIMI RELIGIONE
EXHIBEBAT
CHRISTIANVS GOTLIBIVS SCHVVARZIVS.

ODE I.

NVnc auſpicato ſidere proſperum
Affulget aeuum; nunc noua prouehit
Sol ſaecla; nunc exurgit aetas
Ingeniis ſtudiisque felix!

Non longa ſemper diminuit dies
Priſcos honores; nec ueniens ruit
In peius aetas. Plura tandem
Luſtra fluunt meliora primis.

Doctrina floret; Caſtalidumque laus
Corroboratis pollet honoribus.
Fulget ſua uirtute Noris;
Noriacaeque uigent Athenae.

Hinc plena ſancto pectora Numine
Plauſu reſultant; hinc ſuper aethera
Prodire, uotiuisque acerris
Sacra iuuat cumulare tura.

O, qui gubernas omnia, qui polum
Terramque flectis, fluxaque temporum
Momenta; cui noſtrae ſacratis
Pierides famulantur aris:

Huc uerte uultus, omnipotens DEVS!
Audi piarum iubila mentium,
Et laeta noſtri uota coetus,
Vota tuis animoſa donis!

Tu nos tueris; noſtra tibi ſalus,
Et Muſa cordi eſt. Auſpiciis tuis
Haec ſalua ſtat uirtutis aedes,
Muneribusque tuis coruſcat.

Vos optimorum numina CAESARVM,
Saluete, quorum tam facilis fauor
Noſtris honores, purpuramque,
Praeſidiumque, dedit Camenis!

Saluete,

Saluete, qui iam sidereas domos,
Inter serenae fulgura gloriae,
Ornatis, et quorum tropaea
Attonitus ueneratur orbis!

AVGVSTE, *salue, gloria* CAESARVM;
O splendor aeui, maxime CAROLE;
Cui longa tot gentes precantur
Saecula, consimilemque prolem!

Per TE *relucent Halcyonum dies,*
Ac grata doctae Palladis otia;
Per TE *refulget pulchra uirtus,*
Et Latiae reuocantur artes.

Tuis Cithaeron fascibus attremit;
Sternitque sacram mons Heliconius
Laurum. Tuae felicitati
Templa flagrant animique uotis.

At, alma NORIS, *sunt tibi propria*
Haec sancta charae gaudia filiae.
Laetare rebus tam secundis,
Quae tibi quaeque tuis recurrunt!

Praestantiorum magna Parens Virum!
Tu pacis artes altius euehis;
Tu fas, piumque, ausus que pulchros,
Promerito decoras honore!

Gaudete, PATRES NORIDIS INCLVTAE;
Gaudete, dulcis sidera Patriae;
Queis cura Musarum, fauorque,
Eximium decus arrogauit.

VOS, VOS *uetabunt Aonides mori;*
VOS *serus orbis concinet. Omnibus*
Fulgebit aeuis uestra uirtus,
Et decorum generosus ardor!

 ODE II.

ODE II.

EN, Numen audit uota precantium!
Audit ſupremus temporis Arbiter,
Eiusque nutu noſtra ſedes
Purpureo reniteſcit aeuo!

O usque nobis ſic faueas, DEVS;
Origo noſtrae, tu Pater, unica
Felicitatis, mitis usque
Templa colas tibi dedicata!

Paſcas opimo nectare gratiae
Nos ipſe, Paſtor maxime gentium;
Mittasque ſemper, qui ſalubres
Delicias animis recludant!

AVGVSTE, *uiuas*, CAROLE, *plurium*
Spes ſaeculorum! Pieridum ducem,
Palmas tot inter laureasque,
Te patiare diu uocari!

Viuatis et VOS, NORIACI PATRES;
Veſtrisque longum tot meritis frui
Poſſint Camenae, poſſit ipſa
Patria, poſteritasque felix!

Iam nunc reſurgat candida Fauſtitas,
Quae plena laudum tempora, tempora
Pacisque doctrinaeque plena,
Sideribus ferat auſpicatis.


Exculta Pindi culminibus ſacris,
Porro ſecundis usque laboribus
Germana floreſcat iuuentus,
Arte nitens, niueoque more!

Sic ſalua res eſt! Sic Academia
Felix uigeſcet! Sic alacres iuuat,
Terraque coeloque annuente,
Palladias renouare curas!


V. DE-

V.
DESCRIPTIO NVMISMATVM IN MEMORIAM SAECVLI NOVI ACADEMIAE ALTORFINAE PERCVSSORVM.

I.



II.



III.



Ab omni aeuo nulla fere ratio memoriae rerum geſtarum cuſtodiendae propagandaeque ſolennior fideliorque exiſtimata eſt, quam quae numis publice percuſſis conſecratur. Neque enim praeter cauſſam multis uiſum perſuaſumque fuit, hoc monimenti genus, non, tanquam cippos, ſtatuas, arcusque, unius duntaxat loci anguſtiis coarctari; neque tam facile, ac chartas, et membranas, tabulasque pictas, temporum iniuria atteri, conſumique; ſed facilius parari, diffundi latius, diutiusque ſeruari poſſe.

Iure igitur meritoque huiusmodi perennitatis pignoribus haec etiam ornata est festiuitas saecularis, ut, et praesens aetas, et posteritas futura, uelut ex breuissimo compendio recognoscat, quibus auspiciis praesidiisque, et quorum munificentiae ac curae, hanc felicitatem suam in acceptis referat Academia Altorfina. Quo adeo consilio triplicis potissimum generis numi publica auctoritate, ex argento, et partim auro, facti signatique sunt, quorum figuras praemissa refert TABVLA.

Primum genus horum numorum, altera fronte, exhibet superne signum DIVINAE TRIADOS; quia, quicquid felicitatis Academiae Altorfinae superioribus contigit temporibus, et, quicquid eadem in futurum tempus sperat, ante omnia ad DEI IMMORTALIS nutum, et consilium, prouidentiamque, piis animis refert. Subter DIVINITATIS symbolo, uaria insignia, ramusculis laureis circumdata, conspiciuntur; et in media quidem fronte, superiori loco, extat AVGVSTI SACRIque IMPERII AQVILA, ut ostendatur, hanc ingeniorum officinam aeque, ac ceteras S. R. I. Academias, ex indulgentia summaque auctoritate CAESARVM SACRATISSIMORVM, egregiis iuribus, et priuilegiis, honoribusque, ornatam esse, atque nunc sub auspicatissimo gloriosissimoque Imperio CAROLI VI, AVGVSTI, PII, FELICIS, in hac publica temporum tranquillitate, saecularem celebritatem quam felicissime obire potuisse. Aquilae imperiali subsunt insignia PERILLVSTRIS REIPVBLICAE NORIMBERGENSIS, quae mater et altrix munificentissima est Academiae Altorfinae, et quae, quantae curae sibi habeat huius alumnae suae salutem atque dignitatem, etiam occasione celebrandae eius saecularis festiuitatis, magnifice testatum fecit. Exteriore ordine continentur insignia gentilitia ILLVSTRIVM et GENEROSISSIMORVM SEPTEMVIRORVM: VVOLFGANGI IACOBI NVZELII, *ab et in Sundersbuhl;* CHRISTOPHORI FVRERI, *ab Haymendorf, in VVolckersdorf;* GVSTAVI GEORGII TEZELII, *a Kirchensittenbach, in Vorra et Artelshofen;* GEORGII CHRISTOPHORI KRESSII, *a Kressenstein, in Kraffts-hof et Rezelsdorf;* IOHANNIS PAVLI PAVMGARTNERI, *ab Hohlenstein, in Lonerstad et Grunsberg;* IOHANNIS CHRISTOPHORI AB IMHOF, *in Merlach et Stephansmuhlen;* et CAROLI BENEDICTI GEVDERI, *ab et in Heroldsberg et Stein;* qui omnes primi ordinis PATRIBVS adscripti, huius solennitatis Academicae tempore, INCLVTAM REMPVBLICAM NORIMBERGENSEM praecipua auctoritate ornarunt. Circa haec signa sequens legitur distichon:


QVAE DEVS ET CAESAR QVAE PATRES NORIDIS ALMAE
CONTVLERINT MVSIS IVBILA LAETA CANVNT.

Altera huius numi frons expressum refert TEMPLVM APOLLINIS, quale in uetustis quibusdam conspicitur numis; in quo APOLLINEM, praesidem illum bonarum artium habitum, GENIVS SENATVS serto laureo ornat; cui haec adscribi potuissent uerba: ORNATVR ET ORNAT; nisi res ipsa loqui uideretur, uti INCLVTVS REIP. NORIMBERGENSIS MAGISTRATVS multis semper amplisque beneficiis ornauerit bonas artes, et, felici augurio, in posterum etiam ad seruandam ornandamque hanc Academiam, pro insigni munificentia sua, nihil non sit collaturus; ita et hoc eximium eruditionis uirtutisque templum REIPVBLICAE tam munificae esse posse ornamento. Denique imae parti haec subscripta sunt uerba: SAECVLVM NOVVM ACADEMIAE ALTORFINAE. III KAL. QVINCTIL. A. CIϽIϽCCXXIII.

In altero numismate, aduersa pars exhibet Cippum, antiquo Romanorum more effictum, hisque uerbis signatum: SACRA SAECVLARIA ACADEMIAE ALTORFINAE. Ab utroque Cippi latere tempus celebratorum solennium saecularium notatur: A. S. MDCCXXIII. Ipse Cippus corona ex lauru contexta, et olim Apollini sacra, cingitur. Auersa pars, in media facie, refert insignia INCLVTAE REIP. NORIMBERGENSIS; quae insignibus gentilitiis quatuor ILLVSTRIVM CVRATORVM ACADEMIAE, iisque duplice palmae ramo ornatis, circumdantur. Superne haec legimus uerba: BENIGNITATE SENATVS; inferius: QVATVORVIRI SACRIS FACIVNDIS. Quemadmodum enim quondam apud Romanos Collegium DECEMVIRORVM curauit ludos saeculares; ita et Norimbergae quatuor CVRATORES ACADEMIAE, quibus generatim cura rei sacrae et literariae concredita est, et qui ex publica auctoritate sacra saecularia moderantur, accommodate appellari possunt QVATVORVIRI SACRIS FACIVNDIS. Cui numismati cudendo argumentum suggessit E. G. R.

Tertium genus numorum saecularium, inuentore I. A. S. formam quadrangulam habet, atque in antica parte epigraphen Germanicam prodit: GEDAECHTNVS DES ERSTEN IVBEL-FESTS DER VNIVERSITAET ALTORF. Vbi quidem literae maiusculae, tanquam notae numerorum, annum sacri saecularis designant; cuius et dies inferius seorsum additur: 29 *Iunii*. Quae inscriptio quodammodo et hoc Latino *chronographo* exprimi queat: IVBILAEO PRIMO VNIVERSITATIS ALTDORFINO-NORICAE. In postica parte itidem insignia INCLVTAE REIPVBLICAE NORIMBERGENSIS quatuor insignibus gentilitiis ILLVSTRIVM CVRATORVM ACADEMIAE cinguntur, ramusculisque laureis atque oleagineis ornantur.

Adhaec, sigillatim honori illustris REIP. NORIMB. TRIVMVIRI ac rei sacrae et literariae EPHORI, Academiaeque Altorfinae CVRATORIS PRIMARII, GVSTAVI GEORGII TEZELII *a Kirchensittenbach*, hereditarii clientelarum Vorrae et Artelshofii, hac occasione a IVSTINO VV. Norimbergensium Antistite, numus maioris modi inuentus dedicatusque est, cuius hoc schema damus:



 Vide-

Videmus in aduersa fronte Aquilam imperialem, et, sub hac, insignia arcis imperialis ac Ciuitatis Norimbergensis; quibus subiiciuntur insignia opidi Altorfini, tanquam sedis ac domicilii huius Academiae. Circum haec scripta legimus uerba: FVNDAMENTVM SALVTIS NOSTRAE CHRISTVS. Auersa frons exhibet non solum in *peripheria* uersum hunc *chronographum*: sVbLapso VegetIs MVsIs per gaVDIa saeCLo; sed et in media facie *epigraphen*, luculenter in ipso schemate descriptam. Scilicet memoratu dignum est, cum iam A. cIↃ IↃ LXXI prima fundamenta aedificii publici huius Academiae iacerentur, inter eos, qui publica auctoritate, pro suo quisque munere, huic operi curando dirigendoque interfuerunt, commemorari IODOCVM TEZELIVM, Reipublicae Triumuirum, et HIERONYMVM PAVMGARTNERVM, rei sacrae ac literariae Curatorem, itemque BALTHASAREM PAVMGARTNERVM, opidi Altorfini Praefectum; quos omnes iamdudum coelo receptos, consanguinitate attingit, et ABAVOS ueneratur, illustris GVSTAVVS GEORGIVS TEZELIVS, qui hoc ipso tempore, cum Academia nouum iniit saeculum, itidem INCLVTAE REIPVBLICAE Triumuir fuit, simulque rei sacrae ac literariae curam primariam auspicato gessit. Quam rem comprobat, luculentiusque illustrat, numus ille, qui memoriae caussa A. cIↃ IↃ LXXI cusus, et in primo lapide *Collegii Academici* repositus, iamque supra, *pag.* 5, in his Actis descriptus est; cuius anticam faciem nunc integram repetiit numus TEZELIANVS. Sed et ad ordinem huius propaginis magis declarandum facere potest sequens triplicis *schematis genealogici* delineatio.

I. Schema, respectu Patris:

Abauus: IODOCVS TEZELIVS, Triumuir Norimb. obiit A. 1575.
ANNA VOLCAMERIA; ob. A. 1572.
|
Proauus: CAROLVS TEZELIVS, Senat. et Praefect. rei milit. Norimb. ob. A. 1611.
ANNA IMHOFFIA, ob. A. 1643.
|
Auus: IOHANNES IACOBVS TEZELIVS, Septemuir Norimb. ob. A. 1646.
MAGDALENA SCHVVAEBIA, ob. A. 1665.
|
Pater: GVSTAVVS PHILIPPVS TEZELIVS, ob. A. 1696.
HELENA CATHARINA PAVMGARTNERIA, ob. A. 1674.
|
GVSTAVVS GEORGIVS TEZELIVS, Ephorus, A. 1723.

II. Schema, respectu Aui materni:

Abauus: BALTHASAR PAVMGARTNER, Praefectus opidi Altorf. ob. A. 1590.
HELENA SCHEVRLIA, ob. A. 1588.
|
Proauus: PAVLVS PAVMGARTNER, Praef. Altorf. ob. A. 1618.
MAGDALENA SCHLEICHERIA, ob. A. 1628.
|


Auus

Auus mat. ANDREAS GEORGIVS PAVMGARTNER, Duumuir Norimb. ob. A. 1686.
CATHARINA PAVMGARTNERIA, ob. A. 1638.
|
Mater : HELENA CATHARINA PAVMGARTNERIA, ob. A. 1674.
GVSTAVVS PHILIPPVS TEZELIVS, ob. A. 1696.
|
GVSTAVVS GEORGIVS TEZELIVS, Ephorus, A. 1723.

III. Schema, respectu Auiae maternae:

Abauus : HIERONYMVS PAVMGARTNER, Ephorus, et tandem Duumuir primar. ob. A. 1602.
CLARA OERTELIA, ob. A. 1600.
|
Proauus : NICOLAVS HIERONYMVS PAVMGARTNER, Scholarcha, ob. A. 1618.
CATHARINA SCHEVRLIA, ob. A. 1641.
|
Auia mat. CATHARINA PAVMGARTNERIA, ob. A. 1638.
Auus : ANDREAS GEORGIVS PAVMGARTNER, ob. A. 1686.
|
Mater : HELENA CATHARINA PAVMGARTNERIA, ob. A. 1674.
GVSTAVVS PHILIPPVS TEZELIVS, ob. A. 1696.
|
GVSTAVVS GEORGIVS TEZELIVS, Ephorus, A. 1723.

Denique, C. A. L. D. priuata pietate inductus, in honorem ILLVSTRIVM ACADEMIAE NVTRITORVM, suppeditauit inuentionem cudendo numo saeculari, cuius haec est figura:



Huius numi facies anterior repraesentat aedes publicas Collegii Academiae Altorfinae; supra quas extat *Aquila imperialis;* sub hac, insignia Arcis imperialis et Ciuitatis Norimbergensis; quibus annexa sunt insignia gentilitia quatuor CVRATORVM ACADEMIAE. Circa marginem legitur uersus *chronographus*, ex Virgilii *Libr. II Aeneid.* depromptus:
QVoD TE PER sVPEROS PER ConsCIa nVMIna VerI.

Quaſi his uerbis excitetur hoc Athenaeum Altorfinum, ut, quemadmodum DEI clementiae, SVPERIORVMque bonitati, originem ſuam, progreſſusque, debeat; ita et in poſterum ex iisdem fontibus ſpem hauriat certam perennis felicitatis. In ima parte ſignata eſt uox uotiua: FELICITER. Poſterior eiusdem numi facies exhibet hanc inſcriptionem, duobus ramis laureis incluſam: IVBILA VNIVERSITATIS ALTDORFINAE CENTENARIA PRIMA. In margine exſcriptus eſt uerſus Ouidianus, itidem *chronographus:* QVOD MARE NON NOVIT, QVAE NESCIT ARIONA TELLVS? Qui uerſus ab Auctore accommodatur ad celebritatem Academiae Altorfinae, quaſi quae non terras ſolum, ſed mare etiam, fama nominis ſui impleuerit. In ima parte deſignatur dies feſtiuitatis ſaecularis: III CAL. IVL.


VI.

DESCRIPTIO LVMINVM QVORVNDAM FESTIVORVM PRIMO DIE SACRI SAECVLARIS POST SOLIS OCCASVM ACCENSORVM.


MEmoriae prodidit Themiſtius, orator facundiſſimus, *oratione* XIII, eaque CONSTANTIO, Imperatori, dicta, Aegyptios quondam, ſigillatim apud Saidem, inſignem illius regionis urbem, mira religione ueneratos fuiſſe MINERVAM, praeſidem ſapientiae habitam, inque eius honorem anniuerſaria celebraſſe ſacra, quae appellarint λυχνοποιΐαν, quaſi dies feſtos luminum et cereorum; propterea quod, inter alios ritus ac caerimonias, cum domi, tum ſub dio, circa tentoria et extremos templi ambitus, cereos lucernasque accenderint, ita, ut tota illa nocte Sais uniuerſa ſacris huiusmodi ignibus fuerit colluſtrata. Nos abominamur ſuperſtitionem, neque tam Mineruam colimus, quam ipſis bonis artibus, earumque ueris Seruatoribus, honorem debitum teſtatum facere cupimus. Quamobrem et in ipſa hac feſtiuitate ſaeculari, declarandae pietatis communisque laetitiae cauſſa, cumprimis incolae *Collegii Academici* operam dederunt, ut publicum hoc aedificium, nocte imminente, crebris luminibus colluceret.

Ceteris exemplo praeiit, qui tunc faſces Academiae regebat, D. IO. IACOBVS BAIERVS. Hic enim quinque feneſtras habitationis ſuae picturis et inſcriptionibus, iſti ſaeculari ſolennitati conuenientibus, exornarat: quas nunc ſigillatim recenſere tanto minus neceſſarium ipſe reputat; quanto magis easdem publice ſpectandas Auditorio Theologico poſtea dedicauit, et in adiecta Tabula aere exſcribendas curauit.

Deinde D. HENRICVS HILDEBRANDVS, Sereniſſ. DVCIS SOLISBACO-PALATINI, atque Perilluſtris REIPVBL. NORIMBERGENSIS Conſiliarius, et huius Academiae Senior, atque Anteceſſor primarius, in media feneſtra domicilii ſui, qua itidem aream Collegii Academici



J. G. Puschner sc.


MUNIFICENTIA
IRRIGAT AC FOECUNDAT.
VIVAT FLOREAT SENATUS POPULUSQUE NORICUS.
UNICA TU NOBIS TANTORUM CAUSA BONORUM
VIVAT AUGUSTUS IMPERATOR.
TRIUMPHATOR HELICONIS CONSERVATOR
FORTITER
ET CONSTANTER
DET DEUS UT CAROLO SURGANT DE SANGUINE NATI.
GRATIAS PRO PRÆTERITIS VOTA PRO FUTURIS
Glücklich bist du, liebes Land,
Wann der Musen wehrtes Pfand,
Noch viel hundert Jahre heit,
Sey dir ferner wohl gedenht!
Pia vota præsenti hac illuminatione præsentata ab HENRIC. HILDEBRANDO. D.
Consil. Ducal. Palat. Solisb et Reip. Noric. Univ. Antecess. prim. et Prof. Sen.

mici profpicit, collucentibus multis candelis et lampadibus, repraefentari iufferat AVGVSTI infignia imperialia, Coronam nempe, Globum, et Sceptra, tanquam in puluino fuper menfulam repofita; fupra quae haec legebantur uerba: VIVAT AVGVSTVS IMPERATOR, TRIVMPHATOR, HELICONIS CONSERVATOR! infra, hic uerfus fcriptus erat: DET DEVS VT CAROLO SVRGANT DE SANGVINE NATI. Altera feneftra, quae priori a dextra eft, referebat fontem in horto ftantem, ex quo larga uidebatur profilire aqua, quae areolas arboresque horti irrigaret, cum hac epigraphe: MVNIFICENTIA RIGAT ET FECVNDAT. Infra, haec acclamatio adfcripta erat: VIVAT ET FLOREAT SENATVS POPVLVSQVE NORICVS! VNICA TV NOBIS TANTORVM CAVSSA BONORVM! Feneftra tertia, quae mediae a laeua eft, exhibebat IANVM BIFRONTEM, qui dextra manu *fpeculum*; finiftra, *telefcopium*, tenebat. Supra *fpeculum* haec infcriptio notabatur: GRATIAS PRO PRAETERITIS; fupra *telefcopium*: VOTA PRO FVTVRIS. Infra IANVM hi rhythmi Germanici legebantur:

Glücklich bift du, liebes Land,
Wann der Mufen vvehrtes Pfand
Noch viel hundert Iahre Zeit
Bey dir ferner vvohl gedeyht.

Ceterae feneftrae pyramidibus pellucidis, lucernisque uarie pictis, fed absque infcriptionibus, inftructae erant.

D. EVCHARIVS GOTTLIB. RINK, Antecesfor, et Iuris publici ac Canonici Profesfor publicus, aedium fuarum feneftras itidem multis cereis praelucentibus ornauerat.

CHRISTIANVS GOTTLIB. SCHVVARZIVS, P. P. feptem habitationis fuae feneftras, una ferie fitas, luminibus accenfis, emblematibusque pictis, illuftrauerat. Primo loco confpiciebatur ARA VOTIVA, his uerbis fignata: DEO SERVATORI VOTA SAECVLARIA PRAESTANT MVSAE ALTORFINAE. Inferius adfcriptum erat: VOTIS SVSCEPTIS CENTENARIIS II. Deinde pictus erat HERCVLES, fub *quercu* quiefcens, et quafi meditabundus, cui adiacebat *lyra*, cum hac epigraphe: SIC STVDIIS PACEM ROBORE BELLA REGIT. Infra fignatum erat uotum: VIVAT CAROLVS VI AVGVSTVS PIVS FELIX HERCVLES MVSARVM! Tertio loco exhibebantur *aedes publicae Collegii Academici*; fupra quas infignia INCLVTAE REIPVBL. NORIMBERGENSIS apparebant, addita infcriptione, eaque e Statio deprompta: POPVLI MAGNIQVE SENATVS MVNERE. In bafi haec notata erant uerba: FLOREAT RESPVBLICA NORIMBERGENSIS MATER ET ALTRIX ACADEMIAE ALTORFINAE! Porro, repraefentabantur infignia gentilitia ILLVSTRIVM SEPTEMVIRORVM REIPVBLICAE NORIMBERGENSIS, columnis quibusdam affixa, hoc titulo infcripto: PRIMARIA REIPVBLICAE FVLCRA. Inferius additum erat uotum: VIVANT SEPTEMVIRI REIPVBLICAE NORIMBERGENSIS! Quincto loco fpectabantur infignia gentilitia Quatuor ILLVSTRIVM ACADEMIAE CVRATORVM, a duobus Geniis fuftentata, fupra pofito elogio: FELIX ET GLORIOSA CVRA; fubtus autem fcriptum erat:

 VIVANT

VIVANT CVRATORES ACADEMIAE! Praeterea effiсta erat QVERCVS procera, cuius trunco quaſi inciſa erant haec uerba: MEMORIAE CAESARVM ET NVTRITORVM SACRA. In cuius emblematis parte ſuperiori prodebatur haec inſcriptio: DVRAT SACRATAQVE SERVAT MVNERA. In ima parte ſubſcriptum erat: PERENNET ACADEMIA ALTORFINA. Denique, ultimo loco, oſtendebatur APOLLO, quadrigis uectus, praeſcripto titulo: NOVVMQ. INGENIIS APERITVR ITER; uotoque inferius nuncupato: FLOREANT BONAE ARTES. Cuius autem ſeptimae feneſtrae figuras Tabula aenea commode capere non potuit.


Ceterum, cum haec habitatio ſubter ſe habeat portam, qua aditus patet ad Auditorium VVelſerianum, ea etiam figuris, iam ſupra, *pag.* 72, deſcriptis, et nunc in Tabula ſignatis, exornata eſt.

IOH. HENRICVS MVLLER, Phyſices et Matheſeos Profeſſor publicus, duas domicilii ſui feneſtras, quae aream Collegii Academici reſpiciunt, totidem ornauerat emblematibus, ex ſiderali ſcientia depromptis. Obſeruauerat enim, annum a CHRISTO nato CIↃIↃCCXXIII, qui Academiae noſtrae eſt ſaecularis, notabili charactere coeli fuiſſe inſignem: Saturnum uidelicet, ſupremum inter aſtra errantia, VIII Ianuarii eiusdem anni, in SAGITTARIO cum IOVE conueniſſe; hisque mox VIIII Ian. ſeſe adiunxiſſe MARTEM, adeo, ut rariſſima haec trium ſuperiorum *Planetarum* coniunctio, quae in ipſa fere anni primordia inciderat, huius quaſi *horoſcopum* conſtituerit, in quo princeps Saturnus praeſidium regimenque obtinuit. Adhaec animaduerterat, meridiano tempore illius ipſius diei, qui Academiae erat natalis, in coelo adſcenſuram VIRGINEM, ſiue ASTRAEAM. In memoriam igitur ſiderum tam auſpicatorum, quae ex augurio Poetarum quaſi Saturniorum regnorum ipſiusque Aſtraeae reditum ſignificarent, pingi curauerat duo *ſchemata*, quae totidem feneſtris decenter illuminatis adaptarentur: quorum unum repraeſentabat partem ZODIACI, in cuius *quadrante orientali* VIRGO oriri uidebatur, reliquis ſignis altiore loco, eoque, quo par erat, ordine eam antecedentibus. Alterum ſchema exhibebat aliam partem ZODIACI, ubi SAGITTARIVS apparebat cum SCORPIO praeeunte: inprimis autem ipſa rariſſima trium ſuperiorum ſiderum coniunctio idoneo zodiaci loco expreſſa fulgebat; cui infra, ornatus cauſſa, *Sphaera armillaris cum Quadrante Aſtronomico* adiuncta cernebatur. In fronte prioris ſchematis, eiusque parte ſuperiori, legebantur ſequentia uerba, e Virgilio deſumta: MAGNVS AB INTEGRO; in fronte alterius ſchematis: SAECLORVM NASCITVR ORDO. Porro, iterum in fronte prioris ſchematis, exaratus erat alter uerſus: IAM REDIT ET VIRGO; et ſic in fronte ſecundi ſchematis: REDEVNT SATVRNIA REGNA. Ad calcem prioris emblematis haec ſubſcripta ſunt uerba: THEMA COELI MERIDIE SACRORVM SAECVLARIVM D. XXIX IVN. Ad calcem poſterioris, ſequentia: HOROSCOPVS SAECVLARIS A. CIↃIↃCCXXIII, IN CONIVNCTIONE RARISSIMA SATVRNI CVM IOVE ET MARTE. Quae duo ſchemata repraeſentat, luculentiusque illuſtrat, ſubſequens Tabula, aere exſcripta:

TAB. III. ad pag. 196. a.



I.G. Puschner del. et sculps.



Non minus uero et editior pars publicarum Academiae aedium tunc larga luce diſpellebat noctis ingruentis tenebras. Sic illud cumprimis conclaue, in quod Senatus Academicus publici conſilii cauſſa ſolet conuocari, tres habebat feneſtras luminibus picturisque illuſtratas. Media feneſtra referebat ARCAM NOAE, in monte conſidentem; ſupra quam in coelo apparebat SOL, et ex altera parte IRIS, ſimiliterque COLVMBA, ramum oliuae ore ſuo geſtans. Quae tabula hoc notata fuit titulo: FELICIS PIGNORA SAECLI. Inferius ſcriptum erat: BONITATIS DIVINAE MONIMENTVM. Altera feneſtra exhibebat AQVILAM IMPERIALEM, quae dextris ungulis GLADIVM; ſiniſtris, SCEPTRVM LAVREAMQVE, tenebat, impoſita epigraphe: TVETVR ET ORNAT; ſubſcriptoque hoc elogio: IMPERIVM CAROLI VI AVGVSTI MVSIS AVSPICATISSIMVM. Tertio loco cernebatur EXVR-

GENS HEDERA, eaque innixa ac colligata PYRAMIDI, quae in basi INSIGNIA NORIMBERGENSIA sustinebat; cui addita inscriptio: HAC SVSTENTANTE VIRESCIT. Subscriptio autem haec: MVNIFICENTIAM NVTRITORVM ACADEMIAE DEVS COMPENSET!

Similiter Ciues Academici, qui hanc partem aedificii publici incolebant, Museorum suorum fenestras multis luminibus pigmentisque adornarant. Proxime a conclaui Consilii publici *Io. Gothofredus Ries*, Heresbrucco-Noricus, pingi iusserat LAVRVM, adiecto lemmate: VIRET ATQVE VIREBIT. *Theophilus Negelinus*, Norimbergensis, prodiderat LVNAM CRESCENTEM, addito uersu: TEMPORIS AVGMENTO PLENIOR ORBIS ERIT. In superiori contignatione duo Musea illustrauerant *Fridericus Augustus*, et *Carolus Leberecht*, *ab* ALVENSLEBEN, Equites Marchico-Palatini. Ex altero spectabatur COELVM LVNA STELLISQVE NITESCENS; inferius, prospectus prouinciae, his uerbis supra scriptis: ILLVMINATIO MEA. Ex altero apparebat CADVCEVS MERCVRII, duobus CORNIBVS COPIAE impositus, cum lemmate: FELICITAS TEMPORVM. *Martinus Furvvergerus*, Norimbergensis, Academiam sub schemate ARAE effingi curauerat, cum hac inscriptione: DEO PATRIAEQVE PERENNET.

Sed neque Nic. Schiclingius, A. M. declarandae pietati suae deesse uoluerat. Ex cuius domicilio primum conspiciebantur INSIGNIA IMPERIALIA, addita acclamatione: VIVAT CAROLVS VI IMPERATOR. Deinde, INSIGNIA NORIMBERGENSIA, praesignato uoto: FLOREAT RESPVBLICA NORIMBERGENSIS. Tum SOL, radios suos in LAVRETVM subiectum dimittens, cum epigraphe: IVBET REVIRESCERE LAVROS. Praeterea, QVATVOR STELLAE in aethere puro micantes, adscriptis uerbis: SVA LVCE CORVSCANT. Adhaec PHOENIX inter FLAMMAS, praefixo titulo: RENOVAT NON EXTINGVIT. Denique PELICANVS, qui fouendis pullis pectus suum sauciat, adiecto lemmate: NON MIHI SVM NATVS.

Paria hilaritatis signa nec pauci incolae opidi fuissent edituri, nisi satius uisum esset, praecauere, ne quod forte periculum, in isto hominum concursu, existeret. Interim Ernestus Fridericus Zobel, Scholae opidanae Adiunctus, aedes suas uariis instruxerat picturis luminibusque.

Cupierant et alia ratione Ciues opidani ea occasione Academiae honorem, gaudiumque suum, testari; e quibus nominatim eorum Sodalitas, qui glandibus plumbeis ad metam eiaculandis exerceri solent, ILLVSTRIS PROVINCIALIVM COLLEGII liberalitate adiuti, haud diu post saecularia Academiae sacra feliciter peracta, solenne exercitium in campo iaculatorio instituerunt, memoriaeque noui Academiae saeculi binos orbes iaculatorios, eosque affabre pictos, dedicarunt, institutum moderante uiro integerrimo, *Cornelio Plonero*, opidi Decurione, et illius Sodalitatis ductore.

VII.

CARMEN GERMANICVM ILLVSTRIBVS ACADEMIAE CVRATORIBVS

a STVDIOSA IVVENTVTE oblatum, et sub uesperam natalis saecularis inter concentus musicos decantatum.

Als
Ein Hochlöblicher MAGISTRAT
des Heiligen Römischen Reichs
Freyer Stadt Nürnberg
als gütigster NVTRITOR
das
IVBILAEVM
Ihrer Welt-berühmten Universität
zu Altdorf
den 29 Iunii A. 1723
auf das feyerlichste begehen ließ /
sollten
der ILLVSTRen REPVBLIQVE
Hochansehnlichen
Herren Abgeordneten
und
CVRATORIBVS
der ACADEMIE
Ihre gehorsamste und schuldigste Observanz
in einer Nacht-Music
bezeigen
sämtliche STVDIOSI.

Aria.

Monarch des Lichtes! güldne Sonne!
Verhülle jetzo deinen Glantz:
Dein Abschied dienet uns zur Wonne/
Drum fleuch/entzeuch/verbirg dich gantz!
Ihr aber/ihr/o dunckle Schatten!
Umziehet uns/kommt uns zu statten;
Brich/stiller Abend/brich herein!
Wird sich denn alles Licht entfernen/
So soll das funcklend Heer der Sternen
Die Zeugen unsrer Freude seyn.

Recit. Der frohe Tag ist hin! der angenehme Tag/
Den selbst Apollens Hand/der Nach-Welt zum Ergötzen/
In sein-der Ewigkeit geweihte Tafeln setzen/
Und mit dem güldnen Stern des Glücks bezeichnen mag.
Die Seegens-volle Zeit/
Die kaum die Vor-Welt kunt erseufftzen oder hoffen/
hat/o Glückseeligkeit!
auf uns/auf uns getroffen.
Ihr Musen demnach/auf!
Sinckt gleich die Sonne nieder
Nach dem vollbrachten Lauf/
So denckt/bey stiller Nacht/auf neue Jubel-Lieder/
Denckt! was vor Glück/vor Heil/in zweymal funfzig Jahren/
Dem gantzen Musen-Berg/der jezt so herrlich blüht/
Den man vor Freud ganz aus sich selber sieht/
Nur durch des Himmels Gunst ist wiederfahren.
Solch nie-erlebtes Glück erfreuet Haupt und Glieder;
Ein Seculum ist hin/und Altdorf jauchzet wieder.

Aria.

Auf! zun Freuden/
Stimmt die Saiten/
Denn Apollo wincket schon:
Singet/spielet/muntre Chöre!
heut zur Ehre

In gantz hoch erfreuten Ton:
Nur von Glück / von Triumphiren /
Nur von frohen Jubiliren /
Wiederschall der Helicon! Da capo.

Recit. Der Zeit geschärffter Zahn
Greifft Stahl / greifft Ertz / greifft Marmor / an;
Der Jugend Blüth / des Alters Eis
Zerschmelzt / vergehet /
Wenn dieser alte Greiß
Die krumme Sense drehet:
Nur unser Musen-Glück allein
Muß hier verschonet seyn /
Daß alles jezt in Flor und Ruhe schwebet;
Und unser Sitz / Trotz Zeit und Unbestand!
Wird / durch des Himmels Hand /
Nach hundert Jahren erst aufs neu belebet.

Aria.

Blumen welcken und vergehen;
Mauren / die so feste stehen /
Brechen und zerfallen doch;
Aber Palaecomens Glücke /
Bleibt von aller Zeiten Tücke
Unversehrt / und blühet noch. Da capo.

Recit. Das ist; der Himmel ließ vor allen
Der Noris-Musen-Fleiß sich allzeit wohl gefallen;
Es sah sein wachsam Auge mit Vergnügen
Die Priester der Eusebien
Stets in entbrannter Andacht steh'n;
Er schaute in Astraeens Tempel /
Das dieser Zeit so seltene Exempel /
Das Recht in der Gerechtigkeit gleich-gült'ger Waage liegen;
Den Hof des Tempels der Hygeen
Sah er / der Himmel / hier nicht so /
Wie anders wo /
Voll Toden-Bein / Geripp und Leichen / stehen;
Ja aus Sophiens heitern Minen /
Wird leichtlich dieser Schluß gemacht /
Daß Palaecome sie hat alstets hoch geacht /
Als aller Künste Braut / die nicht als Magd darf dienen.

Und

Und kurz: der Himmel sah/ daß das Bemühen/
So Altdorfs Musen-Schaar alzeit beschäfftigt hielt/
Zu seiner Ehr zuvordrist abgeziehlt/
Drum muß ihr Glück so lang/ so schön/ so herrlich blühen.

Aria.

Dem Musen-Sitz/ wo Fleiß regieret/
Wo man der Weisheit trinckbar Gold
Den Dürstenden zum Munde führet/
Dem bleibt der Himmel ewig hold.
Hier träncket man die Musen-Söhne
Aus einem reinen Hippocrene,
Deß Quelle nimmermehr verseigt:
Nein/ sondern sich noch wird ergiessen/
Wenn auch noch hundert Jahr verfliessen;
Drum ist der Himmel uns geneigt. Da capo.

Recit. Ja/ Palaecome! ja/ der Himmel ist dir hold!
Der Zeiten Bley zerschmilzt/ und wird zu Gold.
Denck aber nicht so wohl zurücke/
Erwege nur dein heut'ges Jubel-Glücke/
So dir zu einer Zeit anbricht/
Da Noris selbst die Theure Mutter-Stadt/
Die nun an Pracht/ an Flor/ an trefflichsten Regenten/
Kaum ihres gleichen hat/
Dir Ruhe/ Schutz und Gunst aufs neu verspricht.
Bey dir/ beglückter Ort/ trifft diese Wahrheit ein:
Wo kluge Landes-Vätter seyn/
Wo Gottesfurcht/ Gerechtigkeit/
Des Regimentes Ruder führen/
Da können allezeit
Die Musen sicher seyn und jubiliren.

Aria.

Wird Noris Freyheit triumphiren/
Der Vätter Stämme florisiren/
So wird Ihr Helicon auch stets in Seegen seyn.
So fällt/ wann solche Häupter sorgen/
An jedem Tag/ an jedem Morgen/
Ein neues IUBILAEUM ein. Da capo.

Recit. Auf denn/ ihr Musen-Söhne!
Vermischt mit Ehrfurcht/ Ruhm und Danck/ die Jubel-Töne.
Preißt dieser Vätter Gunst/ die stets besorgte Müh
Der Häupter/ so als Wächter hie
Vor euren Schutz/ und Ruh/ und Wohl/ auch heute wachen/
Ja Euch durch hohe Gegenwart glückseelig machen.
Kommt! kommt! und laßt/ Sie zu verehren/
Ein Lied voll heisser Wünsche hören.

Schluß-Arie.

Lebet/ lebet/ Theure Häupter!
Und verbleibt den Musen hold.
Noris Wachsthum kan nichts hemmen;
Denn/ dem gantzen Land zu Nutz/
Und der Musen steten Schutz/
Hat der Himmel Euren Stämmen
Alzeit gnädig-wohl gewollt.
Lebet/ lebet/ Theure Häupter!
Und verbleibt den Musen hold.

* * *

Lebet! lebet! Theure Vätter!
Rufft der ganze Helicon.
Himmel! schirme unsre Wächter/
Und erstrecke Ihren Ruhm/
Als der Tugend Eigenthum/
Auf verewigte Geschlechter!
Jauchzet/ Musen! schärfft den Ton!
Lebet! lebet! Theure Vätter!
Rufft der ganze Helicon.

SECTIO VI.

SECTIO VI,

QVA CONTINENTVR

ACTA ALTERIVS DIEI FESTI

QVO HONORVM ACADEMICORVM CANDIDATI
SOLENNITER SVNT INAVGVRATI.

I.

PROGRAMMA BRABEVTAE ORDINIS THEOLOGICI
ad promulgandam II Candidatorum Theologiae inaugurationem
III Cal. Quinctil. propositum.

* *

OPTIMA ERGO PALAECOME AMOENA MVSARVM SEDES
QVAE INTER MEDIOS ARMORVM STREPITVS BELLIQVE MINI-
TANTIS TEMPESTATES FVNDATA EST
NVNC SAECVLARIA SVA SACRA IN PACIS SERENITATE
O VTINAM TAM DIVTVRNA QVAM LAETA CELEBRAT
ET ORDO THEOLOGICVS
QVI TVM FACVLTATEM SVMMOS DISTRIBVENDI HONORES SIBI DILATAM ESSE
TACITVS INGEMISCEBAT
IAM IN VIRTVTIS HONORISQVE TEMPLO DIGNA DIGNIS DISPENSAT PRAEMIA
ITA QVAE QVOTIDIE INTER NOS RENOVATVR GRATIA DIVINA
SVA ETIAM QVOD LAETI ET GRATI PRAEDICAMVS OSTENDIT INCREMENTA
QVOD IGITVR
NVMEN IMMORTALE
REI SACRAE ATQVE LITTERARIAE FELICITER EVENIRE IVBEAT
AVSPICIO SVMMAQVE AVTORITATE
AVGVSTISSIMI IMPERATORIS
MVNIFICENTIA ET PRAESIDIO
PERILLVSTRIS SENATVS NORIMBERGENSIS
EX DECRETO
COLLEGII IN HAC ACADEMIA THEOLOGICI
VIRI MAXIME REVERENDI ATQVE EXCELLENTISSIMI
DN. IOHANNES LAVRENTIVS IANVS SOLISBACO-PALATINVS
TEMPLI COMMVNIS CATHEDRALIS OERINGENSIS ANTISTES
ECCLES. COMITATVS VVALTENBVRGENSIS SVPERINTENDENS
PRIM. CONSISTORII ASSESSOR ET GYMNASII INSPECTOR
DN. MARTINVS FRISIVS RIPENSIS
S. THEOL. IN ACADEMIA KILONIENSI HOLSATORVM
PROF. PVBL. ORD.
EO QVO NOMEN PROFESSI SVNT ORDINE LOCATI
POST LVCVLENTA INSIGNIS ERVDITIONIS SPECIMINA
PVBLICE PRIVATIMQVE EDITA

ET POST DISPVTATIONES INAVGVRANDI CAVSA HABITAS
DE TIMOTHEO INGENVI PASTORIS TYPO
ET
DE INTERNIS BONIS MOTIBVS A SPIRITV S. EXCITATIS
SPECIATIM IIS QVI PRAECEDVNT FIDEM
SVPREMOS IN THEOLOGIA HONORES
DIE CRASTINA SOLENNITER IMPETRABVNT
QVIBVS SACRIS
VT HONORIFICA PRAESENTIA SVOQVE APPLAVSV FAVEANT
OMNES QVICVNQVE SOLENNITATIS HVIVS CAVSSA HVC ACCESSERVNT
ET HONORIBVS ERVDITAE SODALITATIS BENE CVPIVNT
NOMINATIM
PERILLVSTRIS ET S. R. I. LIBERAE REIPVBLICAE NORIMBERGENSIS
ILLVSTRES ET GENEROSISSIMI DOMINI LEGATI ET VNIVERSITATIS
CVRATORES SPLENDIDISSIMI
MAGNIFICVS VNIVERSITATIS DOMINVS RECTOR
MAGNIFICVS ET GENEROSVS DOMINVS PROCANCELLARIVS
PERQVAM GENEROSVS OPIDI AGRIQVE ALTDORFINI DOMINVS PRAEFECTVS
EXCELLENTISSIMI OMNIVM ORDINVM DOMINI PROFESSORES ET DOCTORES
CIVES DENIQVE GENERIS NOBILITATE DOCTRINAEQVE AC
VIRTVTIS LAVDE FLORENTISSIMI
OMNI ANIMI DEMISSIONE ET HVMANITATE
ROGAT ATQVE INVITAT
IOHANNES IACOBVS PFIZERVS
THEOL. DOCTOR ET PROF. PVBL. ORD.
BRABEVTA H. T. LEGITIME DESIGNATVS
P.P. ALTDORFI NORIMBERGENSIVM SVB SIGILLO COLLEGII THEOL. MAIORI
D. III KAL. QVINCT. A. R. S. cIↃIↃccXXIII.

II.
PROGRAMMA DECANI ORDINIS IVRIDICI
quo ſeptem Candidatos ſummis in Iure honoribus
ornandos indixit.

* *

QVOD DEI SOLIVS IMMENSAE BONITATI AC CLEMENTIAE IMPVTANDVM
ILLVXIT FELICITER FELIX ILLE DIES QVO ANTE CENTVM ANNOS ACADEMIA HAEC
DIVINIS AVSPICIIS EXCITATA EST ET SACRATA MVSIS
QVEMADMODVM VERO OMNIBVS DIEBVS FESTIS HONOREM ET VENERATIONEM
PRAESTARE AEQVVM EST
QVIS FELICEM HVIVS ATHENAEI DIEI NATALIS TAM FELICIS REDITVM
GRATIS PLAVSIBVS ET AVSIBVS NON EXCIPIAT
QVIS SVMMVM HONOREM EIDEM NON HABEAT
OMNIVM SANE MAXIME CIVES HVIVS ACADEMIAE CAVSAS HABENT PRAEGNANTES
CVR HVNC DIEM FESTVM NON SINE MAXIMAE PIETATIS SIGNIFICATIONE
ET SOLENNITATE
NEC SINE SVMMO LAETITIAE AC SINCERISSIMAE VOLVPTATIS SENSV
TRANSMITTANT
SED VT POTIVS VOTA SVA CALIDE MISCEANT ET GRATVLATIONIS AFFECTVM
CVM PVBLICO OMNIVM APPLAVSV TESTENTVR

AC

AC PRAECIPVE IN AGENDIS MAIESTATI DIVINAE GRATIIS
PARTES SVAS AGNOSCANT
EO QVOD EIVS INFINITA MISERICORDIA HANC ACADEMIAM
IPSIS DONAVERIT SVPERSTITEM
ET MVNERIBVS HVNC CVMVLVM ADIECERIT ANTIQVIS
VT CRASTINO DIE
ADSPIRANTE
TER SANCTI NVMINIS
INEXHAVSTA GRATIA
INDVLGENTE
SAC. CAES. MAIESTATIS
SVMMA CLEMENTIA
APPROBANTE
PERILLVSTRIS ET LIBERAE S. R. I.
REIPVBLICAE NORIBERGENSIS
AVTORITATE MAXIMAQVE BENEVOLENTIA
MAGNIFICVS IN HAC STVDIORVM VNIVERSITATE
ICTORVM ORDO
VIROS VERAE RELIGIONIS ET IVSTITIAE LAVDE OMNIVMQVE
VIRTVTVM HONESTAMENTO CONDECORATOS
NOMINATIM
DN. IOHANNEM ADAMVM BECK NORIBERGENSEM
DN. IOHANNEM IACOBVM STOER NORIBERGENSEM
PERILLVSTRIS REIPVBLICAE PATRIAE ADVOCATOS ORDINARIOS
DN. IOHANNEM FRIDERICVM ETTMVLLERVM ZITTA LVSATVM
ADVOCATVM ZITTAVIENSEM ORDINARIVM
DN. GEORGIVM DANIELEM PRAEBES NORIBERGENSEM
PERILLVSTRIS REIPVBLICAE PATRIAE ADVOCATVM
DN. CAROLVM FRIDERICVM KHOL NORIBERGENSEM
DN. PHILIPPVM LVDOVICVM HVTH NORIBERGENSEM
DN. PETRVM ANTONIVM BECHMANNVM NORIBERGENSEM
IN REIPVBLICAE VSVM ET COMMODVM PROSPERO SVCCESSV PRODVCERE
EOSDEMQVE PRAEMIIS PROMERITIS
NIMIRVM
HONORIBVS DOCTORALIBVS OMNIBVSQVE CVM IIS ANNEXIS
PRIVILEGIIS ET IMMVNITATIBVS
IN BRABEVTERIO VVELSERIANO SOLENNITER
ADORNARE POSSIT
QVAE FESTIVITAS ACADEMICA SAECVLARIS
QVO SPLENDIDIOR EXISTAT
AD EANDEM HONORIFICA SVA PRAESENTIA EXORNANDAM
OMNES QVICVNQVE HVIVS SOLENNITATIS CAVSA
HVC ACCESSERVNT

ET HONORI SODALITATIS ERVDITAE FAVENT
SIGILLATIM AVTEM
PERILLVSTRIS AC LIBERAE S. R. I. REIPVBLICAE NORIBERGENSIS
ILLVSTRES GENEROSISSIMOSQVE DOMINOS LEGATOS
ET ACADEMIAE HVIVS CVRATORES MVNIFICENTISSIMOS
MAGNIFICVM DOMINVM RECTOREM
MAGNIFICVM ET PERQVAM GENEROSVM DOMINVM PRO-
CANCELLARIVM
MAXIME GENEROSVM DOMINVM PRAEFECTVM
EXCELLENTISSIMOS PATRES ACADEMICOS
HOSPITES DENIQVE ET CIVES NATALIVM DOCTRINAEQVE
DIGNITATE FLORENTISSIMOS
SEV PATRONOS APPROBATORES APPLAVSORES FAVTORES TESTES
EA QVA DECET
SVBMISSIONE REVERENTIA OBSERVANTIA ET HVMANITATE
ORAT AC INVITAT
IOHANNES GEORGIVS FICHTNERVS
IVRIS VTRIVSQVE DOCTOR
PERILLVSTRIS REIPVBLICAE NORIBERGENSIS CONSILIARIVS
PANDECTARVM PROFESSOR PVBLICVS ORDINISQVE IVRIDICI
H. T. DECANVS ET BRABEVTA
P.P. ALTORFII SVB SIGILLO FACVLTATIS D. XXIX IVNII
A. R. S. MDCCXXIII.

III.
PROGRAMMA DECANI ORDINIS MEDICI
quo octo Candidatis summos in arte medica honores
impertiendos significauit.

* *

QVOD PRISCO RITV RELIGIOSE FIEBAT
VT QVOTIES PAVLLO SOLEMNIOR ALIQVA PANEGYRIS ESSET
SIMVL VIRTVTIS EXERCITIO LOCVS FIERET SIMVL VIRTVTI
SVA PRAEMIA DISTRIBVERENTVR
ID NOSTRA ACADEMIA SAECVLARE GAVDIVM CELEBRANS
IMITATVRA
PER OMNIA STVDIORVM GENERA DIGNIS ATHLETIS
QVORVM PROFECTVS EXPLORAVIT EXPLORATOS PROBAVIT
PRAEMIA PROPOSVIT CRASTINO DISTRIBVENDA
QVOD ITAQVE FELICITER EVENIRE IVBEAT
DEVS OPTIMVS MAXIMVS
QVI NOBIS HAEC OTIA FECIT
AVSPICIIS
INVICTISSIMI AVGVSTISSIMIQ. IMPERATORIS
CAROLI VI
SVB CVIVS FORTISSIMA TVTELA PACATO HVIC
OTIO NEGOTIOSO INDVLGEMVS

ITEM-

ITEMQVE
PRAESIDIO ATQVE INDVLGENTIA
PERILLVSTRIS ET S. R. I. LIBERAE
REIPVBLICAE NORIMBERGENSIS
NEC NON
DECRETO GRATIOSI ORDINIS MEDICI ALTORFINI
OCTO MEDICINAE CANDIDATIS DIGNISSIMIS
VIRIS NOBILISSIMIS ATQVE PRAESTANTISSIMIS
EO ORDINE QVO INAVGVRALIA SPECIMINA EDIDERVNT
HEIC COLLOCATIS
DN. GVILIELMO EMANVELI FOERSTERO ONOLDINO
DN. IACOBO CHRISTOPHORO SCHEFFLERO ALTDORFINO
DN. AVGVSTINO PVCHNER VVOLLINO-POMERANO
DN. IOANNI MATTHIAE FRAVENDIENERO VLMENSI
DN. GEORGIO EPHRAIM SCHMID HERRENSTADIO-SILESIO
DN. IOANNI ALBERTO GESNERO AHVSA-ONOLDINO
DN. ERNESTO FRIDERICO IVSTINO HEIMREICH ISENACENSI
DN. SIGISMVNDO MAYOOR CASSOVIO-HVNGARO
OB EGREGIOS IN ARTE SALVTARI PROFECTVS PER EXAMINA SOLENNIA COMPROBATOS
DISSERTATIONIBVS INAVGVRALIBVS
DE ARISTOLOCHIA DE ASARO DE ETHICA DOLENTIVM
DE MODIS ARCENDI PESTILENTIAM DE APOPLEXIA EX HAEMORRHOIDVM INCONSVLTA SVPPRESSIONE DE ZINGIBERE
DE PIMPINELLA ALBA DE PROGENERANDA MASCVLA SOBOLE
SINE PRAESIDE A RELIQVIS APVD NOS
A PVCHNERO IN ALMA ROSTOCHIENSI SVB PRAESIDIO
EXCELLENTISSIMI D. D. GEORGII DETHARDINGII
A QVO HONORIFICE COMMENDATVM
GRATIOSE CONSENTIENTIBVS DOMINIS NOSTRIS
ADMITTERE NON DVBITAVIMVS
CVM LAVDE DEFENSIS PVBLICE DEMONSTRATOS
SVMMI IN ARTE MEDICA HONORES MORE MAIORVM
LEGITIME CONFERENTVR
VT IGITVR HVNC ACTVM EXOPTATISSIMA PRAESENTIA SVA
ILLVSTRIOREM REDDANT
QVICVNQVE BONARVM ARTIVM INCREMENTIS
BENE PRECANTVR
QVIQVE HONOREM SOLENNIBVS NOSTRIS
HONORIFICO ADVENTV SVO
ADDIDERVNT
SIGILLATIM VERO
ILLVSTRES GENEROSISSIMI AC PRVDENTISSIMI ACADEMIAE HVIVS DOMINI CVRATORES
MAGNIFICVS DOMINVS RECTOR
MAGNIFICVS ET PERQVAM GENEROSVS DOMINVS PROCANCELLARIVS
GENEROSISSIMVS OPIDI AGRIQVE ALTORFINI DOMINVS PRAEFECTVS

OMNIVM FACVLTATVM EXCELLENTISSIMI DOMINI PROFESSORES ET DOCTORES
CIVES DENIQVE GENERE VIRTVTE DOCTRINAQVE FLORENTISSIMI
EA QVA PAR EST OBSERVANTIA
INVITAT
IOANNES HENRICVS SCHVLZE MEDIC. DOCT.
ANATOMES ET CHIRVRGIAE PROF. PVBL.
ACAD. NAT. CVRIOS. COLLEGA ALCMAEON DICTVS
FACVLTATIS MEDICAE H. T. DECANVS ET BRABEVTA.
P. P. SVB SIGILLO FACVLTATIS MEDICAE A. D. XXIX IVNII
cIↃ IↃCCXXIII.

IIII.

PROGRAMMA DECANI ORDINIS PHILOSOPHICI

quo septem Candidatos summis in philosophia honoribus, et praeterea duos, laurea poetica, condecorandos indicauit.

* *

SI FAVSTO PROCEDIT TRAMITE
QVOD COELO FAVENTE SVSCIPITVR
ECCE QVAM FAVSTA QVAM LAETA IVBILA AGIMVS
HOC ANNO
QVO DIEI NOCTISQVE RECTORES SOL ET LVNA
NVLLO APVD NOS QVOD OPPIDO RARVM IVBARIS SVI
DELIQVIO TEMERANTVR
ET VEL IPSIS ANIMIS FORMIDOLOSIS OMNEM MALE TIMENDI
ANSAM PRAECIDVNT
HANC IGITVR FAVSTITATEM
VT RATAM ESSE IVBEAT QVI OMNIA REGIT
DEVS IMMORTALIS
AVSPICIO ATQVE PRAESIDIO
AVGVSTISSIMI INVICTISSIMIQVE IMPERATORIS
CAROLI VI
AVCTORITATE ATQVE SINGVLARI MVNIFICENTIA
PERILLVSTRIS AC S. R. I. LIBERAE
REIPVBLICAE NORIMBERGENSIS
EX CONSENSV ET DECRETO
AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS
SEPTEM CANDIDATI PHILOSOPHIAE
ERVDITIONIS VIRTVTVMQVE LAVDIBVS FLORENTISSIMI
DN. CASPAR BINDER VINARIENSIS
ILLVSTRIS GYMNASII PATRII VVILHELMO-ERNESTINI SVB-
CONRECTOR
DN. GODOFREDVS LOMER AVGVSTANVS
DN. IOHANNES FRIDERICVS STOY VORRA-NORICVS

DN.

DN. ELIAS GOTTLIEB DIETRICH VLMENSIS
DN. IOHANNES DAVID ELLROD VVEYDENBERGA-BARVTHINVS
DN. GEORG. LVDOVIC. GVILIELM. FROBENIVS ONOLDINVS
DN. LEONHARDVS BOHNER NORIMBERGENSIS
EX ORDINE AETATIS ACADEMICAE SIC LOCATI
POST LVCVLENTA MORVM STVDIORVMQVE EDITA TENTAMINA
ET POST DISPVTATIONES INAVGVRANDI CAVSA HABITAS
DE IRRITIS CONATIBVS CARTESII ALIORVMQVE CONCILIANDI
CVM PHILOSOPHIA TRANSSVBSTANTIATIONEM
DE HYDROMETRO
DE ACTIS ET FATIS GEBHARDI TRVCHSESSII ARCHIEP.
ET ELECT. COLON. INFAVSTI MARITI
DE TEMPORE LVDORVM SAECVLARIVM SVB PHILIPPIS
AVGVSTIS CELEBRATORVM
DE PRIBEZLAO SIVE HENRICO REGE BRANDENBVRGICO
DE PRVDENTIA ERRANTES CONVINCENDI
SVMMIS IN PHILOSOPHIA HONORIBVS AC PRIVILEGIIS
ATQVE INSVPER
DVO LAVREAE POETICAE CANDIDATI
ITIDEM VIRTVTVM DOCTRINAEQVE LAVDE ORNATISSIMI
DN. IOHANNES IGNATIVS MICHAHELLES NORIMBERGENSIS
DN. ANDREAS CRISTOPHORVS GRAF AVGVSTANVS
POST SVPERATAS IN ARTE POETICA LEGITIMAS EXPLORATIONES
LAVREA POETICA
XXX IVNII A. R. S. MDCCXXIII
TANQVAM ALTERO SOLENNITATIS SECVLARIS DIE
PVBLICO SOLENNIQVE RITV CONDECORABVNTVR
QVAM PANEGYRIN SECVLAREM
VT SVA GRATIA ILLVSTRIQVE PRAESENTIA AC HONORIFICO APPLAVSV
SOLENNIOREM REDDANT OMNES
QVICVNQVE HVIVS SOLENNITATIS CAVSSA HVC ACCESSERVNT
HONORIBVSQVE ERVDITAE SODALITATIS BENE CVPIVNT
NOMINATIM VERO
PERILLVSTRIS ET S. R. I. LIBERAE REIPVBLICAE NORIMBERGENSIS
ILLVSTRES GENEROSISSIMOSQVE DOMINOS LEGATOS
ET ACADEMIAE CVRATORES SPLENDIDISSIMOS
MAGNIFICVM VNIVERSITATIS DOMINVM RECTOREM
MAGNIFICVM ET GENEROSVM DOMINVM PROCANCELLARIVM
MAXIME GENEROSVM OPIDI AGRIQVE ALTORFINI DOMINVM PRAEFECTVM
CELEBERRIMOS OMNIVM ORDINVM DOMINOS PROFESSORES
CIVES ITEM ACADEMIAE GENEROSISSIMOS NOBILISSIMOSQVE
OMNI ANIMI DEMISSIONE OBSERVANTIA AC HVMANITATE
INVITAT
IOHANNES HENRICVS MVLLERVS
PHILOS. NATVR. ET MATHEM. PROFESSOR PVBLICVS
ORDINIS PHILOSOPHICI H. T. DECANVS ET BRABEVTA
LEGITIME CONSTITVTVS
P.P. ALTORFII SVB SIGILLO FACVLTATIS PHILOSOPHICAE
D. XXIX IVN. A. R. S. MDCCXXIII.

V.

RECTOR ACADEMIAE IO. IAC. BAIERVS

omnium Facultatum Candidatos, antequam ad ſolennem inaugurationem deducerentur, his uerbis allocutus eſt:

PRaeclarum magnumque beneficium in Libro Pſalmorum (*) *diuinitus promittitur iuſtorum piorumue coetui:* Iuſtus ut palma florebit: ſicut cedrus Libani multiplicabitur. Plantati in domo Domini, in atriis domus Dei noſtri, florebunt. Adhuc multiplicabuntur in ſenecta uberi! *Quam ſane uaticinationem pulchre impletam uidemus in* alma matre Academia noſtra. *Haec etenim, ab origine ſua, cuius memoriam heſterna die recoluimus, per integrum iam ſaeculum,* ſicut palma floruit, *infinitas eluctata aerumnas ac temporum iniquitates:* Multiplicata eſt ſicut cedrus Libani, *et uidit filios ſuos magno numero* plantatos in domo Domini, in atriis domus Dei noſtri florentes, *ad propagandam Religionem, Iuſtitiam adminiſtrandam, Medicinam faciendam, Artes denique liberales alias cum ſapientia tractandas idoneos. Ipſa uero* alma mater, *in hac ſenectute ſua, centum annorum, uiget adhuc, et (quod diuinae bonitati confidimus) per futura tempora multiplicabitur amplius, et* (**) uidebit *porro* filios filiorum ſuorum, pacem ſuper Iſrael!

Caeterum iſtius adeo exoptatae foecunditatis exemplum illuſtre, Vosmet praebetis, honoratiſſimi omnium Facultatum Domini Candidati; *quos, ſiue ex inuſitato numero, ſiue (quod omnino maius eſt) ex eruditionis ac meritorum praeſtantia aeſtimare uelimus, uberrimam ſane reuireſcentis, nouo ſaeculo, parentis optimae foeturam appellare debemus. In laudes equidem Veſtras ut in praeſenti nos diffundamus, tanto minus neceſſarium erit, quanto luculentiores illae iam ſunt, nec opus habent uerbis, cum tot egregia rerum adſint teſtimonia. Quapropter ego nunc ſaltem, communi nomine* Patrum Academiae, *Vobis gratulor meritiſſimos Doctorum honores, qui Vos iamiam expectant,* Deumque T. O. M. *precor, ut eosdem non ſolum bonis auſpiciis ſuſcipiatis, uerum etiam multis nominibus fructuoſos in poſterum ſentiatis, ac feliciter amplificetis!*

VI. *ORA-*

(*) Pſalm. XCII, 13. ſequ. (**) Pſalm. CXXVIII, 6.

VI.

ORATIO

IOHANNIS IACOBI PFIZERI,

THEOL. DOCT. ET PROF. PVBL.
BRABEVTAE ORD. THEOL.

recitata in saeculari inauguratione duorum DOCTORVM THEOLOGIAE pridie Calend. Iul. A. CIↃ IↃCC XXIII.

* *

AVDITORES, QVOTQVOT AD HAEC SACRA NOSTRA CONDECORANDA ACCESSISTIS, OMNIVM ORDINVM HONORATISSIMI,

NOMINATIM

PERILLVSTRIS ET S. R. I. LIBERAE REIP. NORIBERGENSIS ILLVSTRES ET GENEROSISSIMI LEGATI, CVRATORES ACADEMIAE MVNIFICENTISSIMI
RECTOR VNIVERSITATIS MAGNIFICE
MAGNIFICE ET GENEROSE PROCANCELLARIE
PERQVAM GENEROSE OPPIDI AGRIQVE ALTORFINI PRAEFECTE
EXCELLENTISSIMI OMNIVM ORDINVM PROFESSORES ET DOCTORES
CIVES DENIQVE GENERIS NOBILITATE DOCTRINAEQVE AC VIRTVTIS LAVDE FLORENTISSIMI.

CVm ante hos centum annos, pii maiores nostri, hoc sapientiae sacrarium, hanc doctrinae optimarumque artium sedem, pia mente, precibus deuotis, et laeta Priuilegiorum Imperialium promulgatione, DEO bonorumque omnium usui dedicarent, adeo non rerum *praesentium* et ante oculos sibi positarum sola consideratione acquiescendum sibi esse arbitrabantur, ut potius tum *praeteritarum* faciem attenta mente repeterent, tum *futurarum* spem laetissimis uotis faustissimisque ominibus prosequerentur. ILLVSTRES ACADEMIAE NVTRITORES ATQVE CVRATORES in memoriam sibi reuocabant, pulsas olim in Germania barbariei tenebras lucemque litterarum emergentem; et hoc inaestimabile DEI immortalis beneficium, grata mente agnoscendum, uoce praedicandum, quin imo facto ipso quoque sibi tuendum agnoscebant. Nihil morati, uti in Programmate publico ipsimet profitentur, illorum sensus uocesque, qui, ueluti noctuae ad solem caligant, sic ipsi splendorem eruditionis non ferunt; quique omnes sui similes esse optarint, quo priuata eorum ignorantia communis ignorantiae latibulo obtegeretur, nec illorum quisquam coargueret inscitiam. Cum uero, quae ipsorum erat pietas atque prudentia, in turbis bellicis, quae tum concutiebant Germaniam, studia plurimorum bonae alioquin indolis uelut abortire, et barbariem, iam undique nubes cogentem, exilium non magis honestis disciplinis, quam ipsi pietati intendere ac bellum internecinum indicere metuerent; hoc ipso, quem praesagiebant, statu futuro se commotos profitebantur, ut eo maturiori consilio, quantum in ipsis erat, rei litterariae prope iam conclamatae subueniendum sibi esse arbitrarentur. Ita ergo, laudatissimorum Decessorum

ceſſorum ueſtigia prementes, hanc bonarum litterarum ſedem, IMPERATORVM AVGVSTISSIMORVM clementia ad dignitatis Academicae honorem euehendam curarunt, optima ſpe freti, ut futuris etiam temporibus, uirtutis uerae ſolidaeque ſeminibus doctrinaeque elegantioris igniculis in iuuenum ſtudioſorum animis exſuſcitatis, hinc in Eccleſias, Scholas, Reſpublicas, bonorum copia quam uberrima eſſet manatura. Quae et ipſa ſpes *ICtum celeberrimum*, quo CVRATORES ACADEMIAE illuſtres, in tradendis Rectori Vniuerſitatis inſignibus, uſi ſunt interprete, de bonarum litterarum incrementis, etiam noſtratium opera, promouendis adeo ſecurum animi reddidit, ut hanc ſuam uelut tabulam uotiuam in mnemoſynes aede ſuſpenſam uellet, ut nil maius meliusue, nihil auguſtius, quod expetat, ſe habere profiteretur; ut denique coelitus ſe uoti compotem fieri neceſſe eſſe, neque ſe ſuam ſpem fallere aut fruſtrari poſſe publice declararet. Quis igitur, DOMINI ET AVDITORES, uitio nobis uertat, ſi his ipſis ſacris ſaecularibus, quae diuina benignitas nobis conceſſit, et nos in limitibus ſaeculorum duorum, unius, quod DEO propitio emenſi ſumus, et alterius, quod ipſomet auxiliante ingredimur, conſtituti, ita praeſenti perfruamur laetitia, ut et praeteritorum ſit dulcis memoria, et futurorum iucunda expectatio. O beatos nos atque felices! Si longum illud temporis interuallum, quod pii Maiores ſpe, uotis, expectatione, praeripiebant, nunc ut *praeterlapſum* mente recolamus; ſi infinitum beneficiorum diuinorum cumulum, quem neque animus ſatis concipere, nec lingua uerbis exprimere ualet, perpendamus; ſi non fruſtratam fuiſſe uirorum optimorum ſpem, impletam eorundem expectationem, acceſſiſſe ſapientiae diuinae humanaeque ſtudiis ſua, et ex hoc loco, incrementa, ipſis rerum documentis conuicti, modeſte profiteamur. O laetos nos atque fauſtos, ſi *praeſentia* noſtra commoda iuſto pondere pretioſo aeſtimare uelimus! O quanta ſunt, quae SVMMI NVMINIS gratia, AVGVSTISSIMI IMPERATORIS clementia, PERILLVSTRIVM NVTRITORVM munificentia, uberrime nobis exhibita ſunt, et nunc quoque in nos redundant bona ac dona! Nemo ſit, nemo erit, ſat ſcio, in coetu hoc litterario, qui non exquiſitiſſimo piae laetitiae affectu commoueatur! nemo, qui non ILLVSTRI CVRATORVM VNIVERSITATIS COLLEGIO, de ſacrorum ſaecularium felicitate, tacita ueneratione gratuletur; qui non infinitas curas, ſolicitudines, conſilia, gratiſſima mente exoſculetur et agnoſcat; nemo, qui non ſe aliosque excitet: Haec eſt dies, quam IEHOVA facit; exultemus ac laetemur in ea! Sed quid obſtat, quo minus in praeſenti noſtro gaudio, in praeteritorum grata commemoratione, de *futuris* etiam cogitemus? Non equidem in arcana diuina, auſu temerario, ſed et irrito atque uano, irrumpere nobis animus eſt. Fatorum futurorum diſpenſationem nobis ſalutarem prouidae Numinis curae deuotis potius precibus iam commendauimus, atque etiamnum commendamus. Sed de litterarum acceſſionibus, de quibus pios Maiores noſtros tam praeclare ſenſiſſe meminimus, et nobis ſolicitis eſſe, imo et diſſerendi in hac panegyri argumentum inde arceſſere, conuenit. Quamuis enim iucundum maxime uidebatur, ex praeteritarum rerum memoria, fata et labores eorum, qui diuiniores ſpeciatim litteras in hoc Athenaeo publice docuerunt, repetere, et quid rei ſacrae atque litterariae commodi inde acceſſerit, demonſtrare;

factum

factum id tamen, et multo quidem ampliori, quam institutum praesens admitteret, apparatu praestitum iam esse uideo. Prostant uitae Theologorum Altorfinorum, et cum applausu exceptae leguntur. Missis ergo praeteritis, praesentem litterarum statum ita considerare, ut, num incrementa nobis promittat, num portendat decrementa, inde iudicari queat, a dignitate splendidissimi huius Auditorii non penitus alienum esse arbitror; quin mihi, intra demandati muneris limites libentissime uersanti, nunc quidem constitutum est, *de eruditione theologica et sacra* tantum idem disquirere: *utrum maiora in illa incrementa sperare possimus, num metuere debeamus decrementa?* Faciam illud strictim breuiterque, siquidem prima tantum amplissimi argumenti capita signabo; faciam modeste, praecipuis quippe, quae utrinque militant, rationibus propositis, iudicium VOBIS ipsismet deferam. Quin imo uestrum fauorem ac in audiendo patientiam, quam submissis humanissimisque precibus expeto, quamque ingenii, doctrinae, aut facundiae adminiculis assecuturum me esse sperare non possum, solo hoc pietatis, modestiae et breuitatis studio me impetraturum confido.

Qui in considerando atque diiudicando praesenti litterarum statu uersantur Autores, eos in uarias, sibique maxime aduersas, sententias incidisse deprehendimus. Nonnulli enim in tantum eundem gradum euehunt, ut parum a summo fastigio, modo ne illud iam attigerit, uideatur abesse. Alii in contrarium plane euntes, nihil nisi splendidam miseriam reperiunt, adeo ut nostra studiorum conditio, siue cum rerum cognoscendarum natura, siue cum antiquorum laudatissimis exemplis contendatur, nihil nobis nisi negligentiam nostram exprobret, imo fere ingruentis denuo barbariei metum incutiat. Alii denique eruditorum uitia ab eruditionis statu secernenda, imo uarias etiam doctrinarum partes distinguendas esse, monent, ne, quae de incrementis uel decrementis formanda sint iudicia, turpiter confundantur. *Istis* rei litterariae nauis, uti nunc imaginem sui considerantibus offert, uberrima pulcerrimarum utilissimarumque rerum copia onusta, portum suum iam uidere, imo attingere, uidetur. *Illi* eandem rebus uilibus, inutilibus, et sola nouitatis raritatisque specie se commendantibus, praegrauari, uentorumque aduersorum turbinibus, ac maris aestuosi fluctibus misere iactatam, naufragio propiorem, quam portui, conqueruntur. *Hi* denique eandem hanc nauem, Salomonaeae similem, inter auri, argenti, rerumque pretium suum habentium copiam, simias atque pauones, externa tantum specie aut raritate conspicuas uehere concedunt, maius tamen ipsi periculum, a gubernatoribus, nautis, uectoribus, de spolianda solicitis, et de mercium partitione altercantibus, imminere arbitrantur. Cum igitur praesentis status litterarum generatim, uel, ut proposito conuenientius loquar, theologicarum in specie, consideratio, coniecturis, quas de futuro formamus, sua suppeditare debeat fulcimenta, mirum non est, nunc quidem de futuris augmentis alios bene sperare, nunc de decrementis alios metuere. Quodsi de causis, quibus nonnulli moti, statum rerum theologicarum praesentem satis felicem, futuras eruditionis sacrae accessiones promittere censent, disquiratur amplius, ad Propaedeumatum emendatam magis rationem, ad subsidiorum litterariorum maiorem copiam, ad partium ipsarum theologicarum elegantiorem conformationem, ad singularem denique ardorem, etiam hic,

nouas detegendi ueritates, prae aliis prouocari posse uidetur. Ita enim rationes colligunt atque subducunt. Cum qui ad disciplinae sanctioris studia deducendi sunt animi *propaedeumatum*, quae ad Philologiae atque Philosophiae ambitum referuntur, cultura solidiori praeparari debeant, omnia hic, aut certe multa emendata deprehendimus. *Philosophia* nunc, missis inutilium quaestionum tricis, exclusis uerborum nihil significantium portentis, in exilium actis difficilibus nugis nulliusque bonae frugis argutiis, omni, siue Aristotelis, siue aliorum quorumcunque, auctoritae iustis limitibus circumscripta, ex rerum ipsarum attenta contemplatione sapit, ex sacrae rationis nunc certis demonstrationibus, nunc uerosimilibus coniecturis, sua deducit. Eadem praeiudiciorum morbos fontesque detegit, intellectus uitiis medetur, distinctas ideas animo formare, cogitationes aptissima methodo disponere, et plura alia ad ueritates eruendas aliisque tradendas necessaria multo luculentius docet. Per eandem uariae uoluntatis inclinationes exponuntur, recluduntur uitiorum origines, actionum humanarum natura, ut a gratiae diuinae operationibus eo melius deinde secerni queat, distinctius explicatur; ut alia huius generis plura praetermittam. *Philologia*, quicquid in linguis, eruditioni communicandae iam olim dicatis, uenusti, grauis, elegantis est, omni adhibito studio explanat ac exhibet. Illae, quas Oriens coluit, ac etiamnum adhibet, maiori in luce constitutae, omnibus sine notabili difficultate addiscendae proponuntur. Docet Critica spuria a genuinis secernere, corrupta restituere, lucemque adeo suam in omnem rem litterariam diffundit. Eruuntur rerum in Ecclesia et republica gestarum monumenta; panditur prouidentiae diuinae theatrum; enucleantur antiquitates uariarum gentium uariae. Quin imo singula haec et infinita alia ad meliorem facilioremque sacrarum litterarum cognitionem iam applicata sunt a uiris meritorum in rem sacram atque litterariam gloria illustribus; qui, quicquid in philosophia solidi, in profanorum scriptorum lectione uenusti, deprehenderant, quicquid ex Romanorum, Graecorum, Ebraeorum ritibus, ex historiarum documentis praeclari hauserant, quicquid uel ad temporum rationes accuratius conficiendas, uel ad locorum interualla dimetienda, ullo modo facere poterat, lubentissime liberalissimeque contulerunt, hisque spoliis ex Aegypto quasi deportatis tabernaculi diuini structuram uenustiorem reddere laborarunt. Horum praeclaris uestigiis insistere, inuentis quaedam addere, eo facilius uidetur, quo plura sunt *subsidia*, quibus in eruditione theologica promouenda atque amplificanda uti possumus. Quot enim, quaeso, prostant Bibliorum Versionumque antiquiorum editiones emendatae? quot Virorum doctissimorum commentationes et obseruationes? quam amplae Collectiones Conciliorum, Veterumque Ecclesiae Doctorum, quos Patres uocant, Bibliothecae atque editiones? quot Lexica atque Glossaria, quibus genuinus scriptorum tum sacrorum tum ecclesiasticorum sensus recludi potest? quantus numerus Monumentorum ineditorum huc usque ex Bibliothecarum publicarum priuatarumque scriniis in lucem protractus est? quanta copia librorum prostat, quibus ad rerum diuinarum notitiam uberiorem ac solidiorem multo faciliori negotio, uiaque planiori, manu quasi duci possunt, qui eandem anhelant, quam illis temporibus, in quibus huiusmodi adminicula, uel omnino, uel magna certe ex parte, defecisse satis constat. Iam

Iam si ad ipsius *Theologiae* constitutionem considerandam progrediamur, si partes singulas aut praecipuas tantum, quibus hoc uastum corpus quasi componitur, attentius perlustrare nobis liceret; elegantissima earundem conformatio, longeque accuratior, quam olim, oculis nostris obuersaretur, quae proinde ulterioribus incrementis promtam spem atque occasionem suppeditare queat; si eos porro audiamus, quorum sententiam adhuc recitauimus. Siue enim de interpretandis oraculis diuinis, siue de dogmatibus ueritatis coelestis inde deducendis, erroribusque contrariis refellendis, siue de moribus hominum formandis, uitaeque Christianae regulis praescribendis, siue denique de fatis Ecclesiae ex historiarum monumentis describendis, aut ex uaticiniis propheticis coniectandis, disquiratur; ubique non contemnenda deprehendi augmenta, futurorum praenuntia. Verum Scripturae sensum felicius nunc multo indagari posse, et etiamnum promtissime erui, difficilioribus uerbi diuini locis lucem accendi, nunc ex uocum emphasibus et significationibus felicius detectis, nunc ex sobrio Critices sacrae usu, nunc ex rituum antiquorum collatione, in quibus optimis Maioribus, non ex sua, sed temporis, in quod inciderant, plerisque subsidiis destitutis, culpa, aqua haeserit. Sic et coelestes ueritates, ex eorundem iudicio, nunquam purius enucleatae sunt, nunquam sapientissima earum connexio et analogia luculentius est demonstrata. Foederum diuinorum, quibus benignissimo Numini, deuinctos iam sibi mortales, arctius adhuc iungi placuit, ratio, atque sub uariis temporibus diuersa quoque oeconomia atque dispensatio diligentius exposita, tum multis sacrae scripturae locis clarius exponendis, tum et fidei articulorum catenae arctius constringendae usum egregium praestat. Errores contra ueritatem diuinam his nostris temporibus, magno quidem, si unquam, numero, uel orti, uel resuscitati et incrustati, nunquam tamen solidius refutati; ipsius Christianae religionis ueritas nunquam tot autoribus, nunquam tanto successu asserta, adeo, ut aduersariorum molimina et toties totiesque repetiti insultus ueritati triumphos pepererint clarissimos atque maximos. Coeptum praeterea est de ueritatum et oppositorum errorum quantitate, momento ac pondere, accuratius cogitari; disquiri de dogmatum historia et fatis, de ueritatis conseruatione et testimoniis, de errorum fontibus et progressibus; ubi quidem prudens historiae ecclesiasticae et monumentorum magno numero ibi occurrentium diligens euolutio multa adhuc et uberiora incrementa promittit. Si uel uerbum de morali Theologia, quae et ipsa felicius iam excolitur, addere liceat, nunquam practica, methodo commodiori, et tum eorum naturae, tum auditorum conuictioni, magis conuenienti sunt proposita: nunquam discrimen naturae et gratiae ad explorationem cognitionemque tum sui tum aliorum, tam proficuum, tam necessarium, maiori obseruationum ex ipsa hominis natura et experientia desumtarum apparatu expositum nouimus. His, et multis adhuc aliis, distinctius non recensendis, ad rerum theologicarum statum pertinentibus iungi nunc uolunt atque perpendi, ex quorum mente loquimur, *ingenii humani*, cumprimis uti nunc conspicitur, plus ultra semper tendentis naturam et conditionem. Quanta, quaeso, contentione ac aemulatione, quo zelo atque studio, certatim laborarunt uiri eruditissimi in ueritatibus nouis detegendis, in detectis iam denuo con-

firmandis, poliendis, maiorique luce, robore, ac elegantia, perfundendis? Quot, in rebus etiam diuinis et ad Scripturae cumprimis atque Historiae sacrae illustrationem pertinentibus, sub Obseruationum, Parergorum et huiusmodi aliis titulis, prodierunt praestantissimorum ingeniorum monumenta, non ab iis tantum consignata, quos muneris et officii ratio ad id faciendum instigauit, sed ab aliis etiam, qui rebus naturalibus uel ciuilibus alias dediti, ad diuina etiam illustranda symbolas suas, plaudentibus bonis omnibus, contulerunt. Haec proinde uia et aliis calcanda, his uestigiis insistendum est alacriter, his subsidiis ita utendum, ut alii etiam ad imitationem conatuum praeclarissimorum accendantur, et tum de rerum theologicarum incrementis plane non erit desperandum.

Omnibus his, quae per summa capita eundo pro sperandis eruditionis sacrae augmentis allata sunt, non quidem omne derogant pondus, *qui secus sentiunt*, quique hoc nostro rerum statu imminutionem potius metuendam esse censent; sed ipsi tamen audiri a splendidissimo Auditorio, et me quidem interprete, flagitant, eoque breuiori sermone sua se proposituros sperant, quo luculentiora rerum testimonia adesse et in contrarium militare arbitrantur. Iubent igitur oculos conuerti ad maximam eorum partem, qui sacris operantur, quorumque animi rerum diuinarum notitia sint imbuendi. Quid, quaeso, prodest, ita nunc pergunt, *emendatam Propaedeumatum rationem subsidiorumque litterariorum* magnificum apparatum ambitiosius iactari, ubi fere desunt, qui eodem uti uel possint, uel uelint, et ita quidem uti, ne abutantur, et ut reuera augmentum aliquod rei sacrae uel litterariae accedat? Mirari saepius subit, qua uia quaque adhibita diligentia non pauci ex Maioribus ad non contemnendam litterarum sacrarum cognitionem contenderint, omnibus fere, saltem praecipuis, quae a nobis iactantur, adminiculis destituti. Sed maiorem certe meretur admirationem, qui fiat, quod, in tanta subsidiorum copia, pauciores tamen his nostris temporibus ad solidam genuinamque in rebus diuinis eruditionem pertingant, imo quod magis est, in uia admodum plana, ne quidem satis contendant. Negari sane non potest, dari alios, qui iisdem uti non possint, alios, qui non uelint, alios, quibus et posse et uelle deest. Sunt, qui temerario impetu, aut coeco ignorantium iudicio, aut casu plane fortuito potius, quam matura deliberatione, ad haec sacra tractanda accedunt, destituti uiribus non fortunarum tantum, (hic enim defectus iuuenum bonae mentis indolisque capacis suppleri potest et debet) sed et ingenii et iudicii, sine quibus tamen nihil unquam solidi expectari posse omnes concedunt. Non desunt, qui cruda studia nullisque fundamentis innixa ex scholis in academias intempestiue protrudunt, ubi dein rerum proponendarum, quas ipsi non intelligunt, nullo ducti desiderio, quin taedio potius abrepti, omnia alia agunt, resque theologicas illotis manibus attrectatas parum curant, reliqua ad praeparandos animos facientia secure turpiterque negligunt. *Ad sapientiam quis accedit*; ita suo tempore Seneca: *Quis dignam iudicat*, *nisi quam in transitu nouerit? quis Philosophiam aut ullum liberale studium respicit?* quae num nostro saeculo quoque conueniant querelae, aliorum iudicium esto. Si qui animum his disciplinis probe imbutum afferant, imo, si, qui in illis artibus regnare uidentur, ad sacra nostra accedant, per abusum rerum

artium-

artiumque, in se praestantissimarum, tantum nobis detrimenti afferre possunt, et non raro solent, quantum per genuinum usum praesidii ac utilitatis poteramus expectare. Nunc enim rationis mensura, at quam parum sufficienti! omnia dimetienda sibi sumunt; et si qua, tametsi uerbis disertis in uerbo diuino proposita, cum iis, quae sibi quisque format, Philosophiae placitis non conueniant, cum risu atque cachinno reiiciunt. Nunc arrogantia critica certissimum litteris sacris creant discrimen, in quibus ingenti supercilio, transponendo, mutando, fingendo, refingendo, saepius minori religione, quam in profani alicuius scriptoris codicibus, uersantur. Tanta ratione praeparationis et subsidiorum huc pertinentium, non minora in ipsius *Theologiae* tractatione occurrunt, quae augmentis sperandis sunt impedimento; quae si uel omnia, uel praecipua tantum, recenseri deberent, nimia certe prolixitate patientia uestra abuti ipse mihi uiderer. Theologiae incrementa, si genuina, si DEO placentia sint expectanda, in *discendo*, in *docendo*, in *uiuendo*, sese exerant, necesse est; sed ubique plura nobis obiiciuntur obstacula, quae spem de amplioribus rerum sacrarum accessionibus conceptam, si non penitus euertere, multum tamen debilitare, uidentur. Ex multis, quae *discentibus* non raro familiaria, augmentis uero theologicis plane contraria sunt, urgent, quos nunc loquentes audimus, genuinae Methodi ordinisque neglectum; defectum diligentiae necessariae non tantum in audiendo et legendo, sed etiam in meditando, frequentiora interualla, nexum rerum et conceptuum turbantia; affectatam studiorum breuitatem et uiae eruditionis compendiariae nimiam curam, qua ad suggestum multi properant, loquacitate et clamoribus mentis inopiam palliaturi. *Docentibus* exprobrant inter alia, his antiquitatis tuendæ, aliis nouitatum sectandarum intempestiuum studium, nunc amorem sectae, iam et quidem frequentissime dissensiones, iurgia et altercationes, quibus tempus, utilioribus impendendum, sine usu teratur, aliique ad cogitationes suas proferendas uix queant commoueri, sed absterreantur potius. Haec et plura alia, quae simul, quam parum in *uitae* Theologis dignae et cognitionis rerum diuinarum practicae incrementis proficiatur, ostendere possent, nolunt nunc, quorum sententiam exprimendam mihi sumsi, odiosius urgere. Quin et omnia, quae prolata sunt, aperte profitentur, non tam ad sperata nobis praeclara rerum theologicarum incrementa plane subuertenda tendere, sed eo potius spectare, ut quae simul occurrunt impedimenta, tempestiue dignoscantur, et, quantum fieri potest, ab omnibus, aut plerisque certe, remoueantur: ita enim futurum, ut, quae nobis foueatur spes augmentorum in rebus sacris, solida sit, suisque fundamentis firmiter innitatur. Accipimus hoc omen, atque eo minus dubitamus de spei nostrae uotorumque mente conceptorum complemento, quo magis sumus persuasi, diuinam benignitatem concessuram esse nobis deuote precantibus, semper et ubique uiros cordatos, qui et consiliis et auxiliis adsint, ut rerum non humanarum tantum, sed et diuinarum, cognitio augeatur magis et amplificetur. Neque illud parum hanc nostram animi fiduciam roborat atque confirmat, quod in praesenti hac panegyri solenniori liceat Ordini Theologico, qui in Academia hac diuiniores litteras docet, producere bigam Virorum eruditissimorum, quorum unus iustis ex causis nunc quidem absens, ante

aliquot tamen iam annos apud nos luculenta ſuae doctrinae dedit ſpecimina; alter nuper admodum ex oris borealibus, Cimbria longe hinc diſſita, ad nos aduentans eruditionem haud uulgarem multis demonſtrauit documentis, quibus ſummi in theologia honores ſunt deſtinati, quorumque in rem ſacram atque litterariam merita de futuris etiam non minoribus ſpem nobis faciunt ampliſſimam. Vt igitur ſplendidiſſimi Auditorii, quod huius ſolennitatis gratia huc confluxit, expectationi, ut Collegii Theologici decreto, ut ipſorummet denique Candidatorum honorandorum honeſtis deſideriis fiat ſatis, ad TE me conuerto,

VIR MAGNIFICE ATQVE GENEROSE, DOMINE GEORGI CAROLE VVOELKERE, ICTE CONSVMMATISSIME, DIVERSORVM S. R. I. STATVVM, CVMPRIMIS PERILLVSTRIS REIP. NORIMBERGENSIS CONSILIARIE GRAVISSIME, HVIVS ACADEMIAE PROCANCELLARIE SPLENDIDISSIME, PATRONE OMNI HONORIS CVLTV MVLTISQVE NOMINIBVS MIHI DEVENERANDE!

TEque ea, qua par eſt, obſeruantia rogo atque obteſtor, ut pro ea, qua polles, auctoritate facultatem mihi Brabeutae rite legitimeque conſtituto, concedas, Viros reuerenda maxime dignitate, amplitudine atque excellentia conſpicuos,

DN. IO. LAVRENTIVM IANVM, *Solisbaco-Palatinum, Templi communis cathedralis Oeringenſis Antiſtitem, Eccleſiarum Comitatus Hohenloico-VValtenburgenſis Superintendentem primarium, Conſiſtorii Aſſeſſorem, et Gymnaſii Inſpectorem*, idoneis ex cauſis nunc quidem abſentem, et

DN. MARTINVM FRISIVM, *Ripenſem, SS. Theol. in Academia Holſatorum Kilonienſi Profeſſorem Publ. ordinarium*,

Doctores Theologiae renunciandi, iisque hoc ipſo conſuetos honores, iura et priuilegia, rite conferendi. Quod beneficium non ipſimet modo Domini Doctorandi gratiſſimo agnoſcent animo, ſed et Collegium noſtrum obſtrictum TIBI animum ſeruabit, egoque nullo non tempore mentem pro hoc aliisque Tui in me fauoris ſpeciminibus deuinctiſſimam declarabo.

VII. *ORA-*

VII.

ORATIO

D. IOHANNIS GEORGII FICHTNERI, ICti,

DECANI ET BRABEVTAE ORD. IVRIDICI,

in ſolenni inauguratione VII DOCTORVM IVRIS dicta.

* *

Iubilate DEO omnis terra, decantate gloriam nomini eius, date gloriam laudi eius, magnificate Dominum mecum, et exaltemus nomen eius ſimul!

AB his, AVDITORES, uerbis (quibus olim regius Pſaltes tum ſe, tum alios ad debitam diuinorum beneficiorum memoriam et praedicationem pie incitare ac inflammare uoluit) non immerito auſpicari conuenit actum hunc ſolennem, cuius celebrandi gratia hoc loco et die maxima corona conuenimus. Etenim, ſi qua tunc fuerunt beneficia, ut ſane fuerunt incredibilia et immenſa, quae hanc Dauidi orationem et gratiarum actionem diuini Spiritus et fauoris plenisſimam expreſſerunt; ea certe nunc apud nos in hac Academia, cuius ſaeculare celebramus Iubilaeum, in tantum excreuerunt cumulum, ut non modo numerum, ſed noſtrum etiam captum longiſſime exceſſerint, ac etiamnum excedant; adeo, ut nos praui et ingrati, quin imo iniqui et digni ſimus, quibus uel gentilium religioſa ſuperſtitio pudorem incutiat, niſi tot ac tanta illuſtria beneficia, eâ, qua decet, ueneratione praedicemus, et in agendis Maieſtati diuinae gratiis partes noſtras agnoſcamus. Quod ſi enim iam olim homines etiam gentiles, illos dies faſtos, quibus Praetor haec tria uerba: *Do*, *dico*, *addico*, fari poterat, ſacros et religioſos eſſe uoluerunt; quod ſi etiam Romani ueteres, centeſimo quolibet anno, falſis fictisque ſuis Diis ludos ſingulares et ſaeculares inſtituere, epulas et lectiſternia apparare, hoſtias immolare, et non tantum pro acceptis benficiis gratias agere, ſed etiam publicae ſalutis ergo multis precibus ſupplicare, ſoliti fuerunt: quid, quaeſo, AVDITORES, nobis ceu Chriſtianis (qui non Numina ficta et commentitia, ſed uerum DEVM, illum Patrem luminum, ueremur et ueneramur, quique non ſuperſtitione falſa capti, ſed uera pietate imbuti, coeleſtis doctrinae ueritatem ſacrarum literarum monumentis proditam profitemur,) quid, inquam, A. imprimis hoc tempore, quo tam ampla area laudis omnibus bonis aperitur, faciendum putetis? Quid noſtrarum partium eſſe arbitremini? Quid conſilii agitandum? Quid rerum agendum exiſtimetis? Nonne nos multo magis decet aſſidue in hoc intuentes benignitatem et clementiam DEI T. O. M. magnopere ſuſpicere ac uenerari, nec non ad cognitionem cultumque DEI merito inflammari? Nonne nos multo magis decet, pro tot ac tantis beneficiis immortales agere gratias et aeternis celebrare laudibus conſilia et facta prouidentiae diuinae plane admirabilia? Nonne nos multo magis decet, quin imo oportet, iterum iterumque cum Pſalte regio exclamare, omnique contentione animi et uocis etiam atque etiam ſonare: *Confitemini Domino, quoniam eſt bonus, et in aeternum manet*

bonitas eius atque misericordia. Gratias agite DEO *Deorum, quoniam in aeternum manet bonitas eius atque misericordia. Laudibus celebrate Dominum, quoniam in aeternum manet bonitas eius atque misericordia.* Ne igitur nos gentilibus, qui diuinam non norunt religionem, stupidiores simus deterioresue; faciamus, A. id, quod pietas suggerit, iustitia praecipit, aequitas praescribit, h. e. agamus et habeamus DEO, ceu summo huius Academiae Praesidi, Moderatori ac Conseruatori, non quas debemus, sed quas possumus, gratias multo maximas. Siquidem fatendum nobis est, mediocritatem sermonis nostri, remuneratione dicendi aequiparare neutiquam posse gloriam tanti beneficii. Attamen in hac ipsa tanta egestate sermonis humani pro uiribus enitamur, assurgamus ac diuinum hunc honorem pia imprimis ac recta uoluntate expleamus, coniunctisque uotis humiliter precemur: Tu Academiae Praeses ac Moderator aeterne, CHRISTE optime, maxime, inferiora cuncta dicentibus ignosce; et farre quidem fictilique, sed Numini Maiestatique Tuae substratos, deditos, mancipatos, de sublimibus coeli fastigiis, propitius respice. Tibi, o aeterne, summe et maxime DEVS, PATER, FILI, et SPIRITVS S. immortales toto pectore agimus gratias, quod Academiam hanc (quae celeberrima semper multorum ingeniorum magistra fuit) instaurare, coagmentare atque inter uaria pericula, hac rerum omnium perturbatione clementer protegere, et cum aliis innumeris beneficiis cumulare, tum religionis, tum sapientiae, iustitiae, omnis denique uirtutis et ipsius Iurisprudentiae caeterarumque bonarum artium et disciplinarum studia inter nos integra incorruptaque tam benigne conseruare ac tueri uolueris. Quaesumus TE, omnipotens et aeterne DEVS, supplicesque oramus, ut nobis nostraeque Academiae et toti Reipublicae Christianae haec tam ampla tamque praeclara bona, Numine diuino facias perpetua. Age, Sator coelestis, exaudi preces nostras per Filium tuum unigenitum, Dominum nostrum IESVM CHRISTVM: defende hanc Academiam nostram, conserua perillustrem REMPVBLICAM NORICAM, protege imprimis Academiae Maecenates perquam gratiosos, CVRATORES et NVTRITORES munificentissimos, Eorum uitam, felicitatem, salutem, gloriam et dignitatem contra saeculi huius morsus tuere, Illisque largire, ut Reipublicae patriae et huic Academiae semper felicissime praeesse ac prodesse, et secunda omnium in ea statuum fata optatissime tueri, amoris et liberalitatis suae radios in has Musas suas feliciter spargere ualeant quam diutissime. Rege et guberna Sancto Spiritu tuo labores conatusque pios, tam docentium quam discentium, et ad sacrosancti Nominis Tui gloriam et Reipublicae utilitatem propagandam dirige. Tuere, foue, et auge nostros coetus et alueolos, ut continue pura ac limpida mella Euangelii, Iustitiae et optimarum artium fundant. Serua uitam et sanitatem nostram, et depelle a nostris tuguriolis ac corporibus omnia contagia funestae luis. Adiuua et fortuna labores omnium nostrum, ut perpetuo hic Verbi Tui puritas, Iustitiae sanctitas et artes quaecunque necessariae ac utiles, disciplina, pax et tranquillitas, exoptato semper nitore suo fulgeant, nec unquam conticescat uox doctrinae salutaris, nec deficiat Doctor in populo tuo. Omnium denique nostrum mentes et uoluntates rege et moderare ad intelligendum et sequendum uera et recta atque ad dicendum faciendumque Tibi grata et Academiae huic totique Reipublicae christianae et literariae salutaria. Amen.

Prae-

Praemiſſo hoc pio uoto fauſti ominis gratia, pro ſolenni renouatione, h. e. noua dedicatione et inauguratione huius Academiae: nunc ut morem mori publico hic recepto geramus, pauca adhuc proferamus de argumento hoc tempore et loco commemoratione haud indigno, nimirum DE VERA IVBILAEORVM ORIGINE, EORVNDEMQVE VERO ET GENVINO FINE. Quod dum A. non ut debemus, ſed ut poſſumus, facere conamur, a Vobis omnibus humillimi ſtudioſiſſimique animi obſeruantia contendimus, ut nobis de hac re breuiter et modice dicentibus, pro ſingulari ueſtra gratia ac beneuolentia benignas indulgere aures animosque ne dedignemini.

Inter gentes uetuſtiſſimas, quae Iubilaea celebraſſe celebrantur, imprimis Hebraeos extitiſſe, uel Etymon uocabuli *Iubilaei* teſtari poterit. Quamuis enim quidam illud dictum eſſe putent a *Iubal*, primo inſtrumentalium inuentore, de quo ſacrae teſtantur literae, quod Pater fuerit omnium citharam et organon tractantium; quidam uero illud deriuent ab Ebraeo *Iaphal*, quod Latinis idem audit, ac *reduxit*: Attamen in hoc omnes fere conueniunt ac conſentiunt, hoc uocabulum purum Hebraicum eſſe, ſucceſſu uero temporis a ueteribus Romanis ex lingua Hebraica in Latinam more barbaro translatum ac ciuitate Romana donatum fuiſſe. Quod cum nemo neget, plura de origine huius uocis diſſerere non attinet. Quod uero ad eius uim et uirtutem ſpectat, non fallemur A. ſi ex mente Hebraeorum, Iubilaeum per annum reductionis exponamus, eo quod hoc anno omnia ad priſtinum dominum reducebantur. Et ſane hic maxime mirandum, quantum ſtudium uel in praeparatione huius feſti adhibuerint Hebraei; quantum laborem, quam exactam diligentiam, obſeruandis ritibus et ceremoniis impenderint. Videas hic Sacerdotem cornu arietino, quàm primum dies ille menſis Tiſri decimus illuxit, Iubilaeum illud inter omnes ubique euulgantem; Audias illic clangorem multarum tubarum totam regionem perſtrepentem et in omnibus uiis ac per omnes Iſraelitarum urbes perſonantem, laetoque nuntio ubique ſignificantem ac annuntiantem: captiuis gratam liberationem, ſeruis deſideratam manumiſſionem, debitoribus non foenoris tantum, ſed ipſius etiam debiti, exoptatam remiſſionem, oppreſſis ſingulis omnibus numeris perfectum auxilium, et omnimodam amiſſorum recuperationem; quid quod ipſi etiam terrae Cananaeae dulciſſimam requiem. O quam bene Numen ſapientiſſimum hisce populo ſuo conſuluit, eoque ipſo prudenter effecit, ut ne membra Reipublicae Iudaicae infirmiora a robuſtioribus luxarentur ac deſtruerentur, ne pauperes a ditioribus immodicis exactionibus detererentur, nec confuſio tot tribuum metuenda foret, et futuro Meſſiae ſuus conſtaret ortus. Quae et alia ſunt, quorſum Rex Regum prudentiſſimus in gubernando populo ſuo reſpexit, non ſolum ut digno cultu ab illo honoraretur, ſed et his ipſis ſimul gratioſum futuri Meſſiae Regnum adumbraretur. Etenim et hoc Ebraeorum Iubilaeum typus erat Iubilaei ſub Chriſto oriundi: Totum namque genus humanum omnia ſua bona, propria culpa perdiderat, mancipiumque Satanae factum erat: Filius uero ipſius DEI, optimus noſter Seruator, hos ſeruos manumittendos curauit, fecitque, ut amiſſum praeſtantiſſimae DEI imaginis donum, aliquo modo reſtauraretur. Buccinarum uero clangor, uerbum notat Euan-

 gelii,

gelii, quod totum terrarum orbem ſono ſuo perrupit et miſeris peccatoribus ex omnibus aerumnis pleniſſimam liberationem annuntiauit. Per Chriſtum enim, fideiuſſorem noſtrum clementiſſimum, omnia noſtra peccata, cum eorum culpa et poena, prorſus abolita et gratis deleta eſſe, ipſa Scripturae S. ſolantur oracula. Atque o utinam gens Iudaeorum ingratiſſima, ſalutares eiusmodi fines, debito ſemper reſpexiſſet modo, nec intra ſuperſtitioſum ceremoniarum cultum usquequaque haeſiſſet. Haec de Ebraeorum Iubilaeis ideo praemittenda duximus, non ſolum, ut uera omnium Iubilaeorum origo, ſed etiam uerus eorum finis, cuique innoteſceret.

Tranſeamus nunc ad aliarum gentium Iubilaea. Et ſane hic iterum iterumque mirandum uenit: etiam ludos Romanorum ſaeculares exinde ortum ſuum traxiſſe, et quandam cum Iudaeorum Iubilaeis affinitatem habuiſſe uideri; praeterquam, quod Hiſtoricarum rerum periti eorum originem ſuperſtitioſis fabulis tribuendam referant. Certe A. infinitum ingrederemur campum, ſi ſingula, quae ineunte nouo ſaeculo, in campo illo Martio Romae peragebantur, exponere uellemus. Sed ueremur, ne, dum fabulas iuſtae obliuioni dudum traditas refouemus, ſurdas potius quam attentas nobis aures conciliemus. Illud tamen ſicco pede praeterire non potuimus, quod, ſicut nulla gens tam uilis, tam abiectae conditionis, uel inter uetuſtiſſimos et plusquam caliginis tenebris ambulantes gentiles reperta fuit unquam, quae non ſuae religionis atque ſuorum ſacrorum Deum fecerit autorem; Ita et ſuperſtitioſa Romanorum natio eo usque deſudauerit, ut horum quoque ludorum ſaecularium originem ad Deos ſuos retulerit falſos et commentitios. Inde uero factum, ut fabuloſi uates haberent, quo libros ſuos compilarent, atque inerti plebi miſere illuderent. Igitur nos, ſaniora edoctos, ethnica haec caecitas minime morabitur, niſi in eo, ut profundam horum hominum amentiam clarius paulisper perſpicientes, DEVM pro liberrima ſua nobis facta reuelatione nunquam non praedicemus; moniti: cultum noſtrum et genuinam Iubilaea celebrandi rationem et finem non conſiſtere in ludis, ſed Ludos nobis aperire ampliſſimos, in quibus laudes DEI noſtri decantare ſemper diſcamus. Id dum agamus, ſpurium nobis ethnicorum cultum ob oculos ponere liceat, ut ſic quaſi ex tenebris, Chriſtianae religionis lux eo clarius reſplendeſcat. Videamus ergo, qua religione, ſeu ut uerius loquamur, qua ſuperſtitione ac quibus ceremoniis Ludos ſuos ſaeculares celebrauerint Romani. Aſt quemadmodum nihil eſt, cuius principia non maiora ſemper incrementa ſperauerint, et ſicut res maximae perfectionem ſuam exiguis plerumque debent initiis, ceu flumina, quo longius a primo ſuo fonte recedunt, eo maiori cum ſtrepitu latius ſemper ſerpunt; Sic etiam gens Romana, ſic eius cultus, ita et Ludi ſaeculares decurſu temporis adeo inclaruerunt, ut hodiernum etiam orbem in admirationem rapere ualeant. Certe exactiſſima

ctiſſima tot ceremoniarum rituumque obſeruatio, tam ingentes et immenſae, quas his ludis deſtinarunt, impenſae, ſtuporem fere in animis noſtris excitabunt, praecipue ſi relatum legimus, quae de illis referunt rerum et antiquitatum Romanarum Scriptores peritiſſimi, Zoſimus, Roſinus, Demſterus, aliique, de quibus, ut paucula quaedam indicemus, Vos A. deſiderare, ex uultu ueſtro multo iucundiſſimo augurari nobis uidemur. Sic autem illi: *Inſtantibus*, inquiunt, *ludis, qui apud Romanos celeberrimi erant, tota Italia praecones miſſitabantur conuocatum ad Ludos, qui nec ſpectati nec ſpectandi iterum forent. Tum aeſtatis tempore, paucis, antequam ſpectacula edebantur, diebus, Quindecimuiri ſacris faciundis in Capitolio et Palatino templo pro ſuggeſtu conſidentes, piamina diuidebant populo, quae erant taeda, ſulphur et bitumen. Coibat autem populus, praeter alia loca, cumprimis in Dianae templum, quod erat in Auentino, et cui triticum, faba, hordeumque dari mos. Tum ad inſtar Cereris initiorum peruigilia fiebant. Vbi uero iam aduenit feſtus dies, triduum trinoctiumque ſacris intenti in ripa ipſa maxime Tiberis agitabant. Sacrificia uero Ioui, Iunoni, Apollini, Latonae, Dianae, praetereaque Parcis, et quas uocant Ilithyas, tum Cereri, et Diti, et Proſerpinae, ſuſcipiebantur. Igitur ſecunda primae noctis hora Princeps ipſe, tribus aris ad ripam fluminis extructis, totidem agnos, et una Quindecimuiri, immolabant, et ſanguine imbutis aris, caeſa uictimarum corpora concremabant. Conſtructa autem Scena in theatri morem, lumina et ignes accendi, et hymni concini, ſpectacula edi ſolenniter ſolita; data celebrantibus hac mercede, tritico, faba, hordeo, quae ſupra inter uniuerſum populum diuidi oſtendimus. Mane uero Capitolium aſcendere, ſacra ibi de more agitare, tum in theatrum conuenire ad ludos, in honorem Apollinis et Dianae faciundos, conſueuerunt. Sequenti die nobiles matronas, qua hora praecipitur ab oraculo, conuenire in Capitolium, ſupplicare Deo, frequentare lectiſternia, canere hymnos, ex ritu mos habebat. Tertio denique die, in templo Apollinis Palatini, ter noueni pueri praetextati, totidemque uirgines, patrimi omnes matrimique, Graeca Romanaque uoce carmina et paeanas concinebant, quibus imperium ſuum et incolumitatem populi Diis immortalibus commendabant.*

Habetis hic, A. breuem, aſt neruoſam, Iubilaeorum ueterum Romanorum deſcriptionem. Mirandae uero, an dolendae magis ſint miſerorum hominum tenebrae, in quas iuſtiſſimum Numen prolabi eos paſſum eſt, nos ſane neſcimus. Illud uero deteſtandum et ſacro quaſi zelo execrandum iudicamus, eam gentem, plusquam ſuperſtitioſam hunc ceremoniarum cultum, uerae literarum monumentis traditae religioni, atque ſic caliginem luci, praetuliſſe, quam tamen clariſſimum uerbi diuini ſplendorem ſequi omnino decuiſſet. Iure igitur meritoque hos ludos, quia ſapiunt idololatriam, omnium uitiorum deteſtabiliſſimum, execratur atque deteſtatur orbis Chriſtianus. Atque o utinam!

nam! tales obſoleti et gentiles ritus nunquam in religionem Chriſtianam irrepſiſſent, uti in nonnullis terris adhuc hodienum ueſtigia eorum ſunt ampliſſima, quae hic commemorare non patitur temporis ratio. Interim tamen cum ex his, quae hactenus a nobis dicta ſunt, unicuiuis facile ſit iudicare, quod Iubilaea iſta ueterum Romanorum, non niſi ethnicam coecitatem et amentiam ſapiant; idcirco mittamus impia haec, et DEI uerbo et merito Seruatoris noſtri penitus contraria et ſuperſtitionis pleniſſima Iubilaea, atque tandem nos conferamus ad Lutherana omnibus aliis excellentiora, quae duplicis ſunt generis, Religionis ſcilicet et Academiarum. In iis inexhauſtam aeterni DEI in nos collatam miſericordiam humillimi ueneramur, quod ueritatem ſuam coeleſtem, multis antea umbris obfuſcatam Megalandri noſtri Lutheri miniſterio reuelauerit, nosque ſanctiſſimum uerae religionis tramitem inter tot inſuperabilia deuia docuerit oſtenderitque clementiſſime. In his autem, Iubilaeis Academicis, immortales DEO TER OPTIMO MAXIMO celebramus gratias pro tantis beneficiis, quae tum in erigendis, tum in conſeruandis prouidiſſime Muſarum domiciliis ac ſcholis nobilioribus, nobis praeſtitit, atque ab eodem Numine ſupplices rogamus, ut eas in noſtrum usque et futurum aeuum conſeruare ac tueri non deſiſtat. Tantum ſane abeſt, ut quis, cui elleboro non eſt opus, haecce Iubilaea damnet ac uituperet, ut potius ea omni laude digna iudicet.

Perlubentes igitur et nos pia religione adſtricti, id, quod noſtrarum hodie eſt partium, agnoſcimus, et Iubilaeum hoc noſtrum Academicum, perquam laudabili Perilluſtris SENATVS NORIBERGENSIS inſtituto ordinatum, deuoto cultu celebramus, ſecuti non Romanorum uanam ſuperſtitionem, ſed piam ueterum Ebraeorum religionem. Mirati autem ſupra ſumus, quantam illi adhibuerint ſolicitudinem in peragendis ſuis Iubilaeis. Quanto ergo magis nos decet, parem cum illis curam adhibere, ad debitas DEO gratias reddendas, qui ſi non maiora, paria certe ab eo exhibita per ſaeculum agnoſcimus beneficia. Terminetur ergo in eo, a quo inchoata eſt oratio, nec pigeat nos hodie cumulare pia uota, cum denuo dedicamus commendamusque DEO TRINVNI Academiam hancce noſtram, ut in ſinu ſuo per omne temporis ſpatium eam foueat, nobisque ſemper faueat. Cuſtodiat itaque et praeſidio et ſubſidio ſuo hancce Rempublicam literariam Rector coeli terrarumque ſummus, eidemque tales Deos tutelares usque largiatur, quales hodienum per NVTRITORES noſtros munificentiſſimos ſummeque deuenerandos nobis conceſſit. Quorum cum ſingularem pietatem, literarum optimarum quarumuis amorem, maxima de Republica, et imprimis hac Academia, merita, illuſtria tum in docentes, tum in diſcentes collata beneficia, ne quidem uerbis exprimere,

mere,

mere, multo minus ea omnia digne praedicare nobis liceat. Idcirco tacita admiratione, et humillimo silentii cultu uenerari ea, quam profana oratione mutilare maluimus, ad uota precesque tamen, quando omnia nos deficiunt, confugientes, DEVMque T. O. M. ex intimis cordis penetralibus efflagitantes, ut pro largissima sua benignitate, mala ac incommoda quaeuis ab Vrbis eorum tectis, templis, curiis et propriis cuique aedibus arceat, pellat profligetque longe procul, et per omnia, dum mundus erit, saecula perillustrem Eorum Rempublicam atque singulorum generosissimas Familias ac Prosapias uirescere, florescere, diurnare, imo, quatenus res humanae ferunt, perennare sinat!

Sat quidem, non tamen plus iusto temporis, ob argumenti grauitatem, orando ac gratias agendo exegimus. Ordo nunc postulat, ut etiam ad illud opus, cuius gratia insimul secundo loco illustris hic conuentus institutus est, aliquando propius nos accingamus. Cum enim Iustitiae distributiuae perpetua ac immota lex sit, ac Reipublicae quam maxime intersit, bene meritis praemia decerni, indeque sanctione iustissimâ iam pridem in Scholis et Academiis receptum uideamus, ut, qui praeclaros in artium liberalium studiis progressus fecerunt, hi publico literatae uirtutis testimonio solenniter exornentur, atque augustos augustorum honorum titulos, ceu diligentiae praemia, consequantur. Cumque hunc laudatissimum Academiarum morem, hocque honestissimum sapientissimorum hominum institutum, SACRATISSIMI IMPERATORES iam olim summa sua auctoritate confirmarint, ac priuilegiis praemiisque amplissimis condecorarint, quemadmodum constitutiones et leges ea de re ab illis sancitae testantur: quibus et potestatem faciunt scholis uniuersalibus, hoc est, Academiis, honores eiusmodi liberaliter unicuique digno conferendi; Propterea nos quoque (DEO benedicente nostris uotis) tam laudabile institutum, hodierna praeprimis nostrae Academiae natali die, laetioribus animis gratulabundi usurpabimus. Quando ergo hi septem Candidati meritissimi (quos hic seorsim in cathedra hac locatos spectatis) praeclara industriae et nauatae in studiis liberalibus operae specimina eximiosque progressus, in examinibus tum publicis, tum priuatis, ediderunt, ac proinde dignissimi iudicati fuerunt, qui primum Licentiati, postmodum et Doctores, publice ac solenniter renuncientur: Idcirco nihil restare uidetur, nisi ut summi honores Doctorales, uelut diligentiae autoramentum, et uirtutis, modestiae atque eruditionis publicum testimonium, optimo ipsorum iure ac merito, solenni ueterum ritu, ipsis tribuantur. Hanc autem ad rem cum Tua,

MAGNIFICE, MAXIME GENEROSE, PERQVAM STRENVE ATQVE EXCELLENTISSIME, DOMINE GEORGI CAROLE VVOELKERE, SACRI CAESAREI PALATII COMES, PERILLVSTRIS S. R. I. REIP. NORIBERGENSIS, ALIORVMQVE IMPERII STATVVM CONSILIARIE GRAVISSIME, VNIVERSITATIS HVIVS PROCANCELLARIE DIGNISSIME, DOMINE PATRONE OMNI HONORIS CVLTV AETERNVM PROSEQVENDE,

opus ſit auctoritate publica, idcirco ad TE orationem meam conuerto, TEque non ſolum Collegii noſtri, ſed et ipſorum Candidatorum, proprioque nomine, ea, qua par eſt, animi contentione, maiorem in modum rogo, ut pro muneris, quo polles, auctoritate Caeſarea publica, praeſentibus hisce almae Iurisprudentiae Candidatis meritiſſimis, et quidem nominatim

DN. IOHANNI ADAMO BECK, *Noribergenſi, Perilluſtris Reipubl. patriae Aduocato ordinario,*

DN. IOHANNI IACOBO STOER, *Noribergenſi, Perilluſtris Reipublicae patriae Aduocato ordinario,*

DN. IOHANNI FRIDERICO ETTMVLLERO, *Zitta-Luſato, Aduocato Zittauienſi ordinario,*

DN. GEORGIO DANIELI PRAEBES, *Noribergenſi, Perilluſtris Reipublicae patriae Aduocato,*

DN. CAROLO FRIDERICO KHOL, *Noribergenſi,*

DN. PHILIPPO LVDOVICO HVTH, *Noribergenſi,*

DN. PETRO ANTONIO BECHMANNO, *Noribergenſi,*

ſupremum in Facultate noſtra gradum, Doctoratus titulos et inſignia, publica feſtiuaque inauguratione contribuendi poteſtatem mihi ad hunc actum rite deſignato Promotori benigne largiri et concedere uelis. Ita facies, VIR MAGNIFICE, ut et totam Facultatem noſtram et cumprimis Candidatos hosce ad quaeuis officia et obſequia TIBI maximopere obliges, et cum perpetua debitaque eorundem gratulatione aeternum Nominis Tui apud eosdem TIBI erigas monumentum.

VIII. *ORA-*

VIII.

ORATIO

IOANNIS HENRICI SCHVLZE,

MEDICINAE DOCT. ET PROF. PVBL.
DECANI ET BRABEVTAE ORD. MED.
in ſolenni inauguratione VIII DOCTORVM MEDICINAE
recitata.

* *

AVDITORES, QVOTQVOT AD HAEC SACRA NOSTRA CONDECORANDVM BENEVOLE ACCESSISTIS, O. O. HONORATISSIMI

VOS IN PRIMIS

PERILLVSTRIS ET S. R. I. LIBERAE REIP. NORIMBERGENSIS ILLVSTRES, GENEROSISSIMI, PRVDENTISSIMI, SPLENDIDISSIMI DOMINI LEGATI, ACADEMIAE CVRATORES MVNIFICENTISSIMI, DOMINI ET MAECENATES GRATIOSI

MAGNIFICE VNIVERSITATIS DOMINE RECTOR

MAGNIFICE, PERQVAM GENEROSE DOMINE PROCANCELLARIE

GENEROSISSIME AGRI OPIDIQ. ALTORFINI DOMINE PRAEFECTE

EXCELLENTISSIMI OMNIVM FACVLTATVM DOMINI PROFESSORES ET DOCTORES

HOSPITES DENIQVE ET CIVES GENERE, DOCTRINA ET VIRTVTIBVS ORNATISSIMI ET FLORENTISSIMI.

COgitanti mihi, de quonam potiſſimum argumento in hoc ſummorum uirorum ſplendidiſſimo conſeſſu, medioque gaudiorum exſultantium laetitiaeque geſtientis coetu, dicerem: illud quidem dubio plane carere uiſum eſt, id eligi debere, quod nec iuſtiſſimum, quia DEVS nobis fecit, otium ulla moleſtia turbet, nec a perſona medici nimis alienum ſit, nec a ſacris deinceps peragendis longius recedat.

Cuius generis quum ſe non pauca offerrent, ab aliis quidem me deterruit meae in dicendo infantiae conſcientia; alia attingere uetuit ipſa copia rerum, temporis, cuius rationem merito habemus, menſuram longe exceſſura. Conſtitui igitur, breuiter ſtrictimque oſtendere, Altorfinam ſcholam medicos orbi formaſſe honoribusque exornatos dediſſe, quibus uix ulla alia maiores, meliores, clarioresque ualebit producere.

Id uero dum conor ſimpliciſſimo dicendi genere explicare, magisque rerum teſtimoniis comprobare, quam uerborum lenocinio per-

ſuadere, ueſtram A. O. O. H. beneuolentiam et aequitatem ante omnia imploro, Vosque, qua decet ſubmiſſione et obſeruantia, rogo, uelitis me, non ſecundum dignitatem propoſiti argumenti, ſed pro conceſſi temporis ratione, dicturum beneuole auſcultare, et, ſi maximi momenti res praeteruolare aut pauciſſimis attingere uidebor, pro VESTRA uirtute breuitatem officio interpretari.

Quum primum perilluſtris et S. R. I. libera RESPVBLICA NORIMBERGENSIS, cui diuinitus contigit, ut ſemper moderatores haberet et ipſos optimarum litterarum ſtudiis recte imbutos, et, quod neceſſarium eſt conſequi, inſigniter earum amantes, Muſis domicilium in hoc opido commodum tranquillumque poſuiſſet, idque SVMMI IMPERATORIS, DIVI RVDOLPHI II, auctoritate confirmaſſet, ipſo hoc anno, quo ſtudiorum haec uniuerſitas ſollemnibus cerimoniis inaugurata eſt, et a quo centeſimum hunc numeramus, qui ſaecularia nobis gaudia attulit, non obſcure eluxit lectiſſimorum iuuenum, qui huc confluebant, ſingularis ardor ex hoc ueluti artium opulentiſſimo mercatu eas ingenii opes conquirendi, quas patriae quisque ſuae, quin uniuerſo orbi, apportaret.

Numerabatur tunc in medicinae cupidorum coetu HELVICVS DIETERICVS, ex Haſſia oriundus, apud nos philoſophica laurea ante aliquot annos exornatus, Caſpari noſtri Hoffmanni, quanti uiri! aſſiduus auditor: qui quidem etſi Danielis Sennerti fama poſt annum uertentem Vitebergam alliciebatur, noſtrae tamen Academiae numquam reticendam aut obliuioni tradendam, omni potius aeuo oſtendendam, gloriam peperit.

Nam quum ſe corporum ſtructurae per cultrum inquirendae diligentiſſime traderet, rectoque, quo pollebat, et acri iudicio omnia mature conſideraret, tantum profecit, ut ueriſſimum, in quo omnis medicina uertitur, cardinem, ſanguinis puto circularem motum, asſequeretur.

Atque ne nimium tribuere me tunc orienti Academiae aliquis exiſtimet, omnibus cognoſcenda indico diſſertationi ab ipſo hic editae (*) ſubiuncta corollaria, quorum uno aperte profitetur, ſanguinem e dextro cordis uentriculo ad pulmones, a pulmonibus ad ſiniſtrum cordis thala-

(*) Titulus diſſertationi eſt: *Poſitiones medicae de cerebro, ſpinali medulla et neruis.* Praeſes fuit D. Caſparus Hoffmannus. Inter corollaria, ſeu, ut ipſe auctor uocat, προθέματα, quintum huc pertinet: *Galenici negant, ſanguinem a dextro uentriculo per uenam arterioſam et arteriam uenoſam uenire ad ſiniſtrum cordis uentriculum; ego cum Ariſtotelicis adfirmo.* Habita eſt diſputatio CIↃIↃCXXII, menſe Aprili. Dietericus hinc abiit VVittebergam CIↃIↃCXXIV. Plura de hoc uiro, hacque inuentione eius, cupiens, euoluat ab ipſo ſcriptas *uindicias aduerſus Otthonem Tackenium.*

thalamum propelli, hinc per arterias uniuerſo corpori diſtribui per uenoſos canales eo rediturum, vnde ueniſſe eum indicaui.

Quid dici poterat ab omnibus hodie quidem agnitae et receptae ueritati magis conueniens ? quid autem pulcrius de medicae ſcholae Altorfinae exordiis commemorari ? Et ſane dolendum eſt, iuuentutem optimi Dieterici, qui poſthaec ſummorum Regum, Principum et Electorum feliciſſimus archiater fuit, et temporum, quibus effloreſcebat, iniquiorem indolem, quae a receptis Galeni uel Ariſtotelis dogmatibus uel latum unguem recedere piaculum exiſtimabat, uirorumque, quibus ſententiam ſuam propoſuerat, quorumque auctoritati plurimum tribuebat, inconſultas reprehenſiones, effeciſſe, ut quinto nondum ſuperato anno prodiens in Britannia Guillielmus Harueus tanti inuenti immortalem laudem Germaniae noſtrae, ne dicam Altorfinae ſcholae, praeriperet.

At uero ne gloriam nobis tunc quidem inuiſam et manibus excusſam nimis lugeamus, commemorabo Vobis uirum, quem ſeptimo Academiae natali inter ſeptem candidatos primum honoribus exornauit Georgius Noeslerus, numquam ſatis laudandus medicus et de noſtra Academia non minus quam uniuerſa litterarum republica praeclariſſime meritus.

Eſt autem, quem oſtendendum puto, omnibus bonis notiſſimus, et in immortalis memoriae templo iam dudum praecipuo adſcriptus loco, IO. LAVRENTIVS BAVSCHIVS, Reip. Suinfurtenſis medicus et conſul grauiſſimus, idemque per totum orbem merito celeberrimae S. R. I. ACADEMIAE NATVRAE CVRIOSORVM, quae ſub diuo LEOPOLDO fundata, eiusque diuo Filio IOSEPHO inſigni fauore et clementia fota, ſub INVICTISSIMI IMPERATORIS ET DOMINI NOSTRI, CAROLI SEXTI, felici pacatoque imperio tantis auctibus increuit, ut numquam laetius effloruiſſe aut orbi magis profuiſſe uideatur, primus, ut auctor, ſic praeſes digniſſimus.

Amoeniſſimo palmeto ſimilis uidetur mihi nobiliſſima haec uirorum per omnes fere Europae partes, ad doctrinae naturalis et medicinae incrementa omni ſtudio prouehenda, conſpirans et quaſi coniurata ſocietas. Vti uero futuro aeuo potius frugifera, quae plantatur, arbor, quam praeſenti inſeruit; gratiam uero illi omnes habent, qui teneras plantas ſeuit, curamque illarum, donec adoleſcerent, ſollicite geſſit: quis praeſentium, quas publica res medica percipit, utilitatum et fructuum omnium uel praecipuam gratiam non habebit illi, qui tam illuſtrem ſocietatem primus coegit, primusque ſaluberrimis inſtitutis inter ſe ad communis emolumenti ampliſſimum prouentum deuinxit? Et quis uitio Altorfinae medicorum ſcholae uertet, ſi in communionem gloriae huius uenire contendit, quoniam illum, qui tanti boni

auctor communi patriae exstitit, ut prodesse et inseruire posset; quam optime formauit, expoliuit, ornatissimumque orbi uniuerso tradidit?

Neque uero in hoc uno incomparabili uiro triumphamus, nostraeque scholae felicitatem exemplo hoc solo comprobamus. Decimo post Bauschium dimissum anno in hac cathedra immortalis Caspar Hoffmannus noster doctoralibus insignibus exornauit IO. GEORGIVM VOLCKAMERVM, Norimbergensem, qui in hac patriae Vniuersitate honores sibi tribui maxime uoluit, quum prius florentissimis Italiae scholis, ipsum certatim expetentibus, ostendisset trans Alpes etiam formari ingenia, quae diuitiis eruditionis suae admirationi sint ipsis illis, a quibus superioribus temporibus petendum, quicquid litterarum et artium mortalibus admirationi esset et usui, existimabatur.

Hic est, quem Doctorem apud nos renunciatum altero itinere per omnem Italiam Galliamque suscepto exteri, ob raras uirtutes et eximiam doctrinam, admirati sunt et coluerunt: hic est, qui amicitias nostratibus Doctoribus conciliauit cum clarissimo quouis in Italia aut Gallia uiro: qui rariora quaeque inter peregrinandum uisa et collecta cuiuis petenti sine inuidia suppeditauit, ut in publicos usus illa protraherent, quum ipsi quidem grauiora negotia non permitterent, ut scribendo, quantum uellet aut ualeret, sese tradere posset: hic est, quem Casparus Hoffmannus, morti iam propinquus, ut sibi surrogaretur, unice exoptauit: hic denique est, quem omnium conspirantibus suffragiis S. R. I. Naturae Curiosorum illustris Academia PRAESIDEM sibi, post Fehrii pia fata, optauit, elegit, constituit: et qui spartam, quam nactus fuerat, tanta fide, prudentia, auctoritate ornauit, ut nihil reliquum faceret, quod ad immortalem gloriam perducere posset.

Parcant tanti uiri manes, si forte nuda hac et breuissima tot meritorum indicatione detrahere laudibus ipsius summis uidebor, quum satis, ut decet, facere nec uires meae nec tempus permittant. Quis enim dicendi finis futurus esset, si digne exponere deberem, quanta fide et dexteritate tot aegrotantibus in patria, quae huic Aesculapio unice fidebat, nec paucioribus extra illam, succurrerit? quanta humanitate sibi omnium terrae regionum doctos uiros, quos litterarum commercio sibi adiunxerat, tenuerit obstrictos? quanta apud illustrissimos et principes uiros, summumque sacri Romani Imperii monarcham, gratia ualuerit? quantum Academiam amplificauerit?

Haec certe magno uolumini suffectura mihi nunc relinquenda sunt, ut ex reliquis nostrae scholae decoribus breuissime commemorem, quorum gloria praeter ceteros effulget.

Transibo igitur ad illos nostrae olim scholae alumnos laureaeque candidatos, qui digni fuerunt, quibus ab Illustri Academia Caesarea

Nat.

Nat. Curiof. grauis et difficilis labor ephemerides fuas colligendi, inque ordinem redigendi committeretur. Solidam profecto et delibatam eruditionem, iudicium acre, experientiam magnam, incredibilem industriam, auctoritatem non uulgarem poftulat haec cura: ut minime dubitem, omnes, uel me non monente, agnituros effe, quanti fuerint uiri, qui deliberato fociorum iudicio delecti fuerunt, ut DIRECTORIS, quin laborum fuorum arbitri, munere inter tot uiros doctiffimos fungerentur.

Enimuero noftrae Vniuerfitati obtigit illa felicitas, quae nulli ex tot Germaniae fcholis alii, ut tres ordine Directores effent, qui hic ftudiis operam dederunt, neceffariisque fcientiis abunde inftructi lauream reportarunt.

IOANNES PAVLVS VVVRFBAINIVS primus mihi nominandus eft, cui Norimberga non minora debet ob falutis et ualetudinis praefidium, cui periclitantibus et in difcrimine pofitis femper fuit, quam illuftris Academia ob rem fuam ftrenue feliciterque geftam, quamque totus, qui litteras colit et amat, orbis, cui dulciffimum tot a confpirantibus in falutem humanam uiris congeftorum laborum obferuationumque nucleum praebuit. Huic honorum infignia ante hos quadraginta fex annos contulit femper cum laude a nobis commemorandus Iacobus Pancratius Bruno.

Sed ad alterum progredior, qui decimo poft iam laudatum anno in hac cathedra pulcerrime ftetit, et meritiffima eruditionis uirtutisque praemia confequutus eft, MICHAELEM FRIDERICVM LOCHNERVM, quique eodem pie defuncto ad Directoris ephemeridum, Archiatri Caefarei, S. R. I. Nobilis, et S. Palatii Lateranenfis, aulaeque Caefareae et Imperialis Confiftorii Comitis dignitates faftigiumque euectus fuit. Quae uero tanta eft facundia, quae, non dicam digne praedicare, fed leui penicillo fatis adumbrare poffit tot tantasque uirtutes, quae in uno hoc uiro coierunt?

Quare filentio nunc premam reliqua admiranda aeternitatique dudum confecrata eius merita: illud tantum dicam, in uno Lochnero theologum, hiftoricum, medicum, omnisque antiquariae doctrinae, humaniorumque, quas uocant, litterarum promum condum Norimbergam habuiffe, amififfe.

Non immemor illuftris uiri, qui coelitibus adfcripto Lochnero in nobiliffimo munere Directoris nuper fucceffit, et eam prouinciam, quod longiffime fiat, cum fumma diligentia et dignitate adminiftrat, ab Academiae N. C. Praefidibus et Directoribus nunc progredior ad clariffimos Profeffores atque Doctores, qui, cum artem apud nos didiciffent, comprobatique et publico teftimonio muniti effent, in celeberri-

berrimis Academiis illuſtribusue Gymnaſiis magno diſcentium emolumento, ſcholarumque eximia gloria, ſalutis humanae praeſidem artem docuerunt.

Tam mihi ſe amplus hic pandit dicendi campus, ut multitudinem dicendorum recte quidem uideam, magnitudinem uero uirorum, pulcritudinem meritorum, gloriamque in nos cumulatiſſime redundantem uerbis, in tanta temporis breuitate, cui mea in dicendo tenuitas accedit, digne effari omnino deſperem.

Dicam itaque ſimpliciſſime, et ſine adſcititiò uerborum ornamento rem, quae ſe ipſa commendat, paucis exponam. MAVRITII HOFFMANNI uenerandum nomen quis, non dicam noſtratium, ſed in uniuerſa Europa ignorat? Eum ſcilicet, qui iuuenis in Academia Patauina ductum pancreaticum primus uidit, et Io. Georgio VVirſungo praemonſtrauit, quemque uirum, ob praeclariſſimam in medendo artem felicitatemque, certatim ſummi Principes et Electores ſibi adſciſcere ſtuduerunt; quae non ultima laus eſt: ſed longe maior, quod Academiae noſtrae, ſtudiorum ſuorum matri, per quinquaginta integros annos, ſumma fide diſcentiumque incredibili fructu, maximaque gloria noſtra ſuaque, inſeruiuit, Floram coluit, per cultrum Philoſophos formauit, theatrum anatomicum fieri ab illuſtribus munificentiſſimisque DOMINIS CVRATORIBVS exorauit facileque impetrauit, impetratum ſceletis pluribus tabulisque elegantiſſimis impleuit, circulationis ſanguinis doctrinam primus huic ſcholae intulit, quum qui ante ipſum et cum ipſo tunc uiuebant, cunctarentur ueritatem hanc agnoſcere et publice profiteri.

CHRISTOPHORVM NICOLAI, Norimbergenſem, etiam formauit et Doctorem fecit noſtra Academia, eundemque Profeſſorem artis excellentiſſimum per decem admodum annos habuit: maturius enim, quam mereri uidebatur, nobis fato ereptus eſt.

IACOBVM PANCRATIVM BRVNONEM, Altorfinum, Academia haec non ſolum genuit, educauit, docuit, honoribusque ornauit; ſed Patrum deinceps numero adſcriptum per quadraginta ſeptem annos uenerata eſt optimum, celeberrimumque artis Doctorem, decus immortale et ſplendidiſſimum.

IOANNEM LVDOVICVM APINVM, Oeringenſem, doctrina, arte, uirtutibus et meritis inſigniſſimum et excellentiſſimum uirum, eadem haec cathedra, quae ipſum Doctorem olim dimiſerat, Profeſſorem diſertiſſimum ſuſtinuit; ſed, quae fatorum fuit neceſſitas inexorabilis, nondum biennio exacto, amiſimus.

Quo autem laudis praeconio ſatis exornabo opidi Academiaeque noſtrae ſplendidiſſimum maximumque decus, IO. MAVRITIVM HOFFMANNVM, Mauritii filium, tot nominibus noſtrum, tot nominibus

perpe-

perpetuo uenerandum? Dies me deficeret, ſi uel intrare hanc commemorationem auderem: ſi dicere deberem, quanta ſedulitate et dexteritate anatomen docuerit, quam feliciter Chemiam introduxerit in hanc Academiam, quantum ad amplificandum hortum academicum induſtriae adhibuerit, quae praeclara in lucem ſcripta ediderit, qua felicitate artis opera apud infimos, medios, maximosque fecerit, qua auctoritate floruerit, quas dignitates et quantas meruerit et conſequutus ſit. Ab horum longa expoſitione et tempus, et mea in dicendo imbecillitas, et, quod maximum eſt, modeſtia ſumma uiri, cui ob honorificam praeſentiam obſtricti ſumus, me prohibent.

Tranſeo igitur ad excellentiſſimos medicinae Profeſſores, qui, quum apud nos didiciſſent et honoribus macti eſſent, aliis Academiis Gymnaſiisque illuſtribus inſeruierunt, aliqui etiam hodie cum ſumma laude inſeruiunt. IRENAEVM VEHR Francofurtenſis ad Viadrum celeberrima Academia nobis debuit: ANDREAM PETERMANNVM florentiſſima Philyrea a nobis accepit: PANCRATIVM VVOLFFIVM alma Fridericiana a nobis habuit: CONRADVM PHILIPPVM LIMMERVM illuſtri Gymnaſio Serueſtano dedimus: GEORGIVM DETHARDINGIVM nobiliſſima Roſtochienſium Academia nobis refert in acceptis: BERNHARDVS MATTHIAS FRANCK patriae Kilonienſi Academiae a nobis transmiſſus eſt: quos uiros, utpote toti orbi notiſſimos, nominaſſe ſufficiat.

Quod ſi deberem nunc immortalem gloriam ſcribendo nactos recenſere et laudare, ad dicendi finem haud liceret peruenire. Cogitate, quaeſo Vos A. O. O. H. quanti fuerint uiri, quantaque gloria fruantur PAVLVS FREHERVS, GEORGIVS ABRAHAM MERCLINVS, pater et filius, MICHAEL RVPERTVS BESLERVS, IOANNES GEORGIVS VOLCKAMERVS, filius, BARTHOLOMAEVS ZORNIVS, ROSINVS LENTILIVS, IO. ABRAHAM MERCLINVS, CAROLVS RAYGERVS, qui ſibi uicturis perennaturisque libris immortalem gloriam pepererunt.

Si porro ſummorum Principum et illuſtrium Rerumpublicarum florentiſſimos Archiatros oſtendere uellem, omnino fine carituram telam exordirer. Quantus olim per Franconiam et Sueuiam Aeſculapius cluebat IO. FRID. BILGERVS? quantus Norimbergae CHRISTIANVS HALBACHIVS? quis GODOFREDI STEINII eximiam gloriam ignorat? aut IO. HENRICVM BVRCHARDVM? quis tot hodieque florentes alios uiros, quos colimus et admiramur? Sed me breuitatis neceſſarium ſtudium prohibuit omnium inire numerum: quare neminem omnino uel attingere ſtatui ex tot florentiſſimis uiris, qui honores inde ab ineunte hoc ſaeculo decimo octauo petierunt, impetrarunt, ne dicendorum multitudine omnino obruerer.

Vidiſtis, O. O. H. A. quantum ſummo Numini noſtra etiam Facultas medica debeat gratiarum, cuius unius immortali beneficio grati tribuimus, quod tam proſpero rerum ſucceſſu gauiſi ſumus: non enim oſtentandi, ſed DEVM grato animo celebrandi cauſa hanc recenſionem fecimus: ſimul uero ut ILLVSTRES GENEROSISSIMIQVE DOMINI NVTRITORES NOSTRI, Maecenates munificentiſſimi, intelligant, quantopere uniuerſo orbi profuerint, et continuo proſint, Vniuerſitatem hanc ſuam tam munifice, tam gratioſe fouentes atque ſuſtentantes.

Quod ſupereſt, accingo me nunc negotio, quod mihi demandatum eſt, ut octo laureae medicae Candidatis, Viris nobiliſſimis, doctiſſimis atque experientiſſimis, honores meritiſſimos tribuam. Te igitur,

VIR MAGNIFICE, PERQVAM GENEROSE ET CONSVLTISSIME, DOMINE GEORGI CAROLE VVOELKERE, ICTE CONSVMMATISSIME, DIVERSORVM S. R. I. PRINCIPVM ET STATVVM, ALIORVMQVE IMMEDIATORVM, AC INPRIMIS PERILLVSTRIS REIP. NORIBERGENSIS, CONSILIARIE PRIMARIE, COMES PALATINE CAESAREE, VNIVERSITATIS HVIVS PROCANCELLARIE GRAVISSIME, DOMINE ET PATRONE OMNI OBSEQVIO COLENDE,

rogo, ut pro ea, qua polles, auctoritate, poteſtatem mihi, brabeutae legitime conſtituto, facias, iam antea a TE probatos uiros, licentiam ſecundum ſcita et praecepta legum nactos, Dominos

GVILIELMVM EMANVELEM FOERSTERVM, *Onoldinum*,
IACOBVM CHRISTOPHORVM SCHEFFLERVM, *Altdorfinum*,
AVGVSTINVM PVCHNERVM, *VVollino-Pomeranum*,
IOANNEM MATTHIAM FRAVENDIENERVM, *Vlmenſem*,
GEORGIVM EPHRAIM SCHMID, *Herrenſtadio-Sileſium*,
IOANNEM ALBERTVM GESNERVM, *Ahuſa-Onoldinum*,
ERNESTVM FRIDERICVM IVSTINVM HEIMREICH, *Iſenacenſem*,
SIGISMVNDVM MAYOOR, *Caſſouia-Hungarum*,

ſollemnibus cerimoniis et ritibus in Doctores Medicinae creandi, omniaque iura et priuilegia Doctorum conferendi. Hunc tantum fauorem noſtrae Facultati, Dominis Candidatis, mihi, exhibitum grata mente omnes agnoſcemus, demererique ſtudebimus.

VIIII. *ORA-*

VIIII.

ORATIO

GEORGII CAROLI VVOELCKERI,

MAGNIFICI ACADEMIAE PROCANCELLARII,

in Panegyri saeculari, pridie Cal. Iul. A. cIↄ Iↄcc xxiii habita, qua tribus DECANIS facultatem DOCTORVM sui cuiusque Ordinis creandorum concessit.

* *

Praemissa compellatione.

QVum in splendidissima hac panegyri, solennissimoque et auspicatissimo incluti huius Lycei festo seculari, ut uerba itidem faciam, officii ab illustris REIPVBLICAE NORINBERGENSIS SENATV, in primis uero ab illustribus DOMINIS HVIVS ACADEMIAE CVRATORIBVS, mihi concrediti, ratio, spectatissimorumque Dominorum Brabeutarum et Decanorum beneuolae admodum et humanissimae compellationes exigant; quid aequius, quidue tempori, ipsiusque festiuitatis instituto, conuenientius, erit? quam de AVGVSTISSIMI IMPERATORIS nostri summa tum in Ill. Reip. nostrae Patres, tum per Hos, utpote inclutae huius Vniuersitatis Fundatores, Nutritores, et Patronos munificentissimos, nobis exhibita clementia, largissimeque collatis priuilegiis, non differere tantum, eaque, quantum et animo et uerbis, pro uirium et eloquii imbecillitate licet, depraedicare et extollere, sed eorum etiam, et uel maxime, qui derogare SACRATISSIMAE MAIESTATIS uel potestati, uel lautissime concessorum priuilegiorum efficaciae, scriptis factisue non uerentur, irritis conatibus et obiectionibus, quantum fieri potest, obuiam ire, et exaduerso Augustissimi atque supremi Imperii Capitis iura asserere et uindicare. Et prius quidem illud, cum et hesterno die, non in aedibus sacris solum, sed hoc ipso celeberrimo et publico loco, fulgentissimoque Consessu, tum a maxime Reu. Dn. Ministerii Antistite, tum facundissimo Oratoriae Dn. Professore, imo et nunc etiam a spectatissimis Dnn. Brabeutis et Decanis, prolixe fuerit actum, humillimaeque insimul gratiae, ac deuotissimae preces, tum pro CAESAREAE MAIESTATIS saluberrima incolumitate, tum Ill. Reipubl. Patriae perennatura salute ac felicitate, nec non, sub Augustissimo tutamine, ac incluti SENATVS NORICI prudentissimo regimine ac moderamine, pro ulteriori ac perpetuo Athenaei nostri flore ac incremento, iunctis animis uotisque, fusae atque actae sint, eas hic repetere, auresque et patientiam uestram, A. H. fatigare, superfluum et molestum duco; DEVM tamen, omnium bonorum, et horum etiam otiorum, summum ac primum fontem, autorem et datorem, ardentissimis suspiriis iterum iterumque inuoco, ut piissimis hisce precibus calidissimisque uotis nostris clementissime annuere, iisque felicissimum, et ipsis etiam desideriis maius atque largius complementum mitissime uelit impertire.

Ceterum, quamuis non unanimis tantum ICtorum consensus, sed uniuersi Imperii nostri Romano-Germanici etiam constitutiones et praxis, ut et summorum Eius iudiciorum usus ac obseruantia, liquidissime semper docuerint, ac etiamnum doceant, AVGVSTISSIMO IMPERATORI, praeter communicata cum singulis Statibus iura, sublimia quaedam, et ad uniuersi praecipue Imperii gubernaculum, non uere unius tantum territorii districtusue regimen spectantia, omni tempore fuisse et adhuc esse reseruata; et huc praecipue tum collationem priuilegiorum, et in specie Academicorum, tum dignitatum, earumque non Regalium, Principalium, et Illustrium tantum, sed graduum et Honorum Academicorum etiam, quin et Comitiuae, quam uocant, Palatinae, et insignium, quae ei competere et benignissime concedi solent, maximi momenti beneficiorum, pertinere constet: non desunt tamen hodie, qui de sublimibus illis SACRATISSIMAE MAIESTATIS iuribus, alia omnia statuere non dubitant; ita, ut alii illa pro iuris Romani reliquiis, alii pro umbraticorum hominum commento habere, nec distinctionem aut oppositionem inter Imperatoria reseruata et Serenissimorum Imperii Principum, aliorumue Statuum iura territorialia admittere; alii autem, quos aliqua adhuc erga Summum ac Augustissimum Imperii Caput reuerentia, et uis simul ueritatis, eo usque delabi nondum passa est, non pro sibi a Caesare reseruatis, sed a Serenissimis Imperii Principibus Maiestati Eius tantum non precario relictis uenditare, insimul autem, ui ac dignitati eorum detrahendo, pro leuioribus saltem, nec magni in republica momenti haberi ea ac numerari satagant. Vt alia omnia taceam, erectionem Academiarum, creationem Doctorum, Notariorum, etc. a quibusdam haud obscure iuribus territ. accenseri uelle, (quum tamen extra eius limites effectum eis adscribere uix ipsi omnes audeant) quis est nostrum, cui id non diu multumque iam innotuerit? summae sane et reseruatae AVGVSTISSIMI IMPERATORIS nostri potestati, ius legitimandi ex illicitis congressibus natos, nec non famae restituendi eos, qui delictis suis infamiam incurrerant, per Delegatos ad id Comites Palatinos, in Comitum quidem et Ciuitatum Imp. terris, ualide et cum effectu exerceri, in Principum autem aliorumque superiorum Statuum territoriis, nec admitti posse, nec deberi, aliquos, non tantum intra priuatos parietes, sed et publice profiteri et in dubium uocare, quis non miretur? Quo de argumento ut paucis hac uice disseram, et in eas, quae ab huius sententiae propugnatoribus afferuntur, causas et rationes nunc aliquatenus inquiram, tanto magis non solum me obstrictum, sed et Vos, A. H. placidiori animo, benignioribusque auribus, id accepturos, arbitror, quanto magis Vobis fere omnibus ac singulis cognitum atque compertum esse censeo, ab AVGVSTISSIMO, gloriosissimae memoriae, IMPERATORE LEOPOLDO, inclutae huic studiorum Vniuersitati, inter cetera, clementissime concessa, et ad creationem Doctorum in Facultate Theologica peragendam A. 1697 quoque extensa priuilegia, illud etiam singularis ornamenti accessisse augmentum, ut officio, quod ab Illustri SENATV NORICO mihi collatum exerceo, ProCancellariatus nimirum Academici dignitati, potestas et facultas, quae Comitibus Sacri Palatii et Consistorii Caesarei tribuitur, perpetua etiam et ad successores muneris uel officii nostri transiens, clementissime fuerit addita; cuius iura,

ut

ut contra eos, qui ſine iuſtis rerum argumentis iis derogatum eunt, ſaluis per omnia iis, quae Sereniſſimis Principibus per leges publicas, aliasque Imperii ſaluberrimas conſtitutiones competunt ac debentur, iuribus ac ſummis priuilegiis, ſaluaque humillima, quae ipſis a me debetur, nec usquam aut unquam ſeponetur, reuerentia, defendam atque propugnem, mearum omnino partium eſſe, imo hoc praecipue tempore, quo Auguſtiſſimi in hoc celeberrimum Lyceum collata ſplendidiſſima priuilegia, gratiaeque et condecorationes, gratiſſimo animo ſubiectiſſimoque cultu, memorantur et recoluntur, mihi prorſus incumbere, quis dubitabit?

Inter palmaria eorum, qui SACRATISSIMI IMPERATORIS noſtri ſummam in Imperio poteſtatem, et iura inde Ipſi ſpecialiter reſeruata, uel negare prorſus, uel imminuere, et inter communicata, ut communiter audiunt, cum Statibus iura omni ſtudio referre tentant, argumenta; immeritae, quibus contra receptionem Iuris Romani Iuſtinianei, eiusque abuſum, acerbiſſime depugnant, inuectiuae uel primum locum ſibi uindicant; utpote cui receptioni, non tantum Reinkingii, aliorumque, formam Imperii noſtri pro mere ſimpliciterque monarchico uenditantium, ipſi rei euidentiae et quotidianae praxi, (ne quid de Imperii Conſtitutionibus dicam) parum (quod omnino fatendum) congruam ſententiam, ſed et ipſorum reſeruatorum nomen, originem, et, qui eis tribui ſolet, ac quotidie ipſo facto ſeſe exerit, effectum, adſcribendum eſſe cauſantur. Ego, uti inter AVGVSTISSIMI CAESARIS noſtri poteſtatem, et eam, quae Romanis olim, et Conſtantinopolitanis Imperatoribus, atque ante eos, in ſtatu democratico, populo uniuerſo, competebat, autoritatem, inſignem intercedere differentiam, facile agnoſco, nec indiſtinctam, quae a compluribus incongrue fieri ſolet, iuris Iuſtinianei, ad omnia et publica praeſertim negotia applicationem, abſolutamue et illimitatam receptionem ſtatuere, multo minus eos, qui quosdam in eo (quanquam et hoc ſaepe non ſatis ex merito) taxant, naeuos reprobare et redarguere geſtio: ita diuerſimode eos, qui contra reſeruata Caeſarea eiusmodi telis pugnare conantur, errare animaduerto. Etenim, quum aliqui eorum prorſus negare non dubitent, Imperium noſtrum Romano-Germanicum unquam uere monarchicum, ſed iam CAROLI MAGNI, et ſubſecutis temporibus, ariſtocratice, ut ita dicam, quodammodo gubernatum fuiſſe aſſerant, adeo, ut iam tunc ſummi Proceres et ſucceſſiue Status alii, non in conſiliorum tantum et ſuffragiorum, ſed etiam in poteſtatis conſortium fuerint admiſſi, indeque ſuperioritatis territorialis primordia ſint repetenda: ita hos omnis aeui, inprimis uero, quae ad tempora fere magni illius interregni tradita et edita ſunt, ſeculorum monumenta, ſatis non ſolum refellere; uerum etiam eos, numero admodum paucos, et plerumque perplexe nimis ac ſubobſcure, quam dilucide ſatis animi ſenſa ſententiamque heic proponere deprehendimus, ut et ideo in refutandis hisce opinionibus operam ulterius impendere, nec per temporis anguſtiam liceat, nec lubeat.

Quemadmodum uero ex iure Iuſtinianeo, Auguſtos tum uel ſibi arrogaſſe, uel a Proceribus aut ICtis attributam eis monarchicam poteſtatem, non ſine maximo ἀνιστορησίας naeuo aſſeri poteſt; cum illud non CAROLI M. tantum et ſucceſſorum temporibus, ſed usque ad

seculum XIII et fere XIIII, in Gallia aeque ac Germania, uix satis cognitum, multo minus receptum fuerit; quin et ipsa in Italia Langobardicae magis quam Romanae leges ualuerint; Imperatorium autem nomen atque fastigium et iura CAROLVS M. iure magis belli, et ui a populo Romano per electionem postmodum ipsi tributae summae potestatis, quam quopiam alio ex legibus forte Iustinianeis descendente, titulo acquisiuerit: ita ex hac eadem causa dubitandum, quod reseruatorum origo Romano Iuri a quopiam iure meritoque adscribi possit, imo etiam ab iis uelit, qui ad textus nonnullos inde depromtos prouocant, cum id illustrationis plerumque potius causa fieri appareat, quam ut ea, quae ex natura summae, nec unius alteriusue Status districtui et limitibus circumscriptae, sed per uniuersum Imperium se extendentis Maiestatis et potestatis, necessario et per se fluunt, adeoque quouis tempore, ab omni imperante, cuiuscunque regni, exercita fuisse indubium est, demum a 300 uel 400 annis beneficio LL. Romanarum Caesaribus competere, quemquam serio statuere arbitrer. Haec uero iura eius esse naturae ac qualitatis, ut neque summis Imperii Principibus aliisue Statibus ea exercendi facultas extra territorium tribui, adeoque neque extra eorum fines, neque aliis communicari, aut soli superioritati territoriali adscribi possit, ex infra dicendis patebit.

Verum enimuero, cum plerique, qui S. MAIEST. CAES. sublimibus reseruatis tantopere derogare allaborant, et rem ipsam tamen, uim ac uirtutem eorum, abnuere nequeunt, nihilo minus detrahere pro uiribus ei, et uel nomen sugillare studeant, dum ea non ab Augustissimo sibi reseruata, sed a Statibus ei relicta, eoque titulo insignienda asserere conantur, inter quos iam olim personatus ille Hippol. a Lapide et Monzambanus agmen duxerunt: ita, quanto magis in ipsorum argumenta, causas et rationes inquiritur, eo magis deprehendere licet, quod plerique eorum ui ueritatis et lumine historiarum adacti, tandem confiteri coacti fuerint, iura Potentatus et Superioritatis territorialis Principum, non simul ac semel, multo minus sub ipso CAROLI M. Imperio coepisse, sed splendorem et incrementa, quibus hodie eminent, tractu temporis, sensim et sine sensu quasi accepisse; ita, ut intelligi uix potuerit, quantum quoquo temporis interuallo ipsis, per incrementum quasi latens et modum alluuionis, aliquid accesserit. In cuius rei maiorem euidentioremque ueritatem, licet plura adhuc et maiora, imo ex ipsis contraria asserentium scriptis desumta argumenta proferri et adduci possint; studio tamen, eoque lubentius ea praetereo, quanto minus intelligi et ex historiarum seculorumque monumentis illud probari potest, quod aliqui adhuc non sine magna in summos ipsos Principes iniuria, uenditant, ut, licentiam nempe pro magnanimitate, imo pro libertate et iure asserentes, sublimia et complura Statuum iura, ui, armis, aliaque illicita ratione, sibi ipsis tributa, exigua uero reliquaque minoris momenti iura CAESAREAE MAIESTATI precario quasi iure, cessa et relicta fuisse, autument. Sicuti enim omnis et medii praesertim aeui historiae, satis affatimque testantur, iam inde ab OTTONVM temporibus summam Imperatorum benignitatem ac liberalitatem, iura quaedam, et successu temporis plura et maiora sponte, adeoque non ui aut armis adactam (nisi forte de turbulentis HENRICORVM temporibus, et Pontificum R. uiolentis brutisque fulminibus dici aliquid uelit,

uelit, ubi tamen, imo diu adhuc post haec tempora, modernus Superioritatis territorialis status et nomen ignorabatur,) Statibus concessisse et communicasse, at ea maxime, quae ad regendas terras, ab Augustissimo feudi nomine acceptas, subditosque suos tuendos, eorumque felicitatem promouendam pertinebant: reseruata sibi et retenta in iis, quae non unius alteriusue districtus aut prouinciae gubernationem, sed uniuersi Imperii corpus ac ciues, eorumque tam emolumenta, praemia, et dignitates, quam promerita dedecora et poenas respiciunt, potestate: ita contraria ex parte, eo firmiori, quantum arbitror, talo stabit, Lampadii, Kulpisii, aliorumque, ex ipsis Imp. Constitutionum fontibus deducta regula: Omnia imperandi iura Caesaris esse propria, in quorum communionem Ordines per Capitulationes, Recessus, aliasque Imperii leges, non sunt adsumti; quam firmam utique, historiaeque Status in Imp. R. G. apprime conuenientem, ac proinde (non autem ex Iuris demum Iustinianei, quod sinistre obiicitur, scitis,) Doctoribus quibusuis probatam nominat Itterus (*); non obstantibus quibusdam in recte enumerandis, distinguendisque, reseruatis hisce adhuc occurrentibus difficultatibus. Nec nisi frustra obiicitur, nomen Reseruatorum uix, nec nisi unica uice, in ipsis Imperii Recessibus inueniri: uel enim is solus locus ad eorum tum essentiam, tum uiridem obseruantiam, confirmandam sufficit; res ipsa uero per omnes fere Constitutiones, et aliis sub nominibus, in specie *Kaiserl. Hoheiten*, etc. diffuse patet ac se exserit: quin et ipsi dissentientes quidam, ea, quae in tractatibus Pacis VVestphalicae hac de materia actitata prolixe recensentur, dissimulare non possunt.

Non iniuria ergo obstrepentibus id ipsum, quod illi contra eos, qui ideo Ius Romanum allegant, occinunt, reponetur: *Legem, textumue, aut in eo nomen expressum quaerere, ubi adest ratio naturalis, et euidentia rei, est infirmitas intellectus.* At enim, inquiunt, quid opus est, ea reseruatorum Caesareorum nomine insigniri, quae summos Imperii Principes in suis territoriis parili iure et posse, et quotidie exercere, uidemus? Mirari hic primum lubet, eo quosdam progredi, et dum S. CAESAREAE MAIESTATIS sublimia iura atque autoritatem nimium imminuere tentant, eoque potissimum animo in fautores sententiae, ei Monarchicam potestatem tribuentis, inuehunt, in contraria propemodum commenta prolabi, ut Serenissimis Proceribus non analogam tantum, et Caesareae proxime accedentem, (quam eis competere nemo est, qui inficias eat,) sed uere summam, omnibus numeris absolutam, Regiam, et Caes. Maiestatem comiter quasi ob solum nexum feudalem tantum uenerantem, asserere non uereantur: licet nullis uel sanctionum Imp. uel quotidiani usus et praxeos fundamentis fulciantur: Imperii autem nostri formam, nec Achaicae olim aliquot ciuitatum, quod praetendunt, nec hodiernis Heluetorum Batauorumque Rebuspublicis solis foederum nexibus inter se unitis, accedere in propatulo sit; sed indubiam etiam summorum Procerum ab Imperatore et Imperio dependentiam omnes Constitutiones loquantur. Moderatius et reuerentius illi procedunt, qui uulgato saltem brocardico nituntur, tantum posse quemlibet Statum, imo plus in quibusdam in suo territorio, quantum Imperator potest in Imperio.

(*) *de Grad. Acad. c. 6. §. 3.*

Verum et hanc regulam iisdem, quibus aliae, fatis, limitationibus nimirum compluribus esse subiectam, quis neget? cum tamen non soli, (quod illi arguere solent) Doctores et Professores Academici, legum Iustinianearum praetenso errore ducti, sed ipsae Imperii Constitutiones pragmaticae, Aurea Bulla, Recessus Comitiorum ac Deputationum, Instrumentum Pacis VVestphalicae, Capitulationes Caesareae, et Comitiorum summorumque Imperii Iudiciorum praxis, dilucide doceant, permulta esse, quae non quoad uniuersum tantum Imperii corpus, sed etiam quoad Statuum summorum territoria, singulis et solis eorum Dominis cum effectu iuris exercere non liceat, sed multa, a solo AVGVSTISSIMO IMPERATORE intra territoria peti, nec ciuilitatis tantum, reuerentiae, aut beneuolentiae ratione indulgeri saltem a Statibus, aut conniueri, (quod quidam in specie de Comitis Palatini functionibus causantur) alia a Maiestate Eius cum Potentissimis Electoribus, demum alia non nisi Comitiali consensu accedente, expediri debere, et solere; quae singulatim et per classes recensere nec instituti et temporis ratio nunc patitur, et a Iuris publici Doctoribus diffuse dudum et distincte tradita sunt. Quin nec ea, quae uigore iuris Status inter suos, et districtus sui limites exercentur, et Imperialibus reseruatis proxime accedunt iura, eodem et parili effectu, quo ab AVGVSTISSIMO IMPERATORE, per uniuersum Imperium, et in ipsorum Principum territoriis, quandoque etiam ad ipsorum requisitionem, exercentur, gaudent. Id quod quidam admodum prudenter obseruarunt, inquientes: *Licet Imperii Status subditis suis, ui iurisdictionis territorialis, ueniam aetatis et similia concedere possint, haec tamen potestas in Imperio eo augustior est, quo purior, ut a fonte, eo amplior, quo latius se extendit, et eo dignior, in quo illustriores personas, nempe ipsos etiam Imperii Status, exercetur.* etc. Insignia sunt, sed prolixiora, quam quae integra huc transscribi possint, uerba Ill. Dn. Bar. de Lyncker, quum post longam allegati brocardici explanationem, uariasque distinctiones, ita (**) disserit: *Status fere ea in suis territoriis, aemula potestate, expediunt, quae fruendae iustitiae rationem, et necessarium prouinciarum regimen concernunt: atque eo in terris suis patrimoniali iure fruuntur: reliqua Caesari retenta sunt: neque inde quicquam per concessionem Superioritatis in Statum transit, ut nec omnia habet is, qui superiorem non recognoscit.* etc. Neque ergo idem plane potest Status, sed secundum quid, dum potestatem Imperatoris per partes exercet in suis terris, quoad iura concessa; quamuis non amplius, ut olim, uicario aut administratorio, sed proprio iure et perpetuo. Et paulo ante: *Sicut quilibet in sua domo facere potest, quod Princeps in principatu, quoad potestatem nimirum oeconomicam: ita ante omnia modus in Principum superioritate supponendus est.* etc.

At enim obiicitur: iura Status et Superioritatis priuatiue, uel subordinate saltem, non cumulatiue, cum Imperatoris concursu, concessa sunt Proceribus, quibus per praetensum reseruatorum exercitium non potest non inferri praeiudicium. Verum, ut taceam, subordinationem illam Caesareae Maiestati hactenus non officere, (uerba sunt illustris Lynckeri, p. 44.) et nihilominus illam fundatam habere intentionem in mediatos, qui et ipsi subsunt, R. A. 1564. §. 23. et sub illius protectione uiuunt, sed per ordi-

(**) in Tract. *de Superiorit. territor. p.* 84. *seq.*

ordinem imperii et gradus, nec illud de ſumma AVGVSTI aequanimitate uſquam praeſumendum; ut per uiam gratiae ſubdito in praeiudicium Domini aliquid concedere, et relegatum, uerbi cauſa, uel bannitum, famae patriaeue, a qua eiectus, citra Domini conſenſum reſtituere uelit: quod ſi autem per uiam iuſtitiae, oppreſſo ad ſe confugienti, et conceſſa iuris media adhibenti, ſuccurrere uelit, non eſt, quod ex iuſtitiae adminiſtratione, a ſupremo iurisdictionis fonte profecta, de iuribus territorii uiolatis aut imminutis conqueri quisquam iure poſſit, et ſummorum Imperii Dicaſteriorum cognitioni Proceres omnes, in cauſis etiam ſubditorum eo recurrentium et prouocantium, eſſe ſubiectos, nec ii negant, qui reſeruata Imperatoris impugnare non dubitant: ex hac autem uel ſola ſummae prouocationis agnitione, et ex eo praeterea, quod nec in Comitiis trium Collegiorum Concluſa, absque accedente Decreto et approbatione Caeſarea, Imperii Legem conſtituere et efficere poſſint, aliisque, tum reſeruatorum Maieſtaticorum exiſtentiam indubiam, tum dependentiam Procerum Superioritatis, ſatis colligere licet. De ſimilibus ſimile erit iudicium, et prolixe huiusmodi aliisque obiectionibus dudum ſatisfecit, reſeruatorumque exercitium in Statuum terris deduxit ſaepius laudatus ill. Dn. B. de Lyncker. Mihi enim hac uice diffuſiorem eſſe non licet; ideo ad ea pergendum eſt, quae feſti huius ſolennitas, ſpectatiſſimorumque Dnn. Decanorum petita, exigunt.

Tibi autem ante omnia, o aeterna atque infinita Sapientia, omnis, quae usquam aut unquam uel quaeri et exoptari, uel quaeſita et impetrata depraedicari poteſt, ſcientiae, prudentiae ac doctrinae fons ſimul atque autor ac dator benigniſſime, Summe ac Triune DEVS! Tibi, inquam, primum et ante omnia ardentiſſimas, quae mente unquam concipi poſſunt, laetus lubens laudes ago, grates gratiasque habeo, quod per integrum iam ſeculum, ſub Auguſtiſſimis SACRATISSIMORVM IMPERATORVM auſpiciis, ſimul ac munificentiſſima pariter ac prudentiſſima, indefeſſa atque plus quam paterna PERILLVSTRIS SENATVS NORICI, et ILLVSTRIS praeprimis COLLEGII uigilantiſſimorum DNN. huius incluti Athenaei CVRATORVM directione, cura atque moderamine, hanc Muſarum omnisque generis ſcientiae ſedem ac palaeſtram non ſartam tectam tantum conſeruare, ſed indies magis effloreſcere, totque ac tanta in omnes terrarum partes, Eccleſiae, Curiae, Salubritatis, Scholarumque lumina ex ea prodire iuſſeris; nunc autem ea etiam felicitate nos beaueris, ut nouum quoque ſeculum ab inauguratione ſplendidiſſima tot merentiſſimorum Dnn. Candidatorum in omnibus, quas uocant, ſtudiorum facultatibus fauſtiſſimo omine ordiri nobis liceat. Serua porro, SVMME DEVS, AVGVSTISSIMVM IMPERATOREM, cum SERENISSIMA ARCHIDVCALI DOMO, nec huius finem ante mundi finem accidere permitte, ſed imperium potius, ac perennem, etiam uota transſcendentem, proſperitatem ſine fine largire: ſerua etiam PERILLVSTRES PATRIAE NOSTRAE PATRES uniuerſos, et uigilantiſſimos praeſertim huius almae Vniuerſitatis DNN. CVRATORES atque Paraſtatas: quibus de feliciſſima, quam heri et nunc ſub glorioſis Eorum auſpiciis celebramus, ſolennitate ſeculari, deuinctiſſimo atque laetiſſimo ſimul animo impenſiſſime gratulor; Eosque, et generoſiſſimas Eorum Familias, cum Republica integra, quotidiano omnis generis et proſperitatis incremento perpetuo augeri ac mactari apprecor; ſerua denique

Nnn 2 floren-

florentiſſimum hoc Lyceum, cum omnibus ac ſingulis ſingularum diſciplinarum atque ordinum celeberrimis Dnn. Profeſſoribus, quibus pariter de dierum horum feſtiuitate ex animo gratulor, felicitatemque ad uota fluentem, ac non ad decus ſolum, ſed inuidiam indies augeſcentem florem, ornatum ac incrementum, ſtudioſae autem praeſertim iuuentuti, Spiritus Tui Sancti lumen atque ductum, profectus etiam et fructus ſtudiorum uberrimos, concede clementiſſime. *Saluum fac populum Tuum, DOMINE, et benedic hereditati Tuae, et rege eos, et extolle eos usque in aeternum!* Fac rata uota DEVS! quibus ita praeuiis, ſub indubia, de eorundem diuina exauditione, fide, nunc, quod DEVS T. O. M. pariter felix, fauſtum, nobisque et poſteris omni ex parte auſpicatum eſſe iubeat, Tibi primum, Vir maxime Reuerende atque Ampliſſime, Domine IOH. IACOBE PFIZERE, SS. Theologiae Doctor ac Profeſſor Publice, nec non Verbi diuini Miniſter meritiſſime, Ordinis Tui h. t. Brabeuta ſpectatiſſime, uigore priuilegiorum a clementiſſimis CAESARIBVS illuſtri REIP. NOR. et ſub Eius directione inclutae huic Vniuerſitati conceſſorum, autoritate illuſtr. DNN. SCHOLARCHARVM, huius incluti Lycei CVRATORVM COLLEGII, officii ratione, eam, quam deſideras atque expetis, facultatem largiſſimam impertior, ut Viros maxime Reuerendos, atque compluribus in Eccleſiam et rem literariam meritis dudum conſpicuos,

DN. IOH. LAVRENTIVM IANVM, *Solisbaco-Palatinum, Comitatus Hohenloici Superint. etc.* ſonticis ex cauſis abſentem, tanq. praeſentem,

DN. M. MARTINVM FRISIVM, *Ripenſem, Profeſſorem iam Theol. in alma Holſatorum Kilonienſi Publ. ordinarium meritiſſimum,*

Doctores Theologiae rite crees et pronunties:

Pariter Tibi, Praenob. atque Conſult. DN. IOH. GEORG. FICHTNERE, ICte conſummatiſſime, Reip. Nor. Conſiliarie grauiſſime, Pandect. in hac alma Palaecome Prof. P. celeberrime, Magnifici Ordinis Tui h. t. ſpectatiſſime Decane, rogatam a me ex eadem autoritate et officii ratione licentiam do atque largior,

DN. IOH. ADAMVM BECK,

DN. IOH. IACOBVM STOER, *Norimbergenſes, in patria Aduocatos ordinarios,*

DN. IOH. FRIDER. ETTMVLLER, *Zittau.* iuſtis ex cauſis abſentem,

DN. GEORG. DANIEL. PRAEBES,

DN. CAROL. FRIDERICVM KHOL,

DN. PAVL. LVDOVICVM HVTH,

DN. PETRVM ANTON. BECHMANN, *omnes Norimbergenſes,*

in Doctores Iuris utriusque ſolenniter inaugurandi;

Denique Tuo etiam, Praenob. atque Experient. DN. IO. HENRICE SCHVLZI, Med. atque Anatom. Prof. P. meritiſſime, Ordinis Tui pariter Decane digniſſime, iuſtiſſimo deſiderio annuens, poteſtatem Tibi tribuo,

DN. VVILHELMO EMANVELI FOERSTER, *Onold.*

DN. IACOBO CHRISTOPHORO SCHEFFLER, *Altdorf.*

DN. AVGVSTINO PVCHNER, *VVollino-Pomer.*

DN. IOH. MATTHIAE FRAVENDIENER, *Vlm.*

DN. GEORGIO EPHRAIM SCHMID, *Sileſ.*

DN. IOH. ALBERTO GESNER, *Onold.*

DN. ERNESTO FRIDERICO IVSTINO HEIMREICH, *Iſenac.*

DN. SIGISMVNDO MAYOOR, *Caſſouio-Hungaro,* et

et horum quidem quibusdam pariter absentibus, tanquam praesentibus, Med. Facult. Doctorandis, honores in arte Asclepiadea summos conferendi, ita, ut hi omnes trium Facultatum Dnn. Candidati, praeuia tamen prius iuramenti fide, atque adhibitis more maiorum solennibus, omnibus posthac illis iuribus, dignitatibus, gratiis, ornamentis, eminentiis, ac immunitatibus, gaudeant, utantur, fruantur, quibus ordo et gradus Doctoralis, in sua cuiusque Facultate atque studio, de iure uel consuetudine, gaudere potest debetue.

Faxit Diuinae Maiestatis propitia benignitas, ut noua haec honorum collatio in diuini Eius nominis gloriam, Ecclesiae, Patriae et Reip. tum huius almae Academiae, incrementum, pietatis ac iustitiae augmentum, infirmorum solatium et salutem, nouorumque Dnn. Doctorum omnigenam prosperitatem non minus, quam immortale decus et gloriam, redundet!

X.
RENVNTIATIO DVORVM DOCTORVM THEOLOGIAE.

* *

QVod igitur Supremus Doctor, animarumque nostrarum Episcopus, Dominus et Seruator noster, IESVS CHRISTVS, Ecclesiae suae salutare; quod DEVS TRINVNVS rei literariae prosperum et auspicatum esse iubeat, ego IO. IACOBVS PFIZERVS, *S. Theol. D. et Prof. in hac literarum sede publ. et ord. Brabeuta h. t. legitime constitutus*, pro ea, quae mihi modo facta est, potestate, quaque nunc rite fungor,

Te, DN. IOHANNEM LAVRENTIVM IANVM, *Solisbaco-Palatinum*, absentem tanquam praesentem;

Teque, DN. MARTINVM FRISIVM, *Ripensem*,

Vos, inquam, Theologiae Doctores creo, renuncio, atque proclamo, in Nomine DEI TRINVNIVS, PATRIS, FILII, et SPIRITVS SANCTI. Amen!

Cum consuetudo sit antiquissima, iam olim in Populo DEI, deinde apud alios etiam non infrequens, in rebus grauioribus certos adhibere ritus, quibus uisui etiam subiectis, praeter uerborum apparatum, ii, quorum interest, de negotii momento et officiorum natura moneantur; Maiores nostri huiusmodi quoque ceremonias in Doctorum inauguratione obseruari uoluerunt, in speciem quidem leues, si penitius uero inspicias, non contemnendas, certe nobis nunc non omittendas; quibus, si nil aliud, *quaedam* tamen *Doctoris Theologi requisita* uirtutesque praestantiores adumbrantur.

Proinde Vos, *Maxime Reuerendi Domini Doctores*, euoco primum in *Cathedram hanc superiorem*. Locus hic eminentior non superbas Vobis, aut ad altiora tendentes, inspirabit cogitationes, nisi forte, τα ανω φρονειν, coelestia cogitare, terrena ut infra Vos posita contemnere, Christi discipulorum esse Vos commonefaciat. Equidem nunc *Circumspectionem atque Vigilantiam* Vobis propono, quae in specula constitutos omnino decet, et tum rerum in Ecclesia gerendarum curam, quantum ad Vos illud pertinebit, tum in uitae actionumque rationibus recte disponendis prudentiam, commendabit. Omnium oculis expositi

 sumus,

ſumus, omnes habemus actionum noſtrarum iudices, eosque oculatos admodum, plures ſatis ſeueros, qui ſibi omnia, nobis nihil, condonant; nonnullos etiam iniquos, qui leuiſſimos quoque lapſus in peiorem partem interpretari amant. Prudentia itaque opus eſt atque circumſpectione.

Dein Libros, uel *Librum* potius, (unum enim agnoſcunt Theologi librum, Bibliorum nomine inde uenientem, ex quo unice ſapiunt) eumque Vobis primum apertum trado. Hoc uero *curam Veritatis diuinae* doctrinaeque purioris cuſtodiam Theologiae Doctoribns quam maxime commendat. In hac Schola, ab hoc Magiſtro ſemper nobis diſcendum eſt. Hic Liber uoluendus ac reuoluendus, legendus et meditandus eſt, qui hominem DEI perfectum reddere et omne ad opus bonum recte inſtruere poteſt. In dubiis itaque os Domini conſulendum, aperiendus eſt liber, et qua ſenſum cumprimis recludendus, ut mens DEI nobis aliisque luculentius pateat. Vnde eundem *Librum* Vobis nunc *claudo, promtitudinem* deſignaturus, qua, Theologum decet ea, quae ex lectione Verbi diuini didicit, animo penitius imprimere, doctrinamque ſalutarem pectori ita infigere, ut labia ipſius eandem cuſtodire poſſint, ut ex ore eius, tanquam Angeli ſeu Legati Iehouae, lex atque uoluntas Supremi Numinis quaeri queat. Ita quaecunque docenda nobis ſunt, a Domino ipſo diſcamus, et ideo quoque diſcamus, ut alios docere poſſimus.

Praeterea *Pileum* impono, non capitis modo tegumentum et ornamentum, qua diuinae Protectionis ac Benignitatis, caput ſeruorum ſuorum gratia tanquam ſcuto coronantis, admonemur; ſed *Libertatis* etiam ſymbolum, qua Doctor publicus merito floret. Non eam nunc ego tantum intelligo libertatem, qua Chriſtiani a duro peccati iugo diriſſimaque genii infernalis ſeruitute in libertatem a Seruatore optimo ſunt aſſerti; neque illam modo uolo, qua qui rerum praeſtantiſſimarum cognitione animum imbuerunt, ex ignorantiae ac praeiudiciorum carceribus manumiſſi ſibi nunc et libertati uindicantur. Sed eam cumprimis innuo παῤῥησίαν, quae prae reliquis eos decet, quibus munus alios inſtruendi iniunctum eſt; quae tum a ſpiritu ſectario, tum ab intempeſtiuo metu aliena, in iudicando, in loquendo, ea tantum eligit, quae Verbo diuino conuenire cum conuictione deprehendit; qua quis ea ſectatur, quae ad Eccleſiae utilitatem ac aedificationem tendere eſt perſuaſus. Quae ipſa tamen libertas modeſtiae plane non aduerſatur; nudo heic capite, imprudenter, temerarie, obloqui aliis et reſiſtere, non libertas, ſed effrenis licentia eſt.

Vlterius *annulo* quoque digitos exorno; non quaſi argenti, auri, gemmarumque ſplendore Doctoris Theologi ornatum abſolui exiſtimandum ſit, quem potius doctrinae puritas, uitae ſanctitati, ut gemma auro, coniuncta, atque Chriſtum etiam qua modeſtiam, humilitatem, rerumque terrenarum contemtum, imitandi ſincerum ſtudium, quam maxime commendant. Sed, cum annulorum traditione animorum coniunctio fideique coniugalis mutua promiſſio ſignificari quoque ſoleat, *Fidelitatem*, quam Doctor Theologiae Chriſto cumprimis Domino et Sponſo ſuo debet, hoc ipſo innui arbitror; idque eo maiori iure, quo luculentius gentium Doctor in oeconomo myſteriorum diuinorum nihil magis requiri grauiter teſtatus eſt, quam ut fidem ſuam

ipsi Domino et reliquis omnibus approbet; et quo certius, qui alios docere contendunt, non tantum ipsimet Christo desponsati, sed et aliorum animas eidem adducere, atque adeo et ipsi fidem datam seruare, et alios, ut idem faciant, uerbis et exemplo concitare debent.

Osculo denique et amplexibus Vos excipio; quo ipso *fraternam concordiam* designari palam esse arbitror. O diuinam uirtutem, quae unius Domini in eodem opere conseruos, quos iam commune Christianorum uinculum intime copulauerat, arctiori nunc et nouo, sanctissimi muneris societate connectit. O si haec omnium Christi ministrorum animos occuparet! O si uitam omnem actionesque eorum dirigeret, si nullae aemulationes, sinistrae suspiciones, nullum partium studium, mentes in diuersa raperent! quam acceptum hoc esset DEO, quam utile Ecclesiae, quam honorificum nobis omnibus! *Nil charitate mutua fratrum,* ita suauissimus notissimusque diuini Psaltis hymnus, *nihil iucundius concordia: Non aura suauis balsami cum funditur Aaronis in sacrum caput*, *et imbre laeto proluens barbam*, *et sinus limbum pererrat aureum; Non ros*, *tenella gemmulis argenteis pingens Sionis gramina*, *Aut uerna dulci inebrians uligine Hermonis intonsi iuga: Fraterna quam pax incolit domum*, *iuuat Dominus benigna dextera*, *et opibus auget; filiorum et filios Multis propagat seculis.*

Tandem uotis mihi finiendum est. Benedicat DEVS OPTIMVS nouorum, quos nobis dedit, Doctorum laboribus, seruetque et augeat praeclara, quae ipsis concessit dona. Benedicat Ecclesiae, eamque ab insultibus liberam multisque beneficiorum ornamentis cumulatam conseruet. Benedicat huic bonarum mentium ac artium Sedi, et quae eam nutrit atque sustentat, REIPVBLICAE NORIBERGENSI, dulcissimae Patriae. Conserua, O DOMINE, hanc tuam uineam, tuere ac orna amoenissimum hortum, quem Tua dextra plantauit; riga eundem Gratiae Tuae fluentis, ut fructus Reip. et Ecclesiae salutares cumulatissime proueniant. Auerte omnia, quae publicam quietem turbare et optatos rerum successus interuertere possent, et hanc fac nobis, seruis tuis, gratiam, ut sub NVTRITORVM et CVRATORVM MVNIFICENTISSIMORVM, quos eadem Tua, quae nobis dedit, Gratia felices ac incolumes diutissime conseruet, auspiciis, qui docendi ac discendi causa heic uersantur, intendant semper et assequantur exoptatissima Gloriae Tuae Reique sacrae et litterariae incrementa!

XI.

RENVNTIATIO VII DOCTORVM IVRIS.

* *

QVod igitur DEO TER OPTIMO MAXIMO sit gloriosum, uniuersae Reipublicae Christianae fructuosum, felix et faustum, huic Vniuersitati nostrae salutare ac auspicatum, adeoque nobis omnibus honorificum, utile et salutare! Ego IOHANNES GEORGIVS FICHTNERVS, I. V. Doctor more legitimo promotus, Collegii Iuridici hoc tempore Decanus atque Brabeuta, pro ea, qua nunc polleo et fungor, auctoritate Caesarea publica, Vos septem Candidatos, ac nominatim:

Te, IOHANNEM ADAMVM BECK, *Noribergensem*, *Perillustris Reipublicae patriae Aduocatum ordinarium*,

Te, IOHANNEM IACOBVM STOER, *Noribergensem*, *Perillustris Reipublicae patriae Aduocatum ordinarium*,

Te, IOHANNEM FRIDERICVM ETTMVLLERVM, *Zitta-Lusatum*, *Aduocatum Zittauiensem ordinarium*, absentem, tanquam praesentem,

Te, GEORGIVM DANIELEM PRAEBES, *Noribergensem*, *Perillustris Reipublicae patriae Aduocatum*,

Te, CAROLVM FRIDERICVM KHOL, *Noribergensem*,

Te, PHILIPPVM LVDOVICVM HVTH, *Noribergensem*,

Te, PETRVM ANTONIVM BECHMANNVM, *Noribergensem*,

in hac lectissimorum hominum corona, supremo titulo et gradu Iurisprudentiae orno, Vosque in utriusque Iuris Doctores promoueo, promotosque renuncio, et sic promotos atque renunciatos publica uoce proclamo, Vosque iam inposterum semper Doctores tales haberi, agnosci, salutari et nominari uolo, proque potestate concessa iubeo et mando, in nomine sacrosanctae, adorandae et indiuiduae Trinitatis, PATRIS, FILII, et SPIRITVS SANCTI. Amen.

Posthaec attribuo quoque Vobis omnia ornamenta et priuilegia, quae huic ordini singulariter et a summis concessa sunt Principibus: quorum concessio ut esset celebrior, sapiens antiquitas solennitates quasdam et ceremonias, ceu symbola et notas, publicae huic renunciationi addidit, quae sui Candidatos muneris officiique admonerent: quas a multis hactenus seculis receptas etiam hoc cumprimis Vniuersitatis nostrae seculari tempore retinere, optime conuenit.

Ac primo quidem Vos in CATHEDRAM hanc superiorem honestissimam euoco ac ascendere iubeo, ut tanto certius Vobiscum statuere possitis, Vos a Facultate nostra, atque adeo uniuersa Academia, in honorum et dignitatum uestrarum plenam possessionem admissos esse; atque ut, quotquot hic sunt spectatores, in celsiori hoc uirtutis throno et solio Vos constitutos rectius dignoscere, Vobisque animo pariter ac uultu gratulari possint. Adscendite itaque eo, quo constituti estis, ordine, ipsique hanc cathedram occupate.

Saluete nunc, Domini Doctores, quo optato nomine Ego Vos omnium primus saluto! saluete, inquam, et Regalia seu solennia, quae Maiores nostri non sine graui ratione Doctorum renunciationi, maioris scilicet maiestatis et mysterii innuendi gratia, annexa esse uoluerunt, accipite. Principio quidem, pro inuestitura possessionis honorum et dignitatum uestrarum, in cathedram hanc sublimiorem Vos conscendere iussi. Cathedram non ad otium molliculorum hominum, sed ad studium et laborem docentium, comparatam sedem esse, hactenus ipsi satis estis experti. In hac Vos ceu Doctores nunc stare decet, qui e cathedra hactenus docentes audiuistis alios, a Vobis e cathedra docentibus, ut in posterum discant alii: nec enim ingenium et eruditio nobis data est, ut soli in claustris nobiscum speculemur, nunquam in publicum prodire ausi: in specula positos nos esse decet, ut, quae labore, industria et assiduitate nobis comparauimus, ea in usus publicos conferamus.

Nolim igitur Vos meos Dominos Doctores in cathedra hac stare otiosos: operosa uirtus est, non otiosa. Hac de causa Vobis insigne decus cathedrae et ornamentum, nimirum LIBRVM, commendo,

cumque

cumque primum Vobis offero apertum, eoque Vos commonefacio, opus esse lectione crebra et assidua: quoniam eâ, eruditio non modo alitur, uerum etiam augetur et subinde confirmatur, maxime in Iurisprudentia, in qua erubescimus sine lege loqui.

Eundem uero Librum Vobis iterum exhibeo et reddo clausum, ut intelligatis, ea, quae in libris legitis, memoriae infigenda, inprimenda et reponenda esse, quo inde tanquam e promtuaria cella depromere queatis, quoties et quando res postulat.

Praeterea PILEVM Vobis capitibusque uestris impono, quo honoratiores inferiorum respectu teguntur, hancque ob causam ueteribus non solum signum libertatis, sed etiam Insigne Nobilitatis erat. Hoc idem Insigne non immerito et Vobis competit, utpote qui a plebeculae multitudine distincti pulcherrimum uirtutis praemium, Nobilitatem, estis consecuti, quique ab omni Iuris ignorantia, ceu seruitute pessima, manumissi, inaestimabile bonum, libertatem estis adepti. Pileus ergo hic Vobis argumento erit: Vos, ceu Nobiles, uereque liberos, non decere, diuitiarum et auaritiae esse seruos, non turpis lucri et sordis sectatores et mancipia, sed uerae et non fucatae SS. Legalis Philosophiae ueros et ingenuos sacerdotes, qui non, ut diuitias colligant, sed quo iuste et pie uiuant, mortalesque iusto consilio iuuent, Iurisprudentiae penetralia et arcana summo labore inuestigare student. Sic etenim Vos, non adulterinam, sed legitimam Legalis Philosophiae nullo nummario pretio aestimandae prolem extitisse experiemur.

ANNVLO quoque, ceu singularis cuiusdam excellentiae et honoris ueraeque nobilitatis quasi symbolo, digitos uestros adorno: ut hinc itidem agnoscatis, supra uulgi conditionem, in nobiliorem ordinem Vos esse adscitos: si enim generis nobilitatem excipias, quid erit, quod nobilitatem potius mereatur, quam eruditio et uirtus? Hinc ipsi Imperatores Augusti maximam a uirtute nobilitatis causam in scientiarum abditarum ac praeclarissimarum cognitione posuerunt, eosque, qui eas assecuti fuerint, Nobilissimos in Legibus suis diserte appellarunt. Quanto igitur hoc dignitatis symbolum est nobilius, tanto magis de eius existimatione et conseruatione eritis solliciti, ne illius decus et fama apud Vos sine uirtute et literis pereat, et quasi contemta sepultaque iaceat.

Tandem OSCVLO SVAVIOque Vos gratulabundus excipio, eoque Vos ad pacem et concordiam, cuius osculum est symbolum, omnibus modis tuendam complectendamque cohortor: ut cogitetis, res uestras ita prudenter instituendas ac dirigendas esse, ut, quocunque uocati fueritis, ibi et grati sitis. Hoc etenim SS. Legalis Philosophia quam maxime requirit, ut eius sectatores, non tam ad lites serendas et instituendas, quam potius ad charitatem et amicitiam ineundam, in Legum studio se profecisse, et cum uirtutibus, Iustitia et Sapientia, indissolubile foedus et commercium iniuisse, semper et ubique omnibus et singulis ostendere et demonstrare ualeant quam luculentissime.

Postremo et Vobis, Domini Doctores, de hisce, cumprimis hoc Academiae nostrae secularis gaudii Iubilaeo, in hac publica gestientis laetitiae solennitate et centenaria festiuitate decretis honoribus et priuilegiis splendidissimis (quae uitae felicitas paucis, imo paucissimis, contingit) animitus gratulor, DEVMque T. O. M. ex intimis cordis penetralibus ueneror, ut hi honores doctorales, Vobis Optimorum con-

ſenſu conſpirante collati, atque auctoritate Auguſtali approbati et confirmati, cedant cumprimis in Diuini Nominis gloriam, Reipublicae et Eccleſiae ſalutem, Patriae communis et Academiae noſtrae ornamentum, Iuris et Iuſtitiae incrementum, et denique ueſtrum ueſtrorumque decus et emolumentum. Dixi.

XII.

RENVNTIATIO VIII DOCTORVM MEDICINAE.

* *

QVod igitur felix, fauſtum fortunatumque ſit uniuerſae hominum ſocietati, praecipue Vobis, Nobiliſſimi Domini Candidati, atque omnibus, quibus arte ueſtra umquam ſuccurretis: ego IOANNES HENRICVS SCHVLZE, medicinae Doctor legitime promotus, eiusdemque in alma hac Vniuerſitate Profeſſor publicus, medici ordinis hoc tempore Decanus et Promotor. ab eodem rite conſtitutus, ex auctoritate Imperatoria a Magnifico Domino Procancellario mihi conceſſa,

Te, DN. GVILIELMVM EMANVELEM FOERSTER, *Onoldinum*, abſentem tamquam praeſentem,

Te, DN. IACOBVM CHRISTOPHORVM SCHEFFLER, *Altorfinum*,

Te, DN. AVGVSTINVM PVCHNER, *VVollino-Pomeranum*, abſentem tamquam praeſentem,

Te, DN. IOANNEM MATTHIAM FRAVENDIENER, *Vlmenſem*,

Te, DN. GEORGIVM EPHRAIM SCHMID, *Herrenſtadio-Sileſium*, et

Te, DN. IOANNEM ALBERTVM GESNER, *Onoldinum*, vos tres, inquam, abſentes tamquam praeſentes,

Te, DN. ERNESTVM FRIDERICVM IVSTINVM HEIMREICH, *Iſenacenſem*, ut et

Te, DN. SIGISMVNDVM MAYOOR, *Caſſouia-Hungarum*,

Vos, inquam, octo medicinae digniſſimos Candidatos et Licentiatos, in Medicinae Doctores promoueo, promotos renuncio, renunciatos in ampliſſima hac panegyri proclamo, atque hoc ipſo iubeo uos gaudere omnibus immunitatibus, priuilegiis et honoribus, quibus in aliis per S. R. I. Academiis promoti Medicinae Doctores gaudent et fruuntur: in nomine ſacro-ſanctae TRINITATIS, PATRIS, FILII, et SPIRITVS SANCTI. Amen!

Ceterum, quia Inuictiſſimorum Auguſtiſſimorumque CAESARVM, ex quibus priuilegia haec ampliſſima conſequuti ſumus, iuſſu et praeſcripto tenemur, ut ab erudita antiquitate traditas quasdam cerimonias, quaſi ſigilla confirmatoria, ſolennibus renunciationibus adhibeamus: tanto magis aequum eſt huic etiam imperatae conſuetudini ſatis ut faciamus, quanto clarius eluceſcit ritibus his, ſapienter ſane inſtitutis, praeclarae admonitionis et ſignificationis plurimum ſubeſſe.

Primo igitur Vos *e cathedra inferiori* ad me in *ſuperiorem* hanc euoco. Hic uero gradus Vos admoneat, uirum ad Doctoris dignitatem legitime deductum, promiſcua mortalium multitudine praeſtantiorem, et a plebe ſeparatum, in altiori autem loco conſtitutum eſſe. Aequum igitur eſt, ut omnia facta ueſtra multorum oculis expoſita memineritis, idque efficiatis, ne quidquam faeculenti moribus adhaereat; artis uero opera ſic peragatis, ut DEO, Magiſtratui, omnibus honeſtis, rationes ſolertiae, doctrinae, ſtudiique ueſtri, pateant.

Ad

Ad altiora per gradus non ſine labore adſcenditur: ſed et in illo ueſtro faſtigio ſaepe uſu ueniet, ut agnoſcatis, uere illum dixiſſe, qui medicum dixit eſſe perſonam honeſtam, officium facientem cum gemitu ſub ſtrepitu.

Eadem porro Vobis cathedra ſuperior in memoriam reuocet, quod ius et officium medicinam docendi faciendique ſimul hic conſequamini: quod ut digne exerceatis, nolite, quaeſo, hic tamquam ad Herculis columnas, gradum ſiſtere, induſtriaeque quaſi metam conſtituere. Plus ultra enitendum eſt: diſcite ad ultimum usque uitae diem, diſcite docendo et artem faciendo, diſcite ab illis, qui ante Vos ad gradum hunc eucti experiendo confirmati ſunt, horumque amicitias omni officio demeremini: diſcite denique ex illorum ſcriptis, quae tamquam diligentiae ſuae maturos fructus nobis reliquerunt.

De hoc autem porro Vos commonefaciunt *libri*, quos Vobis *apertos* offero, utque optimos conſultores commendo. Ad hos diuertendum Vobis erit, quotiescunque ab aegrotantium querelis uacui horulam quam optime collocandam nacti eſtis. Nec fruſtra Vobis afferendos curaui nouis libris intermixtos ueteres. Legite ueteres, non ſpernite nouos, ſingula ad rectae rationis examen referte, et, quod praecipuum eſt, ad experientiae Lydium lapidem exigite.

Sed quoniam erit perſaepe dies, quo ex arena, quod aiunt, capiendum ſit conſilium, nec ad libros recurrere liceat; *claudo* nunc eosdem, Vosque rogo et obteſtor, ut continuo ſtudio efficiatis Voſmetipſos περιπατοῦντα μουσεῖα, βιβλιοθήκας ἐμψύχους, ex quibus depromi, quoties res praeſens requirit, bona, noua, antiqua poſſint. Sic comparati, poteritis ipſi etiam aliquando, quibus mortalitatem effugiatis, ueſtramque memoriam omni poſteritati commendetis, libros condere, quod ipſum ius fasque Vobis eſſe ſimul ritu hoc ſignificari ſciatis.

Pileum capitibus ueſtris impono *purpureum*. Libertatis ſymbolum eſſe pileum, probe nouiſtis, inſuperque dignitatis peculiarem praerogatiuam diuerſis pileorum generibus paſſim diſtingui neminem latet. Purpuram autem impono, non leui honoribus ueſtris uel parui pendenda acceſſione. Vos uero ſtudeatis, ut uiro liberali ingenuoque dignis uirtutibus, modeſtia, ſobrietate, promta ad inſeruiendum uoluntate, prudentia, grauitate, purpuram hanc exornetis: ab auaritia, uoluptatum illecebris, arrogantia, ceterisque, quae uirorum animos ſeruituti duriſſimae innectunt, liberrimi: ſicque ſummi Numinis gratiam, ſummorumque Principum, et in uniuerſum mortalium omnium, fauorem promereamini.

Sed et purpurae ueſtrae ſplendorem augeat *annulus aureus*, quem digitis nunc ueſtris indo. Non leue ornamentum Antonio Muſae, ſuo quondam archiatro, contuliſſe credebatur Auguſtus Imp., quum ipſi annuli aurei ius tribueret. Et quum hodie multi ſibi ipſis, quod numquam acceperunt, ius hoc ſumant: in Vobis iuſtiſſimum hoc decus effulgebit, ſacratiſſimorum Imperatorum auctoritate hoc die honoribus ueſtris adiunctum.

Tandem Vos ex uetuſta conſuetudine ſingulos *amplector* et *exoſculor*, eodemque ipſo Vos Hygeae, non fabuloſae cuidam ueterum Diuae; (abſit enim ab hoc loco, uni Archiatro Chriſto conſecrato, paganorum impia ſuperſtitio) ſed honeſtorum piorumque uirorum, qui humanae ſalutis praeſidem artem liberaliter exercent et profitentur, gratioſo ordini trado, ſocietati adiungo, inque poſſeſſionem pleniſſimam omnium iurium, honorum, priuilegiorumque immitto.

Saluete, Praenobiliſſimi et Experientiſſimi Domini Doctores, et rem ſummi ſanctiſſimique Numinis gratia et auxilio, in humani generis ampliſſimum emolumentum fructumque, bene feliciterque gerite!

XIII.

ORATIO

IOHANNIS HENRICI MVLLERI,

PHYSIC. ET MATHES. PROFESS. PVBL.
DECANI ET BRABEVTAE ORD. PHILOSOPH.
solenni renuntiationi VII MAGISTRORVM PHILOSOPHIAE
et duorum POETARVM praemissa.

* *

QVOTQVOT HIS SOLENNIBVS NOSTRIS INTERESSE ET ANIMIS LINGVISQVE FAVERE DIGNAMINI, AVDITORES OMNIVM ORDINVM SPLENDIDISSIMI HONORATISSIMIQVE SIGILLATIM

PERILLVSTRIS ET LIBERAE S. R. I. REIP. NORIMBERGENSIS ILLVSTRES DOMINI LEGATI ET CVRATORES ACADEMIAE MVNIFICENTISSIMI

MAGNIFICE ACADEMIAE DOMINE RECTOR

MAGNIFICE ET GENEROSE DOMINE PROCANCELLARIE

MAX. GENEROSE OPIDI AGRIQ. ALTORFINI DOMINE PRAEFECTE

EXCELLENTISSIMI OMNIVM ORDINVM DOMINI PROFESSORES

HOSPITES DENIQVE AC CIVES GENERE ET VIRTVTE ORNATISSIMI.

EA est rerum humanarum indoles, ea totius rerum uniuersitatis conditio, ut illa nunquam eadem sibique similis permaneat, sed subinde ex uno statu in alium transeat, nouamque et a priori diuersam faciem induat. Quam certum uero hoc est, omniumque saeculorum experientia comprobatum, tam certum uicissim et hoc habendum, eiusmodi mutationes magnas non fieri repente, nec unius alteriusue anni interuallo sentiri, sed post integras demum hominum aetates, imo post saecula euadere conspicuas, et in oculos posterorum incidere ea, quae sua aetate secus, quam apud maiores, accidunt. Vnde, qui in antiqua saecula retro respiciunt, uarias comminiscuntur aetates, quibus uarios temporum hominumque status designant atque distinguunt. Nata hinc est decantata illa distinctio aetatum in auream, argenteam, aeream, ferream, et tandem nescio quam stramineam: quarum prima statum generis humani omnium simplicissimum, uetustissimum et innocentissimum designat, altera quodammodo iam degenerem, tertia adhuc peiorem, quarta et quinta omnium pessimum, quo uix maior innumerorum malorum colluuies, quae orbem terrarum indies magis inundare uidetur, dari possit. Quam quidem distinctionem ita generatim spectatam, ipsae sacrae Literae Danielis II pluribus non obscure confirmant. Interim, si quaedam ab antiqua integritate degenerant, sunt tamen nonnulla, quae, sine dubio, successu temporis, in melius uergunt, et ab aetate straminea, ferrea, aerea, ad argenteam et auream paulatim adspirant; id quod praesertim de rei literariae statu, uix ullo contradicente, dici statuique potest. Non me diffun-

diffundam in uaſtiſſimum hunc oceanum, ſed oculos tantum conuertam ad emendatiorem ſtatum Philoſophiae, eiusque cumprimis naturalis et mathematicae, atque oſtendam, illum in hac quoque Academia a beatis Anteceſſoribus noſtris, per hoc ſeculum primum, et quod antecedit, ſub ILLVSTRIVM eius NVTRITORVM ac CVRATORVM auſpicio atque munificentia, inſigniter auctum exornatumque fuiſſe. Quod ut gratioſa ſplendidiſſimi huius Auditorii uenia mihi liceat, ea, qua par eſt, obſeruantia rogo atque contendo.

Et primo quidem inter fauſta optimi ſucceſſus omina refero, quod iam ante ipſam Vniuerſitatis huius inaugurationem, Academia haec, Ordinis Philoſophici priuilegiis Caeſareis iam ultra 40 annos efflorescens, illuſtrem ciuem habuerit L. BARONEM ALBERTVM DE VVALDSTEIN, poſtea ſupremum exercituum Imperatoris ductorem, quem eo iam erga Muſas amore, tametſi forte inſcia et praeter ſpem, imbuerat, ut Patronus deinceps et ſummus Promotor euaderet auſpicatiſſimi incrementi, quod rei literariae exoptatiſſimam acceſſionem ſpondebat. Cum enim hoc ipſo anno cIↃ IↃC XXIII ex remotiſſimis Orientis regionibus, Imperio ſcilicet Sinarum, primum inſtitui coepiſſet literarum commercium cum Mathematicis Europaeis, circa Calendarii Sinarum emendationem, et IOHANNES KEPLERVS, trium Imperatorum Mathematicus, commentatiunculam in epiſtolam a P. TERRENTIO hac ſuper re ex Sinis miſſam, conſcriberet, quae typis committenda ad Sinas transmitteretur, dici non poteſt, quanta gratia, quanta munificentia, ab Illuſtriſſimo hoc Duce adiutus fuerit Keplerus, ut hoc ſcriptum, in mediis tumultibus bellicis, promte et mature ex nouo Sagani praelo in lucem prodiret, prout id pluribus in dedicatione ad Illuſtriſſimum Ducem commemorat et praedicat Keplerus. *(a)*

Ornabat illo tempore Profeſſionem Matheſeos in hac Academia IOHANNES PRAETORIVS, *Ioachimico-Vallenſis*, ab anno 1576 usque ad A. 1616, per integros 40 annos, ea nominis et famae celebritate, ut inter Principes Mathematicos ſui temporis iure meritoque referretur, et qui uel ſola illa *Menſula* geometrica, ab eius nomine *Praetoriana (b)* dicta, nominis immortalitatem conſecutus eſt; utpote quae omnium conſenſu hodienum inter praeſtantiſſima praxeos geometricae inſtrumenta habetur. Huius ſi non doctrina et inſtitutione, ſaltem tamen conſiliis, adiutus eſt inter alios ſupra laudatus immortalis KEPLERVS, qui poſt multos demum annos Vir et Princeps Mathematicorum factus, horum tamen profectuum, noſtri etiam Praetorii opera factorum, gra-

Qqq tam

(a) Vid. R. P. IOANNIS TERRENTII, e Societate Ieſu, Epiſtolium ex Regno Sinarum ad Mathematicos Europaeos miſſum: cum commentatiuncula IOANNIS KEPLERI, Mathematici, etc. Sagani Sileſiae, A. MDCXXX. 4.

(b) Hanc gratus in Praeceptorem diſcipulus, et poſtea in munere ſucceſſor, DANIEL SCHVVENTERVS, pluribus deſcripſit, ampliſſimumque eius uſum demonſtrauit in Geometriae ſuae Practicae Tractatu III integr. Vt taceam egregia eius Inſtrumenta Aſtronomica, globos ſcil. et alia, quae ob inſigne artificium et acribiam in Bibliotheca publica Norimbergenſium inter rariora aſſeruantur. Quanto in pretio ab aliis Viris ſuo tempore celeberrimis habitus fuerit, vid. in IOH. IAC. POEMERI, Patricii Norib. Orat. in HENNING. VVITTENII Memor. Philoſophorum etc. Dec. 3. p. 358.

tam coluit memoriam. *(c)* Tametſi uero multum ad decus Academiae augendum contulit Noſter *(d)*, ſenio tamen confectus non attigit illam felicitatem, ut annum huius Vniuerſitatis natalem uideret, et conceptam de auſpicatiſſimo hoc incremento laetitiam publicam concelebraret. Erat tunc eius ſucceſſor uir in optimo aetatis flore conſtitutus, PETRVS SAXO, *Huſumo-Holſatus,* Mathematum ſuperiorum Profeſſor, quem coeleſtes nouitates per Tubum recens inuentum detectae ita excitauerant, ut in partem et ſocietatem laudis uenerit illorum Autorum, qui admirandum illud et antea inauditum phaenomenon, de maculis ſolaribus, ſuis quoque obſeruationibus confirmauerant. Ex ſelectis enim Altorfii a ſe A. 1616 habitis, nonnullas pulcerrimis iconibus *(e)* aeri incidi curauerat, et, tanquam rem adhuc nouam ac inſolitam, INCLVTO SENATVI NORICO exhibuerat dicaueratque; quarum Obſeruationum miror nullas facile reliquias alicubi reperiri, niſi forte fortuna inter ſchedas uetuſtiores, prout mihi bona ſorte accidit, aliquando in conſpectum prodeant.

Tametſi uero hunc Virum, cum Collega ſuo, IOH. CASPARE ODONTIO, *Norimbergenſi,* inferiorum Mathematum Profeſſore, (qui iam A. 1612 huic muneri admotus fuerat) fata diu ſuperſtitem eſſe noluerunt, quando ille anno ſuperioris ſeculi uigeſimo quinto, hic, Odontius, ſtatim ſequente uigeſimo ſexto, leges mortalitatis impleuerunt, non tamen deſtitit horum ueſtigiis alacriter inſiſtere, qui in locum illorum ſucceſſit, DANIEL SCHVVENTERVS, *Norimbergenſis,* Vir doctisſimus ſimul et iocundiſſimus. Loquuntur id ſatis eius *Deliciae Phyſico-Mathematicae (f)*, quas deinceps duobus nouis Tomis ſupplere dignatus eſt Generoſiſſimus GEORGIVS PHILIPPVS HARSDOERFFERVS, qui ob inſignem, qua polluit, doctrinae multifariae copiam, *Eruditi* nomen in generoſiſſima ſua proſapia meruit. Ob iucundas utiliſſimasque uarii generis contemplationes et praxes in hoc opere comprehenſas, librum hunc continuari publice intereſſe iudicauit LEIBNITIVS. *(g)* Nec minoris momenti habenda eiusdem Schvventeri noſtri *Geometria Practica*, uernaculo ſermone conſcripta, quae tanto applauſu fuit excepta,

(c) Teſtantur hoc eius uerba in Epiſtola ad MATTHIAM BERNEGGERVM, Lincii A. 1616 d. 7 Febr. ſcripta: *Caetera*, inquit, *incertiora mitto. Etſi habet VVitteberga, babet* Altorffium, *habet et Francofordia ad Oderam Matheſeos Profeſſores, qui me aliquando iuuarunt in ſtudiis.* vid. Epiſt. I. KEPLERI et M. BERNEGGERI mutuae Argentor. 1672. 12. p. 32.

(d) Quorſum et illud referendum, quod b. GEORG. KOENIGIVS in Tractatu inedito, de Claris Noribergenſibus: *Alias,* inquit, *fando me percepiſſe memini, a dicto* PRAETORIO *duo inſignia beneficia in hoc oppidum collata eſſe; primo, quod uiam breuiorem monſtrauerit, qua Altorfio Noribergam proficiſci queamus, tria tantum milliaria emetientes, cum antea quatuor emetienda* (nemlich über Lauff) *eſſent: deinde, quod aquam uiuam, quae Buhlhemii e ſaxo ſcaturiginat, per canales in hoc oppidum duci fecerit: quibus beneficiis certe omnes Altorfinos, et quotquot ibi commorantur et commoraturi ſunt, aeternum ſibi obſtrinxit.* Haec ille.

(e) Exhibentur in illis duodecim obſeruationes a d. 24 Febr. usque ad d. 17 Martii, in quibus totidem ſucceſſiue maculae in Sole uiſae, interuallo duodecim tredecimue dierum ab uno margine ad alterum promotae, repraeſentantur.

(f) ſiue Mathematiſche und Philoſophiſche Erquick-Stunden / ab haeredibus eius A. 1636 editae in 4.

(g) in Arte combinatoria, edit. 1690. p. 45.

cepta, ut non tantum plus una uice prelo fuerit ſubiicienda, ſed et hodienum inter principes libros circa hanc materiam referatur. Quemadmodum uero exinde utiliſſimo Geometriae ſtudio multum ſubſidii acceſſit; ita tamen non aeque cum reliquis diſciplinis mathematicis comparatum erat. Neglectae illae fere iacebant, non tamen ex defectu huius ſtudii cultorum et amatorum, quorum coelum ſolumque Noricum nunquam ſterile erat, ſed ex defectu idonei ſyſtematis, in quo neruus quaſi et nucleus harum diſciplinarum ſolide facilique quadam ratione proponeretur. Huic defectui ut medelam afferret, nihil in ſe deſiderari paſſus eſt, qui Schvventero in hoc munere A. 1636 ſucceſſit, ABDIAS TREVV, *Onoldinus,* editis non ſolum uariis ſcriptis hanc illamue diſciplinam mathematicam ſingulariter illuſtrantibus, ſed et Directorio, ut uocabat, Mathematico *(h)*, in quo totum Matheſeos ſyſtema, pro habitu quidem illorum temporum, egregie comprehendebat, atque auditoribus explicabat. Phyſicam quoque Profeſſionem poſtliminio quaſi ſuſcepit inſigniterque excoluit, quae hactenus, poſt VVOLFGANGVM VVALDVNGVM, Phyſicarum Quaeſtionum ab A. 1592 usque ad A. 1621 Profeſſorem eximium, multisque ſcriptis et diſputationibus, cumprimis uero *Lagographia (i)*, celebrem, NICOLAO TAVRELLO, ERNESTO SONERO, et GEORGIO NOESLERO, Medicinae Profeſſoribus celeberrimis, excolenda relinquebatur. Speciatim Vraniae ſtudium iam ſub eo caput erigere coeperat, quando munificentia et auſpicio ILLVSTRIVM HVIVS ACADEMIAE NVTRITORVM AC CVRATORVM nouum Obſeruatorium A. 1657 erectum fuit in ea muri oppidani turricula, quae ſeptentrionem reſpicit, ſingularem tunc Academiae curam gerentibus Viris illuſtribus et Generoſiſſimis, DN. GEORGIO IMHOFF, DN. LEONHARDO GRVNDHERR, DN. IODOCO CHRISTOPHORO KRESS, et DN. IOHANNE IACOBO STARK, prout illuſtria haec nomina his ipſis uerbis, una cum inſignibus illorum, in tabula picta Obſeruatorii illius, quae etiam imagines Ptolemaei et Tychonis, Aſtronomiae Principum, uiſendas refert, leguntur. Cumque Quadrante Azimuthali egregio, una cum Sextante, inſtructum fuerit, quibus poſt aliquot luſtra, ex eadem illuſtri munificentia, Teleſcopium laudabilis praeſtantiae ſub b. STVRMIO *(k)* acceſſerat, uaria tamen incommoda, quae illo iam tempore uſum huius Obſeruatorii difficilem reddebant, uotum b. Viro expreſſerant, ut, alma pace redeunte, commodior ampliorque locus Vraniae noſtrae aſſignaretur, cum praeſertim alia deinceps detrimenta ex uetuſtate plura acceſſiſſent. Quare A. 1711, Maiorum laudatiſſimo Aſtronomiae prouehendae inſtituto inſiſtentes Munificentiſſimi Academiae Curatores, Viri Illuſtres ac Generoſiſſimi, DN. CHRISTOPHORVS FVRERVS, ab Haymendorf in VVolkersdorf, tunc Triumuir et Eccleſiarum Ephorus, hodie uero Duumuir grauiſſimus; DN. GVSTAVVS GEORGIVS TEZELIVS, a Kirchenſittenbach in Vorra et Artelshofen, tunc Septemuir, hodie Triumuir et Eccleſiarum

(*h*) quod, iuxta numeros praefationi adſcriptos, editum eſt A. 1657. 4. de cuius ſcripti ſcopo non tantum praefatio Autoris, ſed et alia b. DILHERRI huic praemiſſa, luculenter teſtatur.

(*i*) quae prodiit Ambergae 1619 in 4.

(*k*) Vid. eiusd. Colleg. Cur. Part. I. Tentam. XV. Phaen. XII. p. 151.

rum Ephorus ſplendidiſſimus; DN. IOHANNES CHRISTOPHORVS DE IMHOF, in Merlach et Stephansmuhlen, tunc Senator Conſularis, hodie Septemuirali Autoritate fulgens; DN. LEONHARDVS GRVNDHERRVS, ab Altenthann in VVeyerhaus, Senatoria Conſulari dignitate conſpicuus, omnes de Republica et Academia immortaliter meriti, nouum prorſus Obſeruatorium in ſupremo Collegii faſtigio, ea parte, qua auſtrum reſpicit, extruendum decreuerunt, neque ſolum ueteris ſpeculae inſtrumenta, priſtinae integritati reſtituta et emendata, huc transferri curarunt, ſed et Sphaeram quoque Armillarem, Tubumque Aſtronomicum triginta pedum, ut et inſigne horologium oſcillatorium, ſingulari et inuſitata munificentia addiderunt, eoque ipſo et ſibi et Vraniae Altorfinae immortale decus conciliarunt. *(l)*

Sed quia, ut ad Trevvium noſtrum redeam, uir iſte beatus uidebat, nobiliſſimum Aſtronomiae ſtudium omni tempore ſuperſtitioſis Aſtrologorum nugamentis fuiſſe contaminatum, quae res plerumque in ipſius huius ſcientiae coeleſtis dedecus et contemtum uergere ſolet, non ceſſauit uir hic induſtrius huic quoque abuſui pro uirili obuiam ire, ſcriptaque nonnulla uernacula edidit de emendatione Aſtrologiae *(m)*, quibus artis huius nugamenta nimis aperte in cuiusuis oculos incurrentia, reſecuit ab iis, quae qualicunque ueritatis aut probabilitatis ſpecie ſe commendarent. Quemadmodum uero ingruente aurora non ſtatim plena diei lux ſequitur, ſed tenebrae tantum gradatim dispelluntur; ita et Trevvius noſter non poterat ſimul et ſemel omnem barbariei noctem dispellere, ſed obitu ſuo, qui A. 1669 inſecutus eſt, hanc gloriam b. STVRMIO noſtro reliquit.

Erat uir iſte celeberrimus a teneris in Philoſophiae Ariſtotelicae et Scholaſticae placitis innutritus, ita tamen, ut ſemper inſigni dexteritate de doctrinis ſibi propoſitis iudicaret, nec facile quicquam in animum admitteret, quod non propriis quaſi oculis admittendum uidiſſet. Factum hinc eſt, ut innumeros Philoſophiae ueteris defectus detegeret, ſed et in recentiori Carteſiana, quae ſuo tempore caput erigere coeperat, multa humana cenſuraque digna deprehenderet; praeſertim poſtquam, abſolutis ſtudiis academicis, ex peregrinatione in Hollandiam ſuſcepta, iſtos homines intus et in cute cognouerat. Cumque a concertationibus doctorum uirorum inanibus, quas ſaepe ad meras Logomachias redire uidebat, eſſet alieniſſimus, uiam inire ſtuduit, qua diſſentientes facile conciliarentur, quam in Phyſicae Conciliatricis conaminibus *(n)* publico expoſuit. Licet uero conciliationes ab eo tentatae forte non ſemper optatum ſucceſſum habuerint, id tamen obtinuit, ut, cum nulli partium ſtudio addictus eſſet, aures tanto faciliores ipſi praeberent tum ueteri Philoſophiae addicti et iurati quaſi defenſores, tum Carteſiani, et quicunque hactenus ſectariam Philoſophiam ſequebantur. Certatim itaque tunc in Philoſophiam Eclecticam incumbi coeptum

(*l*) Plura vid. in Collegii noſtri Experiment. appendice p. 265. 285. ſeqq.

(*m*) Vnum eſt: Grund und Verbeſſerung der Aſtrologia. Noribergae 1641. 4. Alterum: Nucleus Aſtrologiae correctae, das iſt: Kurtzer Bericht vom Nativität-ſtellen. ibid. 1651. 4. vid. VVITTE Memor. Philoſophorum etc. Decad. 9. p. 543.

(*n*) edit. A. 1684. 12.

coeptum est, cuius necessitatem iam quidem alii ante ipsum uiderunt, scriptisque inculcarunt, nemo autem tanto studio excoluit, tantoque successu in Academias introduxit. Et quia in Philosophiae naturalis studio nihil sine experientia profici uidebat, magno ausu ad experimenta instituenda se accinxit, quae tanto maiore plausu fuerunt excepta, quod nemo ante ipsum tale quid, tanta dexteritate, fide, solertia, susceperat. Testatur hoc satis eius Collegium Curiosum *(o)*, quod exteri pariter atque Germani multis elogiis condecorarunt. Quemadmodum uero ex dictis sufficienter apparet, quantum Philosophiae naturalis studium huic uiro debeat, ita non minus magna sunt eius in Mathesin merita. Vix enim ullius uiri scripta mathematica tanto consensu in Academias introducta sunt; quod mirum uideri debet nemini. Sistebant enim Tabulae eius mathematicae *(p)* complexum disciplinarum mathematicarum tam completum, qualis antea uisus non fuerat. In breuitate neruus rerum numerosissimarum reperiebatur, quas ut ipse singulari prorsus facilitate et perspicuitate auditoribus explicabat, ita nec aliis deerat occasio, qua, quae ibi breuius et concisius dicta erant, uberiori explanatione illustrarent, multiplicemque studii mathematici iucunditatem et utilitatem animis discentium instillarent. Qui ulterius progredi, atque Matheseos sublimioris, ueteris et recentioris, nucleum degustare cupiebant, illis nihil exoptatius contingere poterat, quam cum b. Viri Mathesin Enucleatam *(q)* uel ab ipso, plano facilique demonstrationis filo, explanari audiebant, uel proprio etiam Marte in abstrusas illas ueritates, libro isto manuducente, penetrare conabantur. Neque enim uel illae nimis longe deductae consecutiones, quas nonnulli, b. Viri docendi methodo non satis adsueti, ibi se deprehendisse putant, apparent, uel pro obsoletis et ad genium praesentis seculi non satis accommodatis uenditanda, quae illo tempore, cum librum istum scripsisset, satis omnino noua et recentia erant. Floruit itaque singulari eius studio et Physica et Mathesis, plurimumque ille contulit, ut hodie alii haec studia cum successu propagare et ad usus ampliores proferre possint. Denique inter multa hoc unicum silere non possum, zelum eius, ut ita loquar, philosophicum, pro Diuini Numinis existentia et attributis ex consideratione naturae adstruendis ac demonstrandis. Licet enim, iuxta uetus iam dicterium, et leuis est herba, quae probat esse DEVM; uidit tamen haec argumenta, ex rebus naturalibus desumta, nequaquam ita, ut merebantur, curari, procul dubio ideo, quia euilescunt, quae quotidie obuia sunt. Nullum igitur ille caput Physices tractabat, nullam tractationis materiam finiebat, nullam denique occasionem facile praetermittebat, qua non Diuini Numinis existentiam, et animae naturam spiritualem ac immortalem, tanquam praecipuum Philosophiae naturalis scopum, fructum et usum, prolixe inculcaret. Testantur hoc, tum eius Physica Erotematica *(r)*, tum praecipue Physica

Rrr Hypo-

(o) cuius pars prima prod. Norib. 1677. pars secunda ibid. 1685.

(p) quas post Autoris mortem ultima eaque sexta uice, et iuxta beati uiri mentem, recensuit et auxit Autoris filius, LEONH. CHRISTOPH. STVRMIVS, Sereniss. Duci Megapolit. a Consiliis Camerae et Architectus primarius. 1714.

(q) quae prodiit Noribergae 1689. 8.

(r) quae prodiit Norib. 1704. 8.

Hypothetica ſeu Electiua (s), nec non eius Moralia Phyſica, quae pro materia diſputationum circularium ſcripto proponebantur, et forte etiam aliquando lucem publicam aſpicient. Non poſſum omnia commemorare, quibus Vir beatus Philoſophiam exornauit, usque ad finem anni huius ſeculi tertii; et quia ſimul ſeries Virorum beatorum, de quibus uerba facere promiſi, hic terminatur, meque ad noſtra tempora propius deducit, orationis filum abrumpo, et me conuerto ad id, cuius cauſa praeſens panegyris ſecularis inſtituta eſt. Quare ad Te oratio mea nunc eſt dirigenda,

MAGNIFICE VNIVERSITATIS DOMINE PROCANCELLARIE, VIR PERQVAM GENEROSE AC CONSVLTISSIME, DOMINE GEORGI CAROLE VVOELKERE, DIVERSORVM S. R. I. PRINCIPVM ET STATVVM, ET CVMPRIMIS INCLVTAE REIP. NORIBERGENSIS, CONSILIARIE GRAVISSIME, S. LATERANENSIS PALATII AVLAEQVE CAESAREAE ET IMPERIALIS CONSISTORII COMES DIGNISSIME, DOMINE ET PATRONE OBSERVANTER COLENDE;

Teque non meo tantum, ſed totius Collegii Philoſophici nomine, ea, qua par eſt, obſeruantia, rogo, ut pro ea, quae Tibi commiſſa eſt, Autoritate, mihi poteſtatem facias, praeſentibus ſeptem Candidatis pereximiis atque ornatiſſimis,

DN. CASPARI BINDERO, *Vinarienſi, illuſtris Gymnaſii VVilhelmo-Erneſtini Sub-Conrectori*,
DN. GODOFREDO LOMERO, *Auguſtano*,
DN. IOHANNI FRIDERICO STOY, *Vorra-Norico*,
DN. ELIAE GOTTLIEB DIETRICHO, *Vlmenſi*, ob afflictam ſanitatem abſenti,
DN. IOHANNI DAVIDI ELLRODIO, *VVeydenberga-Baruthino*,
DN. GEORG. LVDOV. GVILIELMO FROBENIO, *Onoldino*,
DN. LEONHARDO BOHNERO, *Norimbergenſi*,

ſummos in Philoſophia honores publice ac ſolemniter conferendi. Rogo etiam abs Te, VIR MAGNIFICE, eadem obſeruantia, Facultatis Poeticae nomine, ut ex eiusdem ampliſſimi muneris Tui autoritate, poteſtatem mihi tribuas, duobus aliis Candidatis pariter eximiis ornatiſſimisque,

DN. IOHANNI IGNATIO MICHAHELLI, *Norimbergenſi*,
DN. ANDREAE CHRISTOPHORO GRAFIO, *Auguſtano*,

Lauream Poeticam ſolemniter et more maiorum imponendi. Pro qua beniuolentia ea Tibi pollicemur obſequia, quae uel Amplitudinis Tuae exiſtimatio requirere, uel noſtrae tenuitatis facultas ullo loco aut tempore poterit praeſtare.

(s) cuius primus Tomus partem Phyſicae generalem complexus, prod. Norib. 1697. 4. Secundus autem Tomus, partem Phyſicae ſpecialem complectens, lucem demum aſpexit poſt autoris fata, Norib. 1722. 4. deficiente adhuc parte ſpecialiſſima, quae tamen ſuppleri poterit, tum ex HON. FABRI Tractatu de Plantis, Brutis, ac Homine, ut celeb. VVOLFIVS in praefat. T. 2. monet; tum etiam ex parte ex uariis ipſius b. Autoris opuſculis, diſſertationibus ſcilicet nonnullis, quae ad regnum uegetabilium et animalium ſpectantes Phyſicae eius Eclecticae paſſim inſertae leguntur, integroque inſuper tractatu de Homine, nondum edito, cui magnam porro lucem foenerabitur doctrina de Homine, prout illa in Phyſica Autoris Erotemat. fuſius, quam pro compendio et reliqua tractationis mole, deducta legitur.

XIIII.

ALTERA PARS ORATIONIS

GEORGII CAROLI VVOELCKERI,

MAGNIFICI ACADEMIAE PROCANCELLARII,
qua DECANO ORD. PHILOS. poteſtatem dedit
creandi MAGISTROS et POETAS.

* *

Domini et Auditores, quos ante compellaui, omnium ordinum Honoratiſſimi Suauiſſimique.

DE exiſtentia reſeruatorum CAESARIS, obſeruantia, efficacia, ac cum Procerum iuribus territorii compatibilitate, ex iis, quae ante commemoraui, conſtare arbitror. Progredior iam in ſpecie ad ea, quae Sacratiſſima CAES. MAIESTAS quoad illuſtres quidem perſonas ipſa, quoad alias uero, per delectos ad id Comites Palatinos, praeſertim quoad reſtitutionem famae ac honoris, tum etiam legitimationem liberorum extra iuſtum matrimonium natorum, aliaque negotia, expedire plerumque ſolet. Originem honorum Comitum, et primos praecipue natales, diuerſi diuerſimode quaerunt, ita, ut Mundius iam a CONSTANTINO M., alii autem rectius a Francorum Regno, Carolingorumque temporibus arceſſant, in quae me nunc diffundere, auribusqus ueſtris et patientia abuti, temporis ratio non permittit. Mihi potiſſimum Mulzii uerbis * hic uti lubet: *Sacrum, ait, Palatium Curiam ſiue Aulam Imperatoris quondam ſignificauit, et qui in ea ius dicebat, ſiue, ut Auentinus l. 4. Annal. Bau. habet, qui uicem Caeſaris, praeſidendo Senatui Principali, defungebatur, fidem Imperatoris implorantibus aderat, fiſcum Aug., praedia Salica, reditus regios procurabat, Caeſareum cenſum exigebat, et ſine cuius autoritate nihil decernere aut ſtatuere licebat, is dicebatur Comes Palatinus: honorabilius enim uidebatur nomen Comitis, quam iudicis.* etc. An, quod ibidem ſtatuitur, Gothi ac Longobardi Comitiuae honorem, ad imitationem Romanorum, itidemque Franci, Romanorum aemuli, ſeruauerint, indeque uarios Comitum ſiue Grauionum ordines et gradus inſtituerint? an Francis, aliisque potius Germanis, qui iudices ſuos Grauionum nomine indigitabant, nomen et officium illud uerius originem debeat, aliis perpendendum relinquo. Id certum, tantum perſonis illuſtribus dignitatem illam et munus fuiſſe collatum, et complures, praecipue quinque, magnos Palatinatus in Germania numeratos, nec non Sereniſſimorum tantum Electorum et Principum Palatinorum ortum inde repetendum, ſed et Ludouicum adhuc Bauarum Caſtrucio, Duci Lucae, cum Vicariatu Comitiuam S. Palatii Later. dediſſe, ea tamen ratione, quae in eos, de quibus nunc ſermo, Comites Pal. ut priuatos, hodie non cadit. Tractu autem temporis, et ſaepius mutatis Aulae Imperialis tum ſedibus, tum forma ac facie, et Sereniſſimis Principibus, maximis Imperii officialibus, eam non aſſidue ſequentibus, ſed proprias potius ſibi formanti-

* *Repraeſ. Maieſt. p. 2. c. 20. n. 166.*

mantibus et adornantibus, euenit, ut Imperatores conſtituerent quasdam perſonas, imo et Collegia, loco Vicariorum, quibus facultatem conceſſere, nomine et uice S. CAES. MAIEST. quosdam actus exercendi, qui alias e palatio ſiue aula IMPERATORIS expediendi eſſent; unde et iſtis Comitum Palat. nomen impertitum eſt. Vnde autem Lateranenſis Palatii Comites dicantur, apud Petrum de Andlo, Limn. Fritſch. Sagitt. aliosque uidere licet. Atque ita iam tum FRIDERICVS I ſtudio ſiue Academiae Patauinae Comitiuam hanc largitus eſſe fertur. Etſi ergo, ſecundum quorundam ſententiam, Gothi, Longobardi, et cum iis etiam Franci forte, (certo enim non conſtat) nomen Comitum noſtrorum a Romanis mutuati eſſe potuerunt, fruſtranei tamen rurſus ſunt labores eorum, qui ipſum illorum munus, atque hodiernum uſum, a tantopere ſibi exoſa iuris Iuſtinianei receptione repetunt, ex eoque potiſſimum capite contra illud, eiusque exercitium declamant; cum receptio dicti iuris, per ſupra memorata, officio hoc longe recentior, nec FRIDERICI I, multo minus CAROLI M. aetate illud Germaniae noſtrae innotuerit. De horum ergo poteſtate, et num eius exercitium in terris Principum Statuumque his uel deroget, uel ei, quod ipſi iure Status ac territorii expedire ac tribuere poſſunt, addere aliquid, aut efficacius operari quid poſſit? an uero ſuperuacaneum potius cenſendum, nec, niſi ex ciuilitate ac reuerentia in Caeſarem, per conniuentiam quaſi tolerandum? cum quibusdam eius oppugnatoribus quaeſtio nobis intercedit.

Innuimus autem iam ſuperius, nec de ipſo AVGVSTISSIMO CAESARE, eiusque iuſtitiae et magnanimitatis impenſiſſimo ſtudio usquam metuendum aut praeſumendum, Eum, ſola plenitudine poteſtatis ac reſeruatorum impulſum, extra uiam iuris et cognitionem cauſae, in iura Statuum manus immittere, multo minus derogare aut praeiudicare iis unquam uelle: unde nec in Statuum tertiorumue praeiudicium priuilegia (ad quorum claſſem indulta Comitibus noſtris, et per eos aliis, omni modo pertinent) impertire, ſed potius, ſi quae per ſub- et obreptionem a ſe impetrata, aliis autem damnoſa eſſe doceantur, caſſare ac annullare Maieſtatem Eius clementiſſime ſolere, quotidiana docet experientia. Quod ſi ergo uel contra Imperiale diploma, uel CAES. MAIEST. autoritate a Comite Palat. exaratas literas allegari probarique poſſit, per conceſſam u. g. aetatis ueniam, natalium famaeue reſtitutionem, inſignium collationem, aliumue ſimilem actum, uel ipſius Principis iura, uel ſubditorum commoda uiolari uelle, et u. c. non quaerenda demum, ſed quaeſita iura et inflictam pro meritis poenam relegationis tolli, eiusue ueniam et impunitatem dari uelle, ego in eorum partes facile concedo, qui hoc caſu Comitem Pal. fruſtra agere, et, ſi ſciens id faciat, reprehenſionem potius, quam aſſenſum mereri contendunt. Caeterum, quum praeiudicium huiusmodi ſubeſſe non doceatur, de ſummorum Principum magnanimitate uiciſſim nec praeſumendum nec credendum arbitror, eos beneficia ab aliis, quam a ſe, ſubdito incolaeue collata adeo inuidioſe explicaturos et aeſtimaturos, ut rem non innoxiae tantum, ſed maioris etiam plerumque, quam iure territoriali tribui poteſt, utilitatis, in dubium et contentionem ideo ſaltem uocare, ſuperioritatiue ſuae inde praeiudicari credere uelint, quia eius collatio non a ſe, ſed ab alio, et quidem ſummo Imperii Capite,

pite,

pite, profecta fit. Quin nec fine iniuria et laefione, et iuftitiae praeprimis denegatione, erga eum, qui ad S. CAES. MAIESTATIS eiusque delegatorum Pal. Comitum fubfidium huiusmodi conuolat, male id ferre, prohibereue Principem poffe, ex eadem illa ratione conftat, quod uberior longe et pinguior fine dubio beneficiorum horum, quam quae a Principe, Status ac territorii iure, impertiri uel impetrari poffint, fit effectus ac utilitas, utpote non inter fubditos tantum fe exerens, nec unius territorii cancellis claufa, fed per totum Rom. Imperium efficax et uires fuas exerens: cum Statuum u. g. legitimationes, reftitutiones, fimilesque gratiae, uix intra ipfum territorium femper fcopum ac effectum fuum attingant. Imperator certe ipfe Principum aliorumque illuftrium liberos naturales legitimat, famaeque reftituit; quod Procerum Imperii quemquam fibi fumfiffe, (uult tamen et hoc quidam alius) aut faltem extra ipfius terras ab aliis id attentum, non recordor: cum tamen ab Auguftiffimo, aut etiam Comite Palatino, factas legitimationes etiam apud Venetos effectum fortiri Mantica teftetur. Quin et excelf. Camerae Iudicium, quamuis iurisdictionem ordinariam per uniuerfum Imperium habeat, tamen a legitimationibus famaeue reftitutionibus indulgendis abftinet, easque Cancellariae Imp. Aulicae expediendas relinquit, cum non ad iurisdictionem, fed iura et Maieftatica referuata, pertinere agnofcat. Ipfa SERENISSIMA DOMVS ARCHIDVCALIS AVSTRIACA ius illegitime natos legitimandi ex fpeciali priuilegio Imperatorio habet et exercet, infallibili argumento, id ipfum iure fuperioritatis territorialis non competere: quid enim alias fpeciali conceffione opus fuiffet? Quoad priuatos Myler. * quidem (et pauci eum fequentes) afferit, fubditum, ab Imperii Principe fuo legitimatum, etiam extra eius territorium, quin et in fucceffionis materia, pro legitimo habendum effe: fed ex textibus potiffimum iuris Romani huc parum applicabilibus. Caeterum idem Myler. non tantum in non fubdito in contrarium magis propendet, et in reftituto famae, nifi infamia lege faltem prouinciali fuerit irrogata, titubans fatis refpondet: alii autem fere omnes, etiam qui referuatorum nomen et efficaciam aegre ferunt, extra territorium tum ueniae aetatis, tum legitimandi, famae reftituendi, fimilibus, nifi ab Imperatore, aut Comitibus Palatinis, obtentis gratiis, parum aut nihil iuris et effectus tribuunt; cum generatim uerum fit, quod ftatuta, et fic quoque beneficia perfonas habilitantia, non extendantur ultra territorium ftatuentium. Poffem me in plures et rationes et auctoritates diffundere, nifi non Romani tantum (quod diffentientibus tantopere difplicet) iuris, fed omnium gentium placitis, ipfiusque rectae rationis dictamine, notiffimum foret, extra territorium impune nemini pareri. Sed quid opus eft uerbis, ubi rerum teftimonia adfunt, atque quotidie experimur, quam parum Principum legitimationes, famaeue et honorum reftitutiones, etiam intra ipfa illorum territoria, apud opificia, aliasue eiusmodi fodalitates et Collegia, roboris habere foleant. Iuuat adducere hanc in rem uerba Mulzii ** ita loquentis: *Quoad opificiorum tribus et Collegia parum proficua effet ifta Statuum legitimatio, quoniam inter opifices eft quaedam quafi catenata coniunctio per uniuerfum Imperium, quam finguli Principes et Status, per modum huiusmodi legitima-* Sss *tionis,*

* *de Iur. Stat. Imp. cap. 54. §. 7.* ** *d. c. 3. §. ult.*

tionis, infringere nequeunt autoritate sua, qua extra territoriorum fines impedire non possent reliquos, quo minus legitimationes istas pro inualidis haberent, atque ob id Collegia uel tribus eiusdem loci tantisper excommunicatorum loco censerent, donec legitimatio rite impetrata fuerit ab Imperatore, qui per uniuersum Imperium iure Maiestatis suae hoc ius exercet, et omnibus et singulis imperat, poenamque eo nomine comminatur omnibus in uniuersum, ne legitimato quaestionem status moueant. Et notatu digna sunt, quae de exemplo quodam, et praeiudicio in contrarium, ibidem commentatur. Notiora sunt exempla alia, non uetera tantum, sed recentissima, et seditiosus praesertim paucos ante annos tumultus, a sutorum boethis in ipsa CAES. MAIESTATIS Viennae sede excitatus, quem nec Archi-Ducalis Regiminis Decreta, nec seuerissimae a refractariis exactae poenae, sedare potuerunt, antequam Imperialis autoritas accessisset; quam ut iis recensendis tempus terere auresque uestras A. H. fatigare diutius mihi concessum arbitrer. Vnicum, sed insigne, ex ipsis Imp. Constitutionibus, et Recess. quidem Imp. 1526. §. Und wiewohl der gemeine etc. addere hic placet, restitutionem nempe famae, delictorumque etiam gratiam, seditiosis tunc, per complures Imperii prouincias, rusticis ab Aug. CAROLO V concessam: quod si iam per territoriorum iura eam potestatem nacti fuerant Proceres, quare aut quid opus fuit, eam ab Imperatore per dictum Recessum indulgeri? nisi illud felicioris successus, maiorisque efficaciae creditum et agnitum fuisset. Vnde, teste rursus Mulzio, et experientia, quia fama per uniuersum uolitat, etiam restituti a Principibus et Statibus Imperii sibi magis consultum putant, si ab Aug. Imperatore, uel Comite Palatino, recuperata fama restauretur: qua in re, et similibus, ipsi saepe Ordines apud Imperatorem intercessiones suas interponunt, eiusque gratiam implorantibus procurant.

Antequam autem orationi meae colophonem imponam, non possum non mirari opinionem eorum, qui liberis Imp. Ciuitatibus eam, quam Principibus attribuunt, circa legitimationes, famae restitutiones, similiaque iura potestatem, adeoque ipsam superioritatem territorialem, ideo minus competere, atque ea ratione Comitum Palat. in suis territoriis beneficia et exercitium facilius et aequius, quam Serenissimos Principes, eas tolerare, causantur, quia ius Status non ex inuestitura, sed priuilegiis saltem, habeant. Ego certe, uti ex modo acquirendi differentiam iuris et potestatis deducere plane incongruum autumo, nec ipsum priuilegiorum, non personis, sed Rebuspublicis et ditionibus in perpetuum datorum titulum minime debiliorem, at potius fortiorem, quam inuestiturae, cum exstinctis descendentibus exspirantis, (quo casu ipsum feudum regale ad Dominum et Imperium redit) arbitror; et Ducatus etiam Comitatusque quosdam dari, reapse et experientia comprobatum credo, qui non lege feudi recognoscuntur, iura tamen territorii, allodii titulo, adeoque nulla inuestitura, uel summi Principis beneficio praecedente, possident, sed proprio iure exercent; ita ad ipsam praxin, usumque Imp. et Instrum. etiam Pac. VVestph. art. 8. prouoco, quae quoad uim et iura potiora, superioritatem territorialem Principum et Ciuitatum sibi ueluti, iuxta prouerbium, ouum ouo similem esse manifeste docent, ita, ut ex ea superioritate semper praesumtio in dubio aeque pro Ciuitate Imp. militet, ac pro ceteris et potentioribus

Stati-

Statibus: etiamsi dignitatis gradu se inferiores libenter agnoscant Ciuitates, magnificisque titulis modeste abstineant; id quod uero neque arguit, neque infert, iurium potestatisue imparitatem.

Concludo cum uoto et uerbis illustris cuiusdam ICti, quanquam reapse ea saepius parum obseruantis, sed contra AVGVSTI reseruata strenue depugnantis: Harmonia debet esse inter Caput et membra: harmonia etiam debet esse inter iura Capitis, et iura membrorum. Non opponenda sunt ista sibi inuicem: non extollendus Imperator cum praeiudicio Statuum: non admittenda Statuum (a Ministris suis) adulatio, cum praeiudicio Imperatoris; addo ego: nec humillimae eius Maiestati et iuribus debitae uenerationis imminutione. etc.

Nunc ad id accedo, quod hodierni diei solennitas, et officii mei ratio specialiter exigit. Tibi ergo, Praenobilissime atque Amplissime DN. IOH. HENRICE MVLLERE, Phys. et Math. P. P. meritissime, incluti Ordinis Philosoph. h. t. Decane et Brabeuta spectatissime, quod iustissime petiisti, iustissime impertior, atque IMPERIALI AVGVSTI autoritate, tum PERILL. SENATVS NORIMBERGENSIS, et maxime uenerandi DNN. HVIVS VNIVERSITATIS CVRATORVM COLLEGII iussu ac mandato, facultatem ac licentiam tribuo, eos, quos nobis stitisti Candidatos, solertia et eruditione merentissimos, et plura etiam propediem pollicentes,

DN. CASPAREM BINDER, *Gymnasii Vinariensis Sub-Conrectorem*,
DN. GODOFREDVM LOMER, *Augustanum*,
DN. IOHANNEM FRIDERICVM STOY, *Norimbergensem*,
DN. ELIAM GOTTLIEB. DIETRICH, *Vlmensem*,
DN. IOHANNEM DAVIDEM ELLROD, *Baruthinum*,
DN. GEORG. LVDOV. VVILHELMVM FROBENIVM, *Onoldinum*,
DN. LEONHARDVM BOHNER, *Norimbergensem*,

honore, quem ordo uester praebere solet, Magisterii nempe supremo;

DN. autem IOH. IGNATIVM MICHAHELLEM, *Norimbergensem*, et
DN. ANDREAM CHRISTOPHORVM GRAFIVM, *Augustanum*,

iure et dignitate Laureae Poeticae condecorandi, et solenni ritu inuestiendi, ita tamen, ut prius iureiurando, quod per Tabellionem Academicum ipsis praelegetur, fidem suam ex more animoque obstringant. Nos interim iis non minus, quam modo creatis Dnn. Doctoribus, ex intimo cordis affectu de dignitate meritissima gratulamur, et prosperrima quaeque in perpetuum apprecamur.

XV.

RENVNTIATIO SEPTEM MAGISTRORVM PHILOSOPHIAE.

* *

QVod itaque DEVS T. O. M. felix faustumque, Nomini suo gloriosum, huic Academiae et uniuersae Rei literariae salutare, totique huic panegyri, quam in nouo hoc seculo primam hodie celebramus et aperimus, auspicatissimum esse iubeat! Ego IOHANNES HENRICVS MVLLERVS, Philos. Nat. et Math. Prof. P. h. t. Decanus et Brabeuta legitime constitutus,

Te, DN. CASPAREM BINDERVM, *Vinariensem, illustris Gymnasii patrii VVilhelmo-Ernestini Sub-Conrectorem.*

 Te,

Te, DN. GODOFREDVM LOMERVM, *Auguſtanum*,
Te, DN. IOHANNEM FRIDERICVM STOY, *Vorra-Noricum*,
Te, DN. ELIAM GOTTLIEB DIETRICH, *Vlmenſem*, abſentem, tanquam praeſentem,
Te, DN. IO. DAVIDEM ELLRODIVM, *VVeydenberga-Baruthinum*,
Te, DN. GEORG. LVDOV. GVILIELM. FROBENIVM, *Onoldinum*,
Te, DN. LEONHARDVM BOHNERVM, *Norimbergenſem*,

Vos omnes et ſingulos Philoſophiae artiumque liberalium Magiſtros, ſiue Doctores, ſolenniter creo, proclamo, renuncio, et uobis omnia iura ac priuilegia ab AVGVSTISSIMIS CAESARIBVS clementiſſime noſtrae illi Facultati conceſſa, et in aliis Academiis exerceri ſolita, larga manu confero, in nomine ſacro-ſanctae TRINITATIS, PATRIS, FILII, et SPIRITVS SANCTI.

Ac ne haereditatem hanc ſine ſacris, quod aiunt, adepti eſſe uideamini, receptis conſuetudine cerimoniis in plenam poſſeſſionem eius honoris immittendi mihi eſtis, Clariſſimi Dnn. Magiſtri.

Primo in *cathedram* hanc ſuperiorem uos euoco, quae ſedes eſt Docentium. In cathedra enim Reſpondentium eos uos geſſiſtis, ut ſuperiorem uobis non amplius occludi fas exiſtimem.

Secundo *Librum* uobis porrigo, eumque *apertum*. His enim imbecillitatis humanae praeſidiis ſubleuanda eſt noſtra inſcitia, quamdiu nobis in hoc corporis ergaſtulo uinctis, non niſi per ſpeculum et aenigma, καὶ ἐκ μέρους, uidere licet. Neque enim meditatione tantum, ſed et lectione opus eſt, ad ſalutarem artium tractationem, nec niſi rariſſimi ſunt, qui ſine lectionis ſubſidio, ſola meditatione, ad inſigne eruditionis culmen adſpirant.

Claudo rurſus *Librum*, ne fruſtra memoriam a natura tributam eſſe credatis. Et incidunt tempora, quando etiam ſine iſtis librorum ſubſidiis bene prouidendum eſt, et capiendum nonnunquam in nocte conſilium.

Pileum capitibus ueſtris impono. Vetus ille docentium ſignum eſt, et Romano more libertatis ſymbolum. Philoſophiae ſeruias oportet, ut tibi contingat uera libertas, ait Seneca.

Annulo aureo digitos ueſtros exorno. Hoc enim pignore deſponſatam uobis Philoſophiam noſtram, matronam grauem, pudicam, affabilem, in dulce conſortium debetis admittere.

Oſculo quoque et amplexu uos excipio, ut cogitetis, quam ſuauia ſint labra ſapientiae, in cuius complexu perpetuo deliciari poteſtis, imo debetis. Et quando Concordiae quoque et pacis Chriſtianae ſignum eſt oſculum, iſtam quoque ut perpetuo exoſculemini, uobis commendamus. Atque ſic nouos honores ex animo Vobis gratulor!

XVI.
RENVNTIATIO II POETARVM.

* *

HAec tribuit SOPHIE! *Nunc tu, ueneranda* POESIS,
Huc ades, et larga munera funde manu!
Non omnis periit tua laus, tua fama, decusque;
Reſtat adhuc aliquis, qui tibi fulget, honor.

Quan-

Quanta olim fueras Regumque Ducumque uoluptas;
Quanta olim ingenio gloria parta stetit!
Magnus Amyntiades, inter tot tela, tot hostes,
Maeonidae doctum saepe reuoluit opus.
Hoc in deliciis habuit, uictusque sopore
Hoc fertur capiti supposuisse suo.
Thebas cum pugnax combureret, ille uetabat
Corruere igne tuos, Pindare clare, Lares.
Teque, Enni Calaber, quamuis domus arcta tulisset,
Roma potens armis iusserat esse suum.
Tecum Scipiades cupiebat uiuere semper;
Aut uno tecum mortuus esse loco.
Vix ita Phocaeo iuueni dilectus Orestes;
Vix ita Cecropio Pirithousque Duci:
Augusto quantum, Flaccusque, Maroque, placebant;
Quam Maecenati charus uterque fuit.
Certarunt uno de uate, Ios, Argos, Athenae;
Certarunt, Colophon, Smyrna, Rhodos, Salamis.
Haec tibi uis quondam fuit, heu fuit, alma Poesis;
Tantus ubique tibi cultus honorque stetit!
At, si moesta tuae quae nunc sit sortis imago,
Respiciam; mihi mens aegra dolore stupet.
Hei, quam desertus per terras errat Apollo,
Et stabilem toto quaerit in orbe locum!
Quam nunc Musarum sordet uenerabile nomen;
Quam nunc Pieridas tempora dura premunt!
Quam passim uiuunt ingloria turba, Poetae;
Quamque parum reliquis uatibus aula fauet!
Ipse ego te uidi nuper, dilecta Poesis,
Tristi mente tuis indoluisse malis.
Ritu moerentis scissus squallebat amictus;
Squallebant sparsae moesta per ora comae.
Serta, sed inuitam cingebant laurea, frontem;
Nec crinis solito tinctus odore fuit.
Sollicitae mentis curam lenire parabas
Cantibus; at questa est tunc quoque pulsa chelys.
Sed, iam mitte metum; pallentem disiice curam;
Signaque laetitiae fronte animoque geras.

Fulget adhuc ſpes laeta ; tui ſtat gratia coetus ;
Fataque pro meritis te meliora manent.
Namque , o Pieriae , ſemper florebitis , artes ;
Dummodo uos NORIS , *quam celebratis , amet.*
NORIS *amat Muſas ;* NORIS *non carmina ſpernit ;*
NORIS *doctrinae praemia grata dicat.*
Haec uiret ingeniis ; haec Palladis auget honores ;
Haec uatum numeris nominibusque fauet.
En , adſtant praeſto , queis ſunt tua carmina curae ;
Queis tuus eſt cordi , diua Poeſis , honor !
Alma , faue , mitisque tuos cum carmine uates
Reſpice , et elata porrige ſerta manu !
Tu uehis in coelum mentes ; tu pectora uatum
Concutis , et motu feruidiore rapis.
Si tibi ſe ſacrat MICHAHELLES , *Pallade teſte ;*
Eſtque frequens illi nomen in ore tuum :
GRAFIVS *aſſiduus ſi te colit atque ueretur ;*
Ambo ſi ſtudiis ingenioque ualent :
Adſpice , ſacratas ornent ut frondibus aras ;
Nec dubitent poſito procubuiſſe genu.
Hi laurusque ſuis optant hederasque capillis ;
Implorantque ſacrum ſollicitantque chorum.
Fallor , an exaudit facilis pia uota Poeſis ;
Atque offert Helicon , quicquid honoris habet ?
Macti animis , Iuuenes Phoebeo nomine digni ,
Quorum Pegaſeus proluit ora latex ;
Macti animis igitur ; Vobis , quodcunque rogaſtis ,
Nunc exorato pectore Diua dabit.
Iam ueniunt HEDERAE , *iam circum tempora* LAVRI ; *
Hoc uatum priſco ſumite more decus.
Sic uos Phoebus amet porro , meliorque Poeſis ;
Vt tribuunt ueſtris haec ſacra ſerta comis.
Ergo , uelut laurus , ramis felicibus arbor ,
Sub quouis Phoebi climate laeta uiret ;
Illius ut florem neque hiems , neque laeſerit aeſtas ;
Nec triſtis uiolant fulmina ſaeua poli :
Sic nihil et nobis perimat uirtutis amorem ;
In quouis uigeat mens bene culta loco. *Tem-*

* **Hic imponebatur binis Candidatis corona ex lauru et hedera conſerta.**

Tempeſtas nec ſaeua ſacros infringat honores;
Quos animis doctis grata Thalia refert.
Vt uix ſuccreſcit laurus conuallibus imis;
Laetior at ſurgens uertice celſa petit:
Sic nec ſerpit humi, ſed tendit ad ardua uirtus;
Et ſupra uulgum mens meliora probat.
Vt laurus uirgo eſt; ſic ars, ſic turba ſororum
Pieridum caſta eſt, tetraque probra fugit.
Sancta placent Muſis; placet ipſa modeſtia Phoebo;
Ingenuas mentes uita modeſta decet.
Cernite et hic hederas, Phoebeae praemia frontis;
Frondibus hae preſſis robora magna ligant:
Sic ueſtra haud hominum disiungant carmina mentes;
Nec quemquam, duro noxia dente, petant.
Quotquot uos canitis uerſus, teſtentur amorem;
Concilientque homines, concilientque Deum.
ANNVLVS *iſte* (**) *nouum uobis dat pignus honoris;*
Conuenit ingenuis uatibus aptus honor.
Aurea libertas debetur prima Poetis;
Qui recinunt doctis aurea ſaecla modis.
Hac arrha, egregiam uobiscum iungitis artem;
Ex quo laus tandem foedere certa uenit.
OSCVLA *do uobis, ut ueſtris moribus ipſae*
Adſpirent Charites carminibusque decus.
Sic mihi, ſic ſaluete noui, *ſaluete*, Poetae!
Hos uobis titulos gratulor ore pio.
CAESARIS *auſpicio ornati ſaluete Poetae!*
Apprecor, ut uobis hic bene uertat honos.
Ite bonis auibus, cumulateque praemia parta;
Palladiasque artes uos coluiſſe iuuet.
Decantate DEI *ſacro miracula plauſu,*
Veſtraque diuinis laudibus ora flagrent.
Vos Maecenatum meritis aſſurgite promti;
Veſtris laetetur Patria chara modis.
Carminibus ueſtris uirtus ornetur, ouetque;
Poeniteatque malos expetiiſſe nefas.
At tu nunc breuibus, Michahelles, *concine grates*,
Quas mea Muſa, ſuo feſſa labore, nequit.

(**) Hic induebatur Candidatorum digitis annulus aureus.

SECTIO VII,

SECTIO VII,

QVAE PERTINET AD ACTA TERTII DIEI FESTI, QVO CONSVLATVS ACADEMICI MVNVS SVCCESSORI TRADITVM EST.

I.

ORATIVNCVLA RECTORIS ACADEM. IO. IAC. BAIERI, *dicta in Templo, cum ipse Magistratum deponeret.*

* *

TAmetsi bene sciam, A. O. O. H. me nunc in tali constitutum esse loco, in quo tacere neutiquam conueniat, exiguam tamen disserendi opportunitatem, in praesenti temporis breuitate inuenio; quanquam, si nullum aliud suppeteret dicendi argumentum, *sacra nostrae Academiae saecularia*, feliciter nunc peracta, copiosissimam orationis materiam suppeditare uideantur. Sed quis ego sum, qui post eloquentissimos Ecclesiae et Academiae Oratores, de rebus tam magnis splendidisque dignum aliquid commemorare sustineam? cum etiam, si quid omnino reliquum ab iis factum fuerit, hoc gratae posteritati, ut aliquando adiiciatur, permittendum esse existimem. Mihi ergo nunc liceat reuerti ad me, posteaquam negotiis alienis sat diu distractus, et *annuo Academiae consulatu*, si non laudabiliter admodum, certe bona fide et conscientia defunctus sum. Ast profecto ingrati hominis notam titulumque mererer, nisi occasione hac fateri uellem et praedicare publice, per quos profecerim.

Inprimis igitur *genua mea flecto ad* DEVM ET PATREM DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI, *qui dedit mihi, secundum diuitias gloriae suae corroborari per Spiritum eius, (*)* ut in rebus arduis ac dubiis consilium, in aduersis auxilium, inuenerim, in afflictis animum non dimiserim: qui nos omnes in pace et tranquillitate publica, florenteque rerum statu conseruauit, nullis ciuium nostrorum funeribus, alioue grauiori casu,

(*) Ephes. III.

caſu, intra totum hunc annum conturbatos; cum nec Diabolus *homicida ab initio (**)* intentatas, per ſuos filios, turbas caedesque potuerit perficere. Illi propterea *Seruatori noſtro, et adiutori meo benigniſſimo*, cum nihil habeam aliud, quod gratum deuouere queam, me totum trado, ſimul et ſalutem uniuerſae Academiae noſtrae piis precibus commendo.

Proximum a DEO IMMORTALI locum, propter opem mihi praeſtitam, tribuere par eſt INCLYTO FLORENTISSIMAE REIP. NORIMBERGENSIVM SENATVI, et ſeorſim PERILLVSTRI COLLEGIO DOMINORVM CVRATORVM ACADEMIAE. Sub eorum enim tutela muneris mei autoritas firma ſtetit, et non ſolum ſarta tecta hucusque ſeruata eſt haec Studiorum Vniuerſitas, uerum etiam ipſorummet incredibili fauore et liberalitate, magnis ſumptibus ac beneficiis exornata et amplificata exiſtit. Quae omnia cum longe maiora ſint, quam ut per infantiam meam digne collaudari queant, ſacro inuoluam ſilentio, memori autem tenebo pectore, quamdiu ſpiritus hos reget artus, neque ceſſabo uberrimam a DEO remunerationem ipſis exorare.

Iam uero ueſtram quoque, PATRES ACADEMIAE CELEBERRIMI, prudentiam atque humanitatem grata mente recolo. Vos enim optimorum, ad regendam ciuitatem noſtram, conſiliorum promptiſſimos autores, ac in iisdem rite exequendis adiutores beneuolos habui. Quid ergo magis optandum mihi eſt, quam ut porro fruatur ſaluberrimis conſiliis et auxiliis ueſtris haec noſtra Academia? cuius adeo praecipue in gratiam, Vobis omnibus uitam longam et incolumitatem perpetuam, et quicquid inſuper optabile eſt, ex animo apprecor!

Minime autem Vos, ſine omni alloquio et ſalutatione poſſum dimittere, CIVES GENEROSI, MVLTAQVE VIRTVTIS AC ERVDITIONIS LAVDE ORNATISSIMI: cum Vobis etenim potiſſimum mihi agendum fuit, quamdiu Academiae magiſtratum geſſi. Veſtrum omnium ſalutem ſupremam mihi legem fuiſſe, DEVM teſtor meamque conſcientiam. Feci autem illius cauſa, quicquid potui, tanto alacrius, quanto impenſius ad id me obligauit modeſtia, pietas, humanitas et

Vuu indu-

(**) Ioh. VIII.

induſtria ueſtra. Pergite igitur, quaeſo, laudabilem iſtam tenere uiam, quae Vos ad uerae felicitatis faſtigium perducet. Habebitis praelucentem diuinam gratiam, moderatorem uero morum, et aſſertorem iurium ueſtrorum, per noui huius anni Academici periodum, ab AMPLISSIMO SENATV legitime conſtitutum RECTOREM MAGNIFICVM, *Virum Nobiliſſimum atque Excellentiſſimum*, DN. IAC. VVILH. FEVERLINVM, *Philoſophiae primae et rationalis Profeſſorem Publ. celeberrimum.* Huic ueſtram, Ciues optimi, fidem, ſicuti par eſt, addicite; hunc decenti obſequio colite et obſeruate!

Tu uero, MAGNIFICE DOMINE RECTOR, ſalue mihi iterum, et ſuſcipe, poſteaquam purpura Academica indutus es, reliqua etiam dignitatis et muneris Tui inſignia. Quo nomine *Sceptra* primum porrigo, quibus ciuitatem noſtram opportuna, modo grauitate, modo lenitate, gubernandam Tibi concreditam eſſe optime intelligis.

Hinc *Legum et Statutorum Codicem* trado, utpote quorum cuſtodem ac uindicem Te iam conſtituit SENATVS AMPLISSIMVS, ut Iura Vniuerſitatis ac ſingulorum ciuium rite tuearis, et ſuum cuique tribuas.

Porro *Sigilla* exhibeo, quorum eſt neceſſitas in obſignandis et autoritate muniendis, quae Academiae nomine ſcribuntur, literis, publicisque tabulis.

Tandem et *Claues* accipe, quae Tibi datam declarant poteſtatem carcerum et adminiſtrationem cuſtodiamque rerum ad fiſcum Academiae pertinentium, abs me propediem bona fide exhibendarum.

Quod ſupereſt, ego Tibi, RECTOR MAGNIFICE, primus omnium publice de ſuſcepto munere honorifico gratulor; quod quanto maiori cum onere coniunctum eſſe ſolet, tanto magis apprecor, ut DEVS omnipotens, qui me plus, quam praedicare poſſum, in eodem iterum gerendo clementer adiuuit, Tibi pariter opitulari, et uires corporis animique ſufficientes, Senatum concordem ac beneuolum, Ciues quietos et obedientes, et quicquid praeterea Tui muneris felicitati conueniens optari poteſt, benigniſſime largiri dignetur!

II. *ORA-*

II.

ORATIO

IACOBI VVILHELMI FEVERLINI, P. P.

RECTORIS ACADEMIAE in primum noui saeculi annum constituti.

* *

MAGNIFICE DOMINE PRORECTOR
PATRES ACADEMIAE EXCELLENTISSIMI
HOSPITES VENERANDI
CIVES OPTIMI
DOMINI ET AVDITORES OMNIVM ORDINVM
HONORATISSIMI.

QVod precati a DEO OPTIMO MAXIMO sumus omnes, ut festum Academiae saeculare feliciter et tranquille celebrare liceat, id diuino et per omnia saecula non intermorituro beneficio nobis obtigisse laetamur, atque, dum in noui saeculi limine nos iam constitutos sentimus, non possumus non sanctissimum Numen, summum bonarum litterarum Statorem et Conseruatorem, ardentissimis denuo uenerari precibus, ut non per hoc tantum saeculum integrum, sed etiam ad ultimum usque huius uniuersi finem, florem et splendorem almae huius Musarum sedis tueri et augere uelit. Hoc ipsum cogitare, optare, sperare, oportet nos omnes. Mihi sane, qui primus in hac noua periodo Academiae Rector uestris, Patres Academiae Venerandi, suffragiis electus sum, qui munus hoc oratione solenni ad Vos inprimis, Ciues optimi, pertinente auspicari per leges iubeor, praeter felicitatem cum Academiarum in uniuersum, tum huius praesertim bonarum mentium officinae, argumentum succurrit nullum. Pio igitur affectui indulgere, atque de ipso hoc uotorum nostrorum scopo disserere, mecum constitui, certo sperans, fore, ut, quo melius, o Ciues dilectissimi, quae sint Academiae bona, intellexeritis, eo impensius mecum eadem a DEO apprecaturi, et, ubi uoti damnati erimus, eo prudentius iisdem usuri sitis. Vos autem omnes, Domini et Auditores omnium ordinum honoratissimi, ut eo fauore, quo Academiam prosequimini, me, qui uota eius interpretari

nunc conabor, audire uelitis, humaniſſime rogo et contendo. Studebo breuitati, daboque operam, ne aures ueſtrae, elegantioribus orationibus audiendis per feſtum ſaeculare aſſuefactae, incomta ſimul et prolixa oratione defatigentur.

Qui rebus publicis bene conſulere uoluerunt, ſaepe tales ſibi effinxerunt fortunatarum ciuitatum ideas, ut, ſocietatum humanarum obliti, neſcio quibus Solis Lunaeue incolis inſeruire uoluiſſe uideantur. Nec alibi quaerendae ſunt ſocietates litterariae, quas nonnulli, uariis Academiarum noſtrarum uitiis atque defectibus medicam manum adhibituri, bono animo ſed imprudenter, erigi optarunt. Ne in eandem incidamus Scyllam, ex hiſtoriarum monumentis eas adumbrabimus Academiarum ideas, quas pii Maiores noſtri apud exteros obſeruatas ſibi in Germania imitandas propoſuerunt, ut ex ſapientiſſimis autorum intentionibus, quae deſint, et quae ad perfectionem earundem requirantur, liquido pateſcat. In eo enim contra prudentiae regulas plerique impingunt, quod, neglectis negotii indole atque fine, ex quibus tamen perfectio et imperfectio unice dignoſcuntur, quae meliora uidentur, perfecta; quae uota haec ſua non attingunt, imperfecta, exiſtimant. Non excurram in antiquiſſima tempora, quibus non defuiſſe litteraria Gymnaſia notiſſimum eſt; non reuocabo in memoriam antiquas Germaniae ſcholas, quas corruptas atque neglectas omnino interiiſſe Maiores noſtri docuerunt: illius tantum mentionem faciam aetatis, qua tribus quatuorue abhinc ſaeculis pleraeque Germanicae Academiae ſuum celebrarunt diem natalem. Senſerant Caeſar et ſummi Imperii Proceres ſummam eruditorum neceſſitatem, quibus ſiue in ciuilibus, ſiue ſacris negotiis rite gerendis, carere non poterant; doluerant maximis ſumtibus paribusque moleſtiis apud exteros, Gallos inprimis atque Italos, doctrinas patriae inprimis minus apte accommodatas bonis ſuis ciuibus eſſe petendas; uiderant nec ſine commiſeratione, optima ſaepe ingenia ob inopiam inculta atque rudia permanſiſſe: his de cauſis communibus conſiliis ampliſſimisque priuilegiis complures in Germania erigere Academias ſapientiſſime decreuerunt. Comparandi in eo ſunt indefeſſis Botanices cultoribus: ſicut enim hi ſemina peregrinarum plantarum, quae olim

olim ſtupendis ſumtibus ex Indorum regionibus ad nos fuerunt deportandae, nunc magnis cum impenſis, magnoque labore, maiore tamen cum lucro, in ſuis plantare atque alere ſolent hortis; ita prudentiſſimi Imperantes utiliſſima bonarum artium ſeminaria in ipſis ſuis ditionibus inſtruenda et fouenda eſſe cenſuerunt, certa ſpe freti, neque ſumtus, neque operam, male collocatum iri. Habemus hic breue illorum bonorum compendium, quae uel ipſam exornant Academiam, uel inde in Rempublicam redundant. Academiam ſummi Proceres uoluerunt eſſe eruditionis ſedem, bonarum mentium officinam, uirorum iuuenum grauiſſimis negociis deſtinatorum Gymnaſium, largis ſtipendiis enutritum, imperiique parte munitum, inſigni dignitate ornatum, et facultate dignos ſummis honoribus condecorandi inſtructum, ad coercendos intra ditionis terminos ciuium ſtudioſorum numos, ad accerſendas exterorum, qui ſtudiorum gratia alliciuntur, pecunias, atque hinc non ſingulorum tantum ciuium quorumcunque opibus augendis, ſed ipſis etiam aerarii rationibus, utiliſſimum. O felicem igitur, terque quaterque beatam Academiam, quae tantorum capax eſt bonorum, eademque et tuetur et auget!

Abſit autem, ut ſingula haec felicitatis genera in uno eodemque habeamus precio, aut ex iis, quae minoris ſunt momenti, felicitatem unice aeſtimemus, aut maiora minoribus poſtponamus. Primum et praecipuum eſt, ut omnia eruditionis genera uigeant et propagentur. Si huius uitae felicitas in eo conſiſtit, ut ſit mens ſana in corpore ſano, ſi mentis cultura corporis curae eſt anteferenda, ſi denique omnis ad depellendam miſeriam et obtinendam felicitatem inſtituta actio accuratiorem et cum ultimis fundamentis arctiſſime connexam requirit notitiam; eruditio ſane maximum cenſeri debet bonum: haec enim mentem perficit, haec actiones dirigit, haec felicitatem unice reſpicit. Quo maius autem hoc eſt bonum, eo maiorem deſiderat eiusdem propagatio circumſpectionem. Non ſufficit, eos conſtituiſſe ſcientiarum doctores, qui ſibi aliisque non ſine nominis celebritate uidentur doctiſſimi, quamuis celebri-

tatem Professorum, si cum meritis sit coniuncta, inter bona haud postrema referendam esse censeam; sed solida et ampla cognitio, insignis prudentia didactica, indefessus labor et non fucatae uirtutis splendor, in docente cumprimis requiruntur. Non fingam sapientem Stoicum, neque tales desiderabo doctores, qui sint ueri polyhistores, omnis erroris, defectus, labis expertes: modo naturali gaudeant iudicii praestantia, communissima exuerint praeiudicia, quarundam etiamsi paucarum ueritatum fundum attigerint, in iis doctrinis, quas maxime excolendas sibi sumserunt, multa multumque sciant, a sectae studio alieni, neque antiquitatem caeca ueneratione adorent, neque noua et singularia affectent, connata facilitate cogitationes suas exprimere sciant, honesti aeque ac decori sint tenaces; hi satis felicem reddent suam Academiam. Etenim his instructus praesidiis non ipse tantum docendo plura subinde discet, sed discentes etiam, qui neque inepti, neque imparati, accesserunt, ex ipsis docentis sui erroribus proficient, siquidem pauca ueritatum semina ita solent esse foecunda, ut errores interspersi subinde corrigantur, nouaeque ueritates adiiciantur. Hac enim, nec alia, ratione propagari potest eruditio; ut quisque sit sententiarum suarum autor, necessarium est; qui coecam discentium erga docentes obedientiam uolunt et imitationem, eruditionis indolem ignorant. His etiam uarietas Praeceptorum displicere solet, quae mihi ad euitanda autotoritatis praeiudicia, ad proprias eo commodius instituendas meditationes, ad amplificandam denique scientiam, uidetur aptissima. Vt paucis multa complectar, nonnisi unum est eruditionem promouendi subsidium, nempe εκλογη· haec primum opus habet ampla litterariorum conatuum notitia; deinde experimenta efflagitat, quibus crassissimi eiiciantur errores, primaeque inueniantur ueritates; his denique succedit meditatio, alma doctrinarum mater. Ast quantae hunc in finem requiruntur Bibliothecae! quantus pro expe-

rimentis faciundis apparatus! quanti ſumtus! quantus labor! Quo difficiliora tamen haec ſunt, eo etiam ſunt pulchriora. Sed ſupereſt alius Herculeus labor, debellare uitiorum belluas, atque uirtutem rectamque uiuendi rationem diſcentium animis inſtillare.

Abhorreo ab illorum inſania, qui doctrinarum florem ad Academias ita unice pertinere exiſtimant, ut uirtutis propagationem ab hoc loco alienam eſſe putent. Multo potius, cum haec aetas, quae ſtudiis eſt aptiſſima, mores etiam formet et firmet, atque conſuetudines adſciſcat per omnem reliquam uitam uix iterum deponendas; cum ſine uirtute ad ſcientiarum culmina aſcendere ſecure non liceat; cum maior ſit felicitas, bonum eſſe, quam doctum; cum denique omnis omnino eruditio ad uitae humanae felicitatem tendat: id ſibi officium iniunctum ſentiunt boni doctores omnes, ut omni ſtudio, doctrina, admonitione, exemplo, ipſaque conuerſatione, ad ueram uirtutem eiusque pediſſequas, prudentiam et morum elegantiam, diſcentes ſuos excitent atque manuducant. Vnum ſupereſt felicitatis genus, quod corporis concernit culturam: in ipſo enim aetatis flore corpus agile reddere uariisque honeſtis exercitiis firmare oportet. Quemadmodum uero his aliisque innumeris bonis benigniſſimorum Nutritorum prouidentia Academias exornare ſolet; ita, ut fines ſuos haec aſſequantur, ut ſummum felicitatis apicem attingant, a ſtudioſorum expectari debet bonitate. Miſera eſt Academia, quae pauciores numerat diſcentes, quam docentes, quae ciues uidet naturali ingenii bonitate atque eruditionis capacitate deſtitutos, quae dolet, feliciſſima ſaepe ingenia praefixi oblita ſcopi alienis tempus terere, et ſtudia negligere, quae rixis, pugnis, aliisque uitiis, ſub ſpecioſo libertatis et peculiaris ſtatus rationis titulo graſſantibus, turbatur; quae denique ciuibus prodigis, pecunias ſuas male adminiſtrantibus, et aes alienum conflantibus, moleſtatur. Ex his facile pateſcit, in quibusnam momentis

felicitatem Academicam a ciuibus promotam uelim. Non desidero ingentem studiosorum numerum, qui millibus computari possit, (quamuis haud contemnendum felicitatis additamentum in eo positum esse existimem) sufficit mihi mediocris et docentium numero conueniens discentium numerus. Id uero inprimis desiderandum est, ut non nisi bene praeparati atque ad maiora apti accedant, ut suam felicitatem ament, desiderent, studiose quaerant, ut scopi sui sint memores, ut non audiendo tantum, sed experiundo etiam, legendo, meditando, solidam sibi comparent eruditionem, ut uerae liberaeque a sectae studio philosophiae operam nauent, ut in uirtutis studio, elegantioribus moribus et legum obseruatione libertatem suam collocent, ut prudentes sint oeconomi, ut denique ad suam aliorumque, inprimis integrarum societatum, felicitatem promouendam, seruandam, augendam, idoneos se reddant, omnique studio, labore, contentione, praeparent. Sed quid opus est uerbis, ubi rerum adsunt testimonia? Nostra enim Academia ea bona, quae Academiis necassaria sunt et utilia, egregio compendio exhibet. Per DIVINI enim NVMINIS gratiam, et ILLVSTRIS SENATVS NVRENBERGENSIS munificentiam, nihil deest, quod ad uos, o Ciues optimi, optimis scientiis, uirtutibus et artibus imbuendos, excolendos, perficiendos, desiderari possit, neque in posterum cessabit ILLVSTRIVM CVRATORVM cura, augendae nostrae felicitati unice inuigilans. Vos autem, Generosissimi et Nobilissimi Ciues, licet numero multis aliis coetibus Academicis sitis inferiores, uirtute tamen nulli estis inferiores. Tanta enim est uestrae in studiis assiduitatis, uestraeque honestatis et elegantiae laus, ut exemplum aliis, qui uos imitentur, proponi possitis. Gratulor igitur ex animo Academiae Altdorfinae de tanta felicitate, atque, ut per omnia saecula floreat atque crescat, opto precorque. Tu, IMMORTALE NVMEN, Fons Sapientiae, curae cordique porro habebis hanc

Muſarum ſedem, auertes porro ab eadem belli et morborum pericula; diriges docentium et diſcentium labores Spiritu tuo Sancto, ut in ſanctiſſimi Nominis tui gloriam, totiusque orbis Chriſtiani felicitatem, cedant certiſſime. Protege AVGVSTISSIMVM CAESAREM, CAROLVM, ut ſub feliciſſimo eius regimine omnis Germania ſit porro feliciſſima. Serua ILLVSTREM REMPVBLICAM NVREMBERGENSEM, almam noſtram matrem; benedic prudentiſſimis PATRVM PATRIAE conſiliis; remunerare omni felicitatis genere indefeſſam ILLVSTRIVM CVRATORVM pro ſalute noſtra ſolicitudinem. Largire excellentiſſimis huius Athenaei Profeſſoribus animi corporisque uires, ut per maximam noui huius ſaeculi partem Academiae praeeſſe, eiusque felicitatem promouere poſſint. Exorna laetiſſimis rerum ſuarum ſucceſſibus HOSPITES honoratiſſimos, qui nobiscum hilaria ſaecularia celebrarunt, nobisque bene precati ſunt. Tandem etiam Tibi, TER OPTIME TERQVE MAXIME IEHOVAH, ardentiſſimis commendo precibus Ciues Academiae optimos; ſerua eosdem ſaluos incolumesque, conſerua atque auge eruditionem illorum atque uirtutem, eorumque ſtudia praemiis largiſſimis corona. Ita per DIVINI NVMINIS gratiam, ILLVSTRIVM CVRATORVM autoritatem, PATRVM ACADEMIAE uenerandorum auxilium, CIVIVM dilectiſſimorum uirtutem, non tam dirigam, quam ſpectabo et admirabor, Academiae Altdorfinae felicitatem.

DIXI.

SECTIO VIII,

QVAE REFERT

SOLENNIA QVAEDAM GRATVLATIONIS MONIMENTA

EX

ILLVSTRIBVS ACADEMIIS

LIPSIENSI ET TVBINGENSI

TRANSMISSA.

I.

CARMEN GRATVLATORIVM

INCLVTAE ACADEMIAE LIPSIENSIS.

SECVLARE SACRVM
ILLVSTRI
NORICORVM ACADEMIAE
ALTORFFIO
ANNO R. S. MDCCXXIII
III KAL. IVL.
SOLENNI PIETATE
CELEBRATVM
AVSPICATISSIMVM ESSE IVBET
ACADEMIA LIPSIENSIS.

NVnc ſancta mecum ſub roſeum nemus
Ad lenta caſtis murmura fontium
Subnixa palmis, Muſa, fronti
Nunc tilias uiridemque laurum

Impone, multo turgida Cynthio
Pulſetur apto pollice barbitos;
Et turba coniurata tecum
Pliſſa pater ſonet, ac Elyſter.

I nunc, amores iunge ſororios,
Quos ipſa quondam Muſa Academiis
Cum lacte materno ſororum
Indiderat geminos labellis.

Viden' paternis efferat ut iugis [a]
Caput corollis splendida Noricis
Sacrum, triumphalesque uultus,
Laeta SOROR, *cupidasque palmas*

Coeli ad propinqui sidera porrigat,
Et concinentes inter Oreadas
Faunosque, uicinasque Musis
Inter Hamadryadas, suorum

Exacta centum temporis orbibus
Per mille rerum sollicitas uices
Et fata et ambages dierum
Voce canens memori reuoluat.

Feralis inter murmura classici [b]
Vt sit potentum sub manibus diu
Iactata circum, praeda magnis
Regibus et pila parua uentis,

Donec furentis saeuitiae maris
Erepta puppim tuta reduceret,

Pup-

(a) *Nam totum Altorffium montibus cingitur et ipsum in loco satis edito aedificatum.*

(b) *Nam per multos annos de eius possessione disceptatum, cum Ruprechtus banno imperii afficeretur, et Norimbergenses hoc exsequerentur. Tum hic locus ad Norimbergenses concessit. Conf.* D. IOH. IAC. BAIERI *descriptio Academiae Altorffinae, Cap. I. p. 4.*

Puppim emerentem; dum corollis
Cingeret, et ſtatione certa

Eſſet ſeuerae dux ſapientiae (c),
Mox iure laeſos, (d) *atque Machaonis*
Sanaret aegros arte, tandemque (e)
Arma Deo pareret uirosque.

Fertur, ſuperbis cum fureret minis (f)
Miles cruento ſaeuus acinace,
Ignesque caedesque atque centum
Ingenia et facies malorum

Dirasque ſaeuo pectore uolueret
Mortes, feroci et conciperet manu;
Adſtans Camoenarum ad penates,
Auribus attonitis Dearum

Hauſiſſe cantus, et ſtudia, et choros
Diuiniores; intus at horridum
Fluxiſſe robur, pectus, enſem
Carminibus, ſtupidaque mortem

 Non

(c) *Primo Philoſophiae magiſtros.* BAIER. *C. V.* p. 27.
(d) *Deinde ICtos et Medicos Doctores.* BAIER. *l. c. Cap. VI.* p. 32. *ſqq.*
(e) *Mox et Theologos creare permiſſum eſt.* BAIER. *Cap. VIII.* p. 50.
(f) *Conf.* BAIER. *l. c. Cap. III.* p. 13. *ubi oſtendit, in tricennali bello hoſtes Academiae cauſa urbi peperciſſe.*

Non ante uicta terribilem manu
Sensisse; qualis dicitur Orphea
Vidisse Lethaeus trifauci et
Gutture diriguisse custos.

Hoc Musa sacris carminibus potest;
Hoc cantat urbi praesidium suae,
Centumque lauros, mollibusque
Promeritos studiis triumphos.

Si nos et HESSVS *primitiae tuae,*
Diuina uirtus et CAMERARII (g)
Spectaret, et Deos secundos
Is caneret, loqueretur alter,

Et spiritu intus magnanimo enthei
Coeleste nobis consocient melos;
Vt robur et uires et ignes
Flammiferis caperem medullis;

O quam sonora perstreperem lyra
Venis calescens ipse etiam piis,

Ac

(g) EOBANVS HESSVS *et* IOACHIMVS CAMERARIVS *in hoc Lyceo, cum illud Norimbergae floreret, docuerunt.* BAIER. *l. c. Cap. V. p.* 20.

Ac in tuas laudes canorum
Musa daret numerosa carmen!

Demitte coelo sydereum caput
Diuina turba, et iunge nouos modos:
Metire, STVRMI,[h] *tempus, orbem*
Ac uariae monumenta sortis;

Ac quae futuris millia seculis
Notastis olim, candida Nomina,[i]
Transferte longos ad nepotes
Fata uicesque prioris aeui;

Famamque seris porrigite aemulis;
Fastos futuris pandite diuitem
Tot plausibus fontem, bonaeque
Materiem ingeniumque linguae.

Dilecta terris et superis SOROR,
O uiue longum, ac ingenuam sinu
Prolem fouens, maius decoris
Sparge Tui iubar atque nomen.

(h) *Celeberrimus Mathemat. Altorff.* IOH. CHRIST. STVRMIVS.
(i) *Celeberrimi historici & ICti*, RITTERSHVSIVS, WAGENSEILIVS, *alii.* BAIER. *l. c. cap. XII. p. 72. sqq.*

Augusta constet Gratia CAESARIS,
NVTRITIORVM *splendida Nomina*
Cultam Tuis cernant in ulnis
Progeniem generosiorem.

Laudes Tuorum perpetuo emicent
Sereniori lumine: praemia
Doctorum & illustris per orbem
Gloria cum meritis perennet.

Ac NORIS *alma urbs urbium ut incluta est*
Commerciorum laudibus; audiat
Sic ciuitatum Pallas, ingens
Te sibi Palladiumque seruet.

Seruent salutis Te PROCERES *suae*
Coeleste pignus MAGNIFICI, *& colant:*
Natique natorum frequentes
Sacrum agitent Tibi Seculare!



II.

PROGRAMMA TVBINGENSE.

* *

IOHANN. MICHAEL HALLVVACHS,

IN

PERANTIQVA STVDIORVM VNIVERSITATE TVBINGENSI

Hiſtoriarum, Eloq. ac Poeſeos Prof. Publ. Ordinarius

L. S.

PArum omnino abeſt, quin uertens effluxerit biennium, ex quo florentiſſima Academia Haſſo-Schaumburgica, ſingulari ſupremi Numinis fauore per integrum clementiſſime conſeruata ſeculum, multisque ornamentis aucta et acceſſionibus egregiis, primum feſtum ſuum ſeculare, quod Iubileum uocant, laetiſſima inſignibus celebrauit ſollemnitatibus. Ad quod quum excellentiſſimi eiuſce Lycei Profeſſores eo ipſo tempore noſtratis quoque Vniuerſitatis Proceres atque Ciues quam humaniſſime inuitarent, piam beneuolamque Ipſis mentem, cum Ampliſſimus noſter Senatus Academicus priuata gratulatione, tum Ciues etiam noſtri publicis precibus, teſtatiſſimam fecerunt. Produximus nimirum eo ipſo die, quo gaudiis ſuis uacarunt Rinthelenſes, duos ex noſtris politiſſimos iuuenes, qui eundem ſermonibus probe elaboratis noſtrae quoque ſollemnem reddiderunt, ſuamque ſimul pietatem in publica panegyri iubilanti Academiae ampliſſimis uerbis & uotis probare contenderunt. Neque horum ſpeciatim inſtitutum Patribus iſtius ſcholae conſcriptis diſplicuiſſe tum, ingratumue accidiſſe, uti reconditae, eiusque ampliſſimae eruditionis Vir, Cl. BIERLINGIVS, plus ſimplici uice humaniſſime ſignificare nobis grauatus non eſt, ita & inde quam certiſſime collegimus, quod celeberrima Academia, cui Deus numquam non bene uelit, qualescumque, et noſtras, et diſcipulorum noſtrorum lucubrationes eodem cum reliquis Iubilei ſui monumentis faſce complecti, atque poſteris, ſi qui futuri ſint, tradere nihil dubitauerit.

Ceterum, hocce ipſum et nos et praeſtantiſſimam e ciuibus noſtris trigam accendit, ut *Altorfinae* etiam Muſarum ſedi paria pietatis officia, publice praeſtanda, in craſtinam diem decreuerimus. Et hoc enim *celeberrimum Noricorum optumarum litterarum emporium*, *auſpiciis* (concepta uerba, ex litteris inuitatoriis excellentiſſimorum dominorum Profeſſorum *Altorfinorum* ad Ampliſſimum Senatum noſtrum haud ita pridem miſſis, repetimus) *auguſtiſſimi inuictiſſimique Romanorum Imperatoris*, CAROLI VI. *glorioſiſſimi ſalutis tranquillitatisque publicae conſeruatoris*, et auctoritate ſummaque munificentia *Perilluſtris et S. R. I. liberae* REIPVBLICAE NORIMBERGENSIS, ſigillatimque *Illuſtrium ac Generoſiſſimorum* CVRATORVM, hac ipſa die ſacrum ſeculare pio feſtoque ritu celebrat: propterea quod iam centeſimus labitur annus, ex quo illud, liberaliſſime procurante PERILLVSTRI SENATV NORIMBERGENSI, conditore atque nutritore ſuo benigniſſimo, amplioribus iurium priuilegiorumque Caeſareorum honoribus ornatum eſt, ac decus dignitatemque litteratae ſocietatis, inter uarias rerum humanarum uiciſſitudines, Dei immortalis benignitate atque prouidentia, ſemper feliciter retinuit, hodieque ſartam tectamque ſeruat. Cuius in ſecularis ſacri partes non *Ampliſſimus* tantum *Senatus noſter*, abs quo celeberrimi *Profeſſores Altorfenſes* priuatis nuperrime litteris, ad quas ſingularem quoque gratulationem iam tum repoſuimus, amiciſſime id contenderunt, uotis et precibus, pro ſua in bonas litteras et *Altorfinum* litterarum ſacrarium uoluntate, ipſe ueniet; ſed ciues quoque noſtros, ut idem facerent, publico e loco grauiſſimis excitauit uerbis. Atque hoc pacto duobus primum *duorum Celeberrimorum noſtrae ſcholae Iureconſultorum*, eorumdemque Dnn. Patronorum noſtrorum obſeruanter colendorum, GRASSI et MOEGLINGI, amoeniſſimis ſoceri et generi uinculis feliciſſime iunctorum, florentiſſimis maxumaeque ſpei filiis,

DN. CHRISTOPHORO VLRICO GRASSO,
et
DN. IACOBO FRIDERICO MOEGLINGIO,

Philologiae et Philoſophiae Cultoribus perſtrenuis, pietatis, ut bonarum mentium adoleſcentes ſunt ambo, faces fuerunt ſubiectae, ut ſollemnibus declamationibus et uotis diem *Altorfinae* ſcholae uere natalem etiam inter nos feſtum facere in animos inducerent ſuos. Quod pium, omniumque bonorum fauore ac laudibus dignum ſuum conſilium, quum ſuperioribus diebus uterque mihi aperirent, *tertius* quoque, duorum iſtorum, in Oratorio, quod aliquamdiu iam apud me habent, Collegio Practico commiles, feliciſſimae idem indolis et pie compoſiti moris iuuenis,

DN. FRIDERICVS CHRISTOPHORVS DIZINGERVS, Neuffenſis, *Philoſophiae et Theologiae*, cui nuper demum operari coepit nomenque dedit, *ſtudioſus diligentiſſimus*, acceſſit, eamdem ſibi mentem ſediſſe, eodemque ſeſe pietatis officio, me moderatore, defungi uoluiſſe, adfir-

adfirmans. Equidem facere non potui, quin omnino inſtitutum probarem. Neque tamen committendum fas duxi, ut unus ex tribus, pari pietate motis, excluderetur. Poſtquam igitur, quodnam, pro ſuo quisque genio et ingenio ac futuro uitae genere, argumentum dicendi delegerint, cognoui: non incommode omnibus tribus, eodem in actu, perorandi facultatem concedi poſſe exiſtumaui. Quo etiam ita conſtituto, ſua ſinguli ex compacto, paucis fere diebus, magna diligentia elaborauerunt, mihique promptiſſimi exhibuerunt. *Primus* prodibit, quem ultimo loco nominauimus, *per-eximius atque praeſtantiſſimus*, DN. DIZINGERVS. Exponet is oratione, latina ſatis et cum iudicio conſcripta, memorabilia praecipua, quae in ALTORFINORVM THEOLOGORVM, *inde a prima ſcholae origine*, *fato iam functorum, omnium*, hiſtoriis obſeruauit. Vſus, quod ipſi uitio uerti non poteſt, eam in rem eſt elegantiſſimo elegantiſſima ac ſolida eruditione *Clariſſimi Viri*, *Venerandi Dn. Guſtaui Georgii* ZELTNERI, Theologi Altorfini etiam nunc ſcriptis et meritis mirifice florentis, opere, quo *uitae Theologorum Altorphinorum a condita academia omnium, una cum ſcriptorum recenſu plenius et adcuratius, ad hiſtoriae Eccleſiaſticae et litterariae uſum*, *deſcribuntur*. Vbi autem fateri debeo, quod Declamatori noſtro *tria* potiſſimum, grauiſſima quidem ea, ac fortaſſis inter ea, quae omnium maxume in toto *Zeltneriano* uolumine notanda ueniunt, primo collocanda loco, a reliquo Orationis ſuae, ſine illis iam iuſto prolixioris, corpore, inuitus quidem, reſecuerim. *Primum* quidem eorum fuit, *Cl.* ZELTNERI *delineatio diſtinctorum Formulae Concordiae*, *mediae* (quae primorum fuit Profeſſorum Altorfinorum, certe plerorumque, Philippi amore adhuc magnopere ductorum, ea inprimis aetate, quae Formulae Concordiae uicinior fluxit,) *et Caluinianae ſententiae*, *placitorum*, de Perſona Chriſti, de libero arbitrio, de Euangelio: an concio ſit poenitentiae? de Coena Domini. Curate illa collecta et propoſita ſunt a Cl. Auctore, ac digna, quae a Veteranis Viris Theologis ſerio expendantur. *Alterum*, quod decerpere debui, fuere uariae obſeruationes, ex priori praeſertim *Zeltneriani* libri parte congeſtae, quae illis Eccleſiaſticae hiſtoriae capitibus, quae *Crypto-Caluiniſmum*, quem uocant, ac *Sociniſmum*, lites item *Helmſtadienſes* inter ac *Saxonici Electoratus Doctores Theologos* acerrime olim agitatas, exponunt, multum adfundere lucis potuiſſent. *Tertium*, quod expungere noſter neceſſum habuit, fuit iucunda *Cl.* ZELTNERI obſeruatio *de familiis*, *quae ſub initium emendationis ſacrorum publico Eccleſiae Miniſterio iam perfunctae et adhuc noſtra aetate in eodem munere continua ſerie ſuperſunt conſeruatae*. Quo nomine OSIANDRINAM tantum, FABRICIANAM et LYSERIANAM, laudare audet. De quibus notatu dignum et illud cenſemus, quod *Lyſeriana* et *Fabriciana gens* ortum in agro VVurtembergico ſuum; *Oſiandrina* uero, inde a LVCA OSIANDRO, A. cIↃIↃXXXIV nato, continua ſerie ſedes in

eodem suas, coetusque purioris diuinaeque ueritatis curam, habuerit. Quae ut luculentius, omnibusque pateant, *Osiandrinae* atque *Fabricianae* adiicere gentis seriem, in paucis admodum a *Zeltneriana* diuersam, hacce tabella licebit:

GENEALOGIA OSIANDRINA:

ANDREAS OSIANDER,
Andr. Fil. Antist. Norib. dehinc P. Theol. Prim. Regiomont. n. 1499. ob. 1552.

Lucas Osiander, Sen.
Theol. D. Abb. Adelb. antea Conc. Aulic. et Consistor. Adsessor. n. A. 1534. d. A. 1604.

Andreas Osiander, D. Canc. et Praepos. Tub. n. 1562. denat. 1617.

Iohannes Osiander, Superint. Gen. et Abb. Murrhart. postea Adelberg. n. 1564. ob. 1626.

Io. Bathasar Osiander, Vayhing. Past. et Superint.

Io. Adam Osiander, Cancell. et Praepositus Tubing. n. 1622. den. 1697.

Iohannes Osiander, Abb. Hirsaug. Reg. Maiest. Suec. ac Polon. Consil. Eccles. ut et Sereniss. VVurtemb. D. Consil. Intim. Consist. Eccl. Director et Eberhardinae nostrae Visitator.

Io. Rudolph. Osiander, D. et Prof. Theol. Ord. Tubing. Eccl. Pastor ac Stipendii Theol. Superadtendens, *Secundi nostri Oratoris Sororius*.

Io. Adam Osiander, Med. D. et Prof. Tubing.

Io. Adam Osiander, SS. Theol. Cult. et in Illustr. Stip. Repetentis, quod uocant, munere fungens.

Lucas Osiander, D. Iun. Cancell. et Praepos. tandem Tubing. n. 1571. ob. 1638.

Ioseph. Osiander, tandem Abb. Blabyr. et Consiliar. Eccles. nat. 1589. ob. 1635. In uet. gentili Stemmate MS. in Osiandrina familia a multis inde annis conseruato fil. *Andreae* et nep. *Luc. Osiandri*.

GENEALOGIA FABRICIANA:

IOHANNES FABRICIVS, *Schmid* quoque dictus, Stuttgard. Diaconus, deinde Schorndorff. Past. et A. 1548. loco Osiandri Andr. profugi Antist. Norib. Laurent. n. 1496. ob. 1558.

Andreas Fabricius,

M. Io. Baptist. Fabricius, Diac. Aegid. et Pastor Furth. ob. 1571.

M. Io. Fabricius, Past. Sebald. et Minist. Norib. Antist. n. 1560. den. 1637.

M. Io. Fabricius, Prof. Th. Altorph. et Diac. denique ad D. Mariae Norib. Antist. n. 1618. den. 1676.

D. Io. Fabricius. De quo Cl. Zeltner in Vit. Theol. Altorph. p. 410. sqq.

Rudolph. Anton. Fabricius, Philos. Mag. et S. Th. Cult.

M. Georg. Fabricius, Past. ad S. Leonhardi Norib. nuper fato suo defunctus, & liberorum plurium pater.

Io. Bapt. Fabricius, Arithmeticus Norib.

Io. Georg. Fabricius, Med. D. et Physicus Norib. n. 1593. ob. 1668.

Dauid Fabricius,

Denique

Denique et illa ſemouere breuitatis ſtudium iuſſit, quae de *eruditis praecocibus*, uiriſque Theologis ante annum uigeſimum tertium, quartumue, aut ſaltim aliquot ante trigeſimum, annos, uel ad Theologicam Profeſſionem, uel inſignem aliquem paſtoratum euectis, *Cl.* collegit ZELTNERVS, noſterque nonnullis auxit exemplis. Ceterum, in *exordio* orationis eleganter ſatis de iis dixit diſciplinis, quibus, niſi illotis, quod aiunt, ad ea ſacra accedere uelint manibus, operari ante, animumque excolere ſuum omnino debeant, quotquot ſanctiorum litterarum, rerumque, interpretes agere aliquando conſtitutum habent. Huic autem ſuccedet *Praeſtantiſſimus et Pereximius* DN. GRASSVS, qui, ut praedeceſſori ſuo palmam dubiam redderet, nihil fecit reliqui. *Maiorum* praecipue, ac Conſultiſſimi *Dn. Parentis*, illuſtribus ductus exemplis, iurium ſacris, breui ex inſtituto tractandis, mentem is uitamque deſtinauit ſuam. Vnde et ſibi et praeſenti inſtituto conuenientiſſimum iudicauit, ſi in eadem panegyri IVRECONSVLTORVM, qui *Altorfinum* Muſarum delubrum illuſtrarunt olim, auxeruntque, *Dodecadem* oratione ſua in ſcenam produceret: *Philippum Camerarium, Iohannem Chriſtophorum Oelhafen de Schoellenbach, Iohannem Thomam Freigium, Obertum Giphanium*, *Hugonem Donellum*, *Scipionem Gentilem*, *Petrum VVeſenbecium*, *Conradum Rittershuſium*, *Guilielmum Ludvvellum*, *Nicolaum Rittershuſium*, *Io. Guolffgangum Textorem*, *Io. Chriſtophorum VVagenſeilium*, celebratiſſima toto orbe nomina. Pauca admodum ex iis, quae mihi obtulit, et quidem maxume propterea, ut orationem breuiorem redderem, eliminaui. Paullo autem laborioſior eius fuit opera: quod, quae in rem conuertere ſuam poterat, ex quamplurimis conquirere Scriptoribus neceſſum habuit. Sed eam ipſam ob rem maiorem etiam meretur laudem: quum, prudenti rerum ubique facto delectu, diſperſa apte inter ſe coniunxerit, paucisque, iis uero ſignificantioribus uocibus, quamplurima expreſſerit. De cetero, in orationis *exordio*, praedeceſſorem imitatus ſuum, *de collocando bene a Iurium ſtudioſo in Academiis tempore ante, quam ipſas Iuſtiniani Scholas adeat*, diſſerere adgredietur; non ea quidem mente (id quod pro ea, qua floret, modeſtia totidem ipſe uerbis adiecit) ut alios doceret, ſed ut profiteri poſſet, quae uel ab Excellentiſſimis in Eberhardina noſtra ſapientiae bonarumque artium magiſtris uel doceatur iam, uel imbibere adhuc aueat ante, quam ipſa ſacrae Themidos limina ſalutare audeat. *Tertius* denique adſcendet *Praeſtantiſſimus atque Pereximius* DN. MOEGLINGIVS, *Graſſianus ex nobiliſſima eaque ornatiſſima Dn. Matre, nepos florentiſſimus*, adoleſcens mirae alacritatis, praeſtantiſſimisque ſingularis ingenii dotibus, quam qui maxume, ualens. Canet is, pro inſigni uenae ſuae poeticae felicitate, heroico uerſu *Altorfinae* et *Vrbis* et

Academiae origines, incrementa, florem, Viros omnium ordinum doctiſſimos, aedificia, *hortos*, atque id genus alia eiusdem Heliconis ornamenta, actis auditorio, quod ſperamus, ſplendido, pro fauentiſſima praeſentia et in audiendo patientia, non quas debebit, ſed quas poterit, gratiis, in uota, ut pro re litteraria in uniuerſum omni, atque alma etiam Eberhardina noſtra, ita pro *Altorfina* ſpeciatim ſtudiorum Vniuerſitate, religioſiſſima deſinens. Superſedere ampliore huius carminis commendatione eo magis heic poſſumus, quo certiores confidimus fore, ut ipſum nemini, cui eius audiendi copia fiet, ſeſe non oppido probaturum ſit. Quo pacto nihil iam reliqui eſt, quam ut *Magnificum Dn. Rectorem, Reuerendiſſimum Dn. Cancellarium*, et reliquos *Patres Eberhardinae noſtrae conſcriptos, omniumque ordinum Profeſſores, litterarum Patronos & Cultores*, ea, qua par eſt, obſeruantia et humanitate maiorem in modum rogemus, ut *craſtina die hora pomerid. I.* ad audiendos oratores noſtros, *quorum nullus multum ultra quinctum et decimum*, *immo ultimus uix ultra decimum quartum, progreſſus annum eſt*, non de ſcripto, ſed ex memoria, promptiſſime ſua omnia dicturos, *in auditorio Philoſophorum aeſtiuo* fauentiſſimi confluere ne grauentur. Date id fauoris humanitatisque, *Patres Venerandi*, *Vosque commilitones honoratiſſimi*, *Per-illuſtri* NORIMBERGENSIVM REIPVBLICAE, *celeberrimaeque* ALTORFINORVM *Academiae*, quibus hac inprimis feſta die pietatem, uota, precesque debemus! Date id *parentibus*, quibus ampliſſimis uerbis ſingularia haec gaudia gratulari fas eſt, *Oratorum noſtrorum nobiliſſimis*, imo ingentibus *Graſſianae* pariter ac *Moeglingianae familiae*, cuius utriusque florem atque incrementa in filiis ac nepotibus laeti contueamur, meritis in publicam aeque atque academicam rem noſtram omnem! Date, iterum iterumque contendimus, uel ipſis etiam *declamatoribus noſtris*, qui beneuolentia hac eximia macti non tantum ad maiora idemtidem ſubeunda et ſuo tempore praeſtanda accendentur; ſed et gratiſſimam mentem, pietate, obſequiis et reuerentia, dum uixerint, teſtabuntur. Neque apud nos tanti honoris fauorisque memoria umquam intermorietur. Perſcript. Tubingae, Anno, quam Salus hominum reſtaurata floret, cIↄIↄccxxiii, Die diuis, *Petro* ac *Paullo*, in Chriſtianorum coetibus ſacro.

III. *ORA-*

III.

ORATIO

FRIDERICI CHRISTOPHORI DIZINGERI,

Philosophiae Candidati et SS. Theologiae cultoris,
in
INCLVTA ACADEMIA TVBINGENSIVM
SACRIS SAECVLARIBVS ALTORFINIS
dicata.

* *

ALMAE HVIVS EBERHARDINAE
MAGNIFICE DOMINE RECTOR
REVERENDISSIME DOMINE CANCELLARIE
VIRI MAXVME REVERENDI, CONSVLTISSIMI, AMPLISSIMI, EXCELLENTISSIMI, RERVM LEGVMQVE DIVINARVM PERINDE AC HVMANARVM INTERPRETES, PATRONI AC SACERDOTES FELICISSIMI
SALVBERRIMAE MEDENDI ARTIS MAGISTRI PERITISSIMI
OPTVMARVM SCIENTIARVM, ARTIVM ET LITTERARVM PROMICONDI PERSPICACISSIMI
PATRES LYCEI NOSTRI CONSCRIPTI OMNIGENAE SAPIENTIAE PROFESSORES CELEBERRIMI
DOMINI, PATRONI ET PRAECEPTORES DEMISSO PIETATIS CVLTV VENERANDI
TVQVE RELIQVA VEL NATALIVM NOBILITATE VEL MORVM ELEGANTIA VEL ERVDITIONIS SOLIDIORIS ELEGANTIORISQVE VARIETATE VT CVM MAXVME COMMENDABILIS FLORENTISSIMORVM COMMILITONVM IN COMMVNEM PVBLICAE REI VTILITATEM SVCCRESCENTIVM CORONA.

QVam graue, quamque difficile illorum sit munus uirorum, qui DEVM docent, diuinam mentem pandunt et uoluntatem; qui consilia aeternae sapientiae et molimina enarrant, ueraeque felicitatis rationes soli perfecte exponunt; exploratius scient, qui eo defuncti iam ipsi sunt, quam uel disertissimus orator exprimere ualebit. Audiendi proinde illa de re diuturnae experientiae uiri potius sunt, queis longior rerum istarum usus mentem subegit, quam homines heri aut nudius tertius nati, nudiue spectatores. Interim tamen de grauitate etiam ac difficultate muneris uirorum, quos Theologos adpellamus, eminus quasi aliquid mente praecipiunt, qui animos ad sacra sacrorum Doctorum praeparant, destinantque, suos. Nimirum, si qua disciplina mente bene composita, curate praeparata, excultaque, addisci ac tractari debet; sanctior certe diuinarum rerum doctrina debet. Hanc rite adire Corinthum qui cupit, non uno antea in loco sapientiae caussa laborauerit: hoc mare ingredi qui cum animo statuit suo, quam plurima iam multiplicis scientiae aequora traiecerit: excellenti isthac margarita, diuino hocce thesauro, qui delectari, qui frui, ac exornari auet,

diu ante ſudauerit, multumque conſumſerit operarum, omnino oportet. Intelligitis, AVDITORES OMNIVM ORDINVM VENERANDI HONORANDIQVE, intelligitis, quid iſtis uelim. Scilicet, ut plane, citra uerborum inuolucra et figurationes, mentem efferam meam: quisquis uirum Theologum recte aliquando agere, felicemque diuinarum litterarum, rerumque, interpretem exquiſite referre, contendit, animum omnigena optumarum quarumuis ſcientiarum et artium ſupellectile inſtructiſſimum ad iſtud adferat negotium, neceſſum eſt. Nulla ſane eſt in uaſtiſſimo uerae eruditionis ambitu diſciplina, ars nulla, qua carere commode poſſit, quisquis cum fructu, in DEI laudem et hominum ſalutem eualituro, in diuina coeleſtis diſciplinae, quam Theologiam ſalutamus, officina operari contenderit. Patientia ueſtra ac fauore ueſtro turpiter abuti iure cenſeri poſſem, ſi iam amplioribus uerbis ſyrmata eorum adducere uellem, qui grauiſſimis id rationibus passim requirunt, adſeuerantque. Vno etenim ore illud ex inſtituto ii praeſertim loquuntur, qui uel *Bibliothecas ſtudioſi Theologiae*, uel *introductiones in Theologiam*, uel *praecognita Theologica*, et quos id genus alios, monumentis ſuis, hanc in rem conditis, titulos fecerunt, erudito reliquerunt orbi. Facillimo etiam, ſi in rem ire praeſentem adlubeſcat, probari illud negotio poteſt. Quotus, amabo, quisque, niſi rei diuinae ignariſſimus plane fuerit, eſt, qui *linguarum*, (liceat heic breuiſſime omnia elaturo incipere) *ſacrarum* praecipue, notitiam haut leuem requirendam in doctrinae ſublimioris alumno exiſtumet? Quomodo uoluntatem diuinam, ſanctiorum codicum paginas, recte uereque interpretabitur, qui ſermonis, quo exaratae ſunt, expers eſt? Quidquid translationum in Germanicam, Latinamue, linguas in promtu habemus, humanae, multis adeo erroribus obnoxiae, opus induſtriae eſt, quo ſaepiuſcule quidem commode recteque gratiſſimus utetur ſacrarum linguarum gnarus, ſed non raro incommode, ſaltim nunquam ſecure, iſtarum ignarus. De *Latii* idiomate, quod eruditis dudum proprium, cuſtosque omnis humanae ſapientiae, euaſit; de *antiquitatum*, quas uocant, *hiſtoriarum* item, ſacrarum perinde ac ſecularium, diſciplinarumque, uel *temporum*, uel *familiarum*, uel *terrarum* regionumque rationes exponentium, ſtudio, idem fere ſentiendum duco: ſenſeruntque dudum, magna ſuperioris pariter ac uoluentis ſeculi nomina, *Eraſmi*, *Bezae*, *Scaligeri*, *Caſauboni*, *Salmaſii*, *Grotii*, *Heinſii*, *Voetii*, *Coccei*, *Heideggeri*, *Gerhardi*, *Seldeni*, *Bocharti*, *Relandi*, *Clerici*, aliique huiusce commatis Apollines innumeri. Iam uero quid de *Philoſophia*, qua patet, *omni* dicam? An ſacro-ſanctae Theologiae, diuinae illi uitiorum expultrici, uirtutum ſolidarum omnium indagatrici, nutricique, utiliter operari quis poterit ſine *Logica?* medicina illa intellectus, Ariadnaeo illo ueritatis cognoſcendae, diiudicandae, probandae, defendendaeque, filo? ſine *Hermeneutica* et *Methodologia*, (liceat, quaeſo, uocibus uti receptis ad euitandas ambages) quae ſalutares quasuis doctrinas, ad ſignata apta et ſigna, quibus mentis ſenſa, uel a nobis uel ab aliis exprimuntur, recte exponendi, et cognitas iam ueritates cum aliis quoque facile communicandi ratione, non tantum e monumentis aliorum eruere, ſed et in mentes aliorum, uel uiua uoce, uel ſcripto, inſtillare docent? Sine *Metaphyſica*; qua ad bene diſtinguendum, ad ſolide ordinateque docendum, ad acuendas armandasque mentes

tes

tes contra quosuis quorumuis aduerſariorum inſultus, nihil eſt adcommodatius efficaciusque? Sine *Phyſica* et *Matheſi*, et, quae eo ſpectant, diſciplinis? quibus deſtitutus, in ipſo limine et ſacri codicis et Theologiae caecuties, praecipuorumque ſacrae doctrinae fideique capitum miſerrimum ages interpretem. Sine *morum et ſtatus doctrina?* quae uoluntatis morbos et uitia emendat, quae fontes omnis miſeriae noſtrae detegit, miſeros nos eſſe ex rationis lumine conuincit, ex miſeriae luto nos expediendi cupiditatem in nobis adcendit, eoque ipſo ad Theologiam nos manuducit, reuelationis diuinae ueritatem inuicto argumentandi genere comprobat, et ad impios gentilesque conuincendos, tela nobis ſubminiſtrat; quae animos ad ſanctiorem diſciplinam praeparat, et huius regulas facile ac feliciter ad cuiusuis ſtatum et indolem adplicare docet? Sine *naturalis prudentia iuris?* quae ſolidiſſimas ſubminiſtrat rationes ad pie, iuſteque ac temperanter uiuendum, ad ea in omnibus ſocietatibus et ſtatibus facienda, quae fieri fas atque ex hominum re eſt: imo, quae, niſi haec omnia faciamus, ne homines quidem nos eſſe, inuicte commonſtrat?

Non patitur, AVDITORES OMNIVM ORDINVM VENERANDI HONORANDIQVE! inſtituti mei ratio, ut ad alia digrediar, atque per ſingula porro eam. Ex dictis iam facillime de aliis etiam colligere ualetis, atque abunde perſpicitis, fieri nequaquam poſſe, ut quisquam quidquam recti ſolidiue in ſacro-ſanctae Theologiae ſtudio proficiat, qui non omni fere optumarum litterarum genere delibutus praeparatusque ſit. Compellate, ſi placet, eos Viros Theologos, (qui — qui — qui — dicere uolui, qui in hisce fulgent ſubſelliis; ſed metus, ne notiſſimam illorum, Theologis uiris plane dignam, modeſtiam grauius iuſto laedam, uocem intercludit, Auditores, cogitationesque perturbat) qui in paucis praecipui habentur, qui primas ornant caueas, maxumaque eximiae eruditionis gloria clarent. Sciſcitamini ex iis, qua uia? quibus mediis? ad tantum eruditionis ſacrae faſtigium adſpirauerint: enumeratas abs me diſciplinas laudabunt certiſſime ad unum omnes. Vel, ſi mauultis, uitas in coelo triumphantium id genus uirorum, typis exſcriptas, curatius perlegite: idem uno cuncti loquentur ore. Agite, pace ueſtra, ſpeciminis loco, ipſe iam quosdam eum in finem breui oratiuncula depingere inſtituam. Videlicet, *uitae ſtudiorumque rationes* et *memorabilia celeberrimorum*, ex ALTORFINORVM ſpeciatim THEOLOGORVM catalogo, reliqua iam orationis meae parte repetere in publico hoc, eoque illuſtri conſeſſu, in animum induxi meum; partim, ut, praeter alia, inde diſcatis, Commilitones ſuauiſſimi, non alio iſtos modo, quam quem commendaui, ſolumque ſecuriſſimum exiſtumant maxumi ſapientiae Magiſtri, tantos euaſiſſe Viros: partim, ut in partes *gaudii ſecularis*, quod hoc ipſo die *Altorfini Lycei Excellentiſſimi Domini Profeſſores* perſentiſcunt, atque ad communia uota pro celeberrima iſta Vniuerſitate ac bonis litteris omnibus uobiscum, AVDITORES VENERANDI HONORANDIQVE, religioſa mente deſcendendi anſam haberem. Quod dum iamiam facere adgredior, ſine ſententiarum phaleris et lautiori ſermonis fucati ſupellectile, ſed ſimplicitatis tantum cultu, atque ad praeſentis inſtituti rationes reſpiciens; ut perbreuis temporis patientiam auribus ueſtris iniungatis, a uobis, AVDITORES OMNIVM ORDINVM HONORATISSIMI, obſequioſiſſime, decenter et officioſe contendo.

 Dum

Dum iam in eo ſum, ut *inſignioris* prorſum *commatis Virorum Theologorum* proferam exempla, ad almae noſtrae matris uenerandum Theologorum celeberrimorum chorum oculos conuertere ueſtros et poſſem et deberem, AVDITORES OMNIVM ORDINVM VENERANDI, HONORANDIQVE, ſiquidem iſti praeſentes non eſſent. Quum uero praeſentem laudari, laudis fere parum habere, praeſentemque in os laudare, oris haut ſatis uerecundi eſſe; uideatur: peregrinorum potius *ſacri ordinis Virorum aliquos* in ſcenam producere, iam uiſum eſt. At quid eſt? Cur ALTORFINOS? *Altorfinae* ſcilicet in *Academiae* honorem praeſens omnis actus oratorius eſt inſtitutus. Quum enim *centeſimus iam labatur annus*, *ex quo ea amplioribus iurium priuilegiorumque Caeſareorum honoribus ornata eſt, ac decus dignitatemque litteratae ſocietatis, Dei immortalis benignitate ac prouidentia, ſemper feliciter retinuit, hodieque ſartam tectamque ſeruat: Natalem illa ſuum heſterno die recoluit*, *ſacrum feſtumque habuit*, uti publicis nuper nos ea de re litteris fecit certiores. Vt igitur qualemcunque ipſi pietatem meam, ad quam uos, PATRES CONSCRIPTI VENERANDI, e loco nos publico grauiter excitaſtis omnes, ſollemni probarem ſigno; breui oratiuncula *uitas quorumdam e* THEOLOGIS ALTORFINIS *Virorum doctorum* complecti ac recitare, mecum conſtitui. Id quod, uti nec ab inſtituto meo, ita nec abs me, nuperrime demum ad SS. Theologiae ubera admiſſo, alienum, nec Auditoribus, quum uitarum recenſus moleſti raro ſint, meis ingratum prorſus futurum exiſtumaui. Ante uero, quam iam rem adgredior ipſam, monere liceat, me *paucos* tantum, eosque *praecipui nominis*, uel *quorum hiſtoria memorabile quid habet*, producturum; ac ne horum quidem omnia, quae nemo non, ut audit eos umquam inter homines fuiſſe, de ipſis et poteſt, et debet animo praecipere; ſed ea tantum memoraturum, quae *ſingularia* mihi ſunt uiſa. Quo pacto iam multus non ero in laudando IOH. PICCARTO, qui anno ſupra milleſimum quingenteſimum octogeſimo, adeoque tum, quum primae Academiae *Altorfinae* acceſſiones fierent, catecheſeos Profeſſorem, licet *Philippiſmi*, quem uocant, forte non prorſus uacuum, interim et *ritus ſacrae initiationis* in Eccleſia Altorfina *reſtaurati*, iuxta cum aliis, promotorem egit Altorfii, filiumque reliquit magnum iſtum Polyhiſtorem, MICHAELEM PICCARTVM: in laudando GEORGIO SIGELIO, cuius in docendo ſinceritatem multi ſuſpectam habuere adcuratiores Lutheri ſectatores, ſingularem etiam eius in *Iacobum Andreae* acerbitatem uehementer improbantes: EDONE HILDERICO DE VAREL; de quo id inprimis notamus, quod eorum in indicem referendus ſit, qui ſacrarum litterarum culturam curatiorem, publicamque in ſcholis profeſſionem; natalium ſplendorem haut quidquam obſcurare rectisſime adgnouerunt, quorum farraginem bene amplam praeter alios etiam peculiari ſcripto exhibet Cl. *Rollius*: ceterum, et hic *omnipraeſentiam* (fas, quaeſo, mihi iam ſit cum ſacri ordinis uiris eodem ſubinde dicendi genere uti) carnis Chriſti concoquere haut potuiſſe dicitur: de GEORGIO VOLCARTO, multiplicis, at parum purae doctrinae, nec optumae mentis, uiro: de IACOBO IORDANO, de IOHANNE CHILIANO SPREMBERGERO, IOHANNE DEVBELIO, IOHANNE VNGERTO, IOH. CONRADO HEDENO, ob peregrinationes inſignes memorabili; de IOH. LEONHARDO SCHVVAEGERO, non indocti,

ſed

ſed laeſi tandem capitis, et multa miſeratione digno uiro: qui omnes, uel minus recte de praecipuis fidei capitibus ſenſerunt, uel certe multum celebritatis conſequuti non ſunt. Immo, neque aliis, quorum memorabilior, laudibusque dignior, omnino fuit uita, maiorque et fama et eruditio, prolixius deſcribendis uacare iam poſſumus. Quam in claſſem referimus hosce decem: GEORGIVM RITTERVM, doctum quam plurimorum piorum ſolidorumque ſcriptorum auctorem, maioremque futurum, niſi Noribergam iuſto citius uocatus fuiſſet: CHRISTIANVM MATTHIAE, amplae eruditionis uirum, caſtigatique moris magiſtrum ad inuidiam usque exactum; qui uariis uaria doctrina refertis ſcriptis ſuis oſtendit, ſe ad illuſtriorem, cum nominis celebritatem, tum honorum ſplendorem, adſcendere potuiſſe, niſi munera ſibi demandata frequentius iuſto ipſe deſeruiſſet, in *Daniam* usque et *Belgium* tandem diſcedens: CORNELIVM MARCIVM, qui, quum iuuenis ipſe *Socini* ueneno infectus fuerit, diuina gratia ad meliorem reductus mentem, et *Socinismum* et *VVeigelianiſmum* fortiter impugnauit, ſcriptis etiam clarus non indoctis: CHRISTOPHORVM CRINESIVM, ob Syriacas inprimis Chaldaicasque, ac Theologicas etiam, Romani coetus ſcitis oppoſitas, lucubrationes, nec non inſignes calamitates plurimas, memorabilem: IOHANNEM VVEINMANNVM, ſemiſecularem fere, eumque eruditiſſimum non minus, quam facundiſſimum, quod ſcriptis perinde ac uiua uoce docuit, Theologiae Profeſſorem, hautquaquam quidem Tubingenſem, ut *Vhſeus* ſomniauit, at *Altorfinum*, Philoſophicae rei, Metaphyſicae praecipue, omnis peritiſſimum, ſed paullo forte rigoroſiorem durioremque *Fabritii*, *Durrii*, et *Hackſpanii*, cenſorem: CHRISTOPHORVM ALTHOFERVM, celeberrimae Ienenſium trigae Aquilarum, *Maioris*, *Himmelii*, *Gerhardi*, genuinum diſcipulum, uirum, uti multum cum uariis tricennalis belli tempore calamitatibus, ita et cum teneriore conſcientia, uehementer conflictatum, quippe qui, ob uarios circa audiendas poenitentium confeſſiones et abſoluendos peccatores ſcrupulos, Paſtoris officium depoſuit, ſolo Profeſſorio contentus munere, quo defunctus eſt diligentiſſime; uaria quoque, eaque eriſtica inprimis, quae uocant, confecit ſcripta: IOHANNEM FABRICIVM, cuius eruditio et ſcripta, pauca licet, egregia tamen, prolixiſſimum merentur Panegyricum; de quo autem hoc tantum per breuitatis ſtudium notare poſſumus, quod, licet moderationis Theologicae moderato prudentiue ſtudio maxume claruerit, cum collega *VVeinmanno* tamen ipſi tam non bene conuenerit, ut tandem, *Altorfino* Athenaeo relicto, paſtoris officium *Norimbergae* amplecti debuerit: ubi etiam, magno ab omnibus in pretio habitus, in ipſa cathedra, quum ad piam concionem de *uitae humanae termino* uerba faceret, apoplexia, ut medici loquuntur, finito iam orationis exordio, correptus eſt: LVCAM FRIDERICVM REINHARTVM, elegantiſſimorum monumentorum auctorem, Virum, uti *Fabritius*, pacis amantiſſimum, qui hoc ſingulare habuit, quod a botellis atque ſuffocato per omnem uitam abſtinuerit, nullamque auiculam, niſi ab ſe ſuisue, effuſo diligenter ſanguine, Iudaeorum in morem, enecatam, unquam comederit: IOH. CONRADVM DVRRIVM, Polyhiſtorem ſummum, qui in Philologiae diſciplinis, inque hiſtoria et poeſi exercitatiſſimus, orator incomparabilis, in Theologia omni et Philoſophia incredibiliter uerſatus fuit, atque eo ſolo nomine nonnullis

uapulat, quod iufto mitius de illorum aeterna falute fenferit, qui Romana fequuntur facra: CHRISTOPHORVM denique VVEGLEITERVM, rarae et reconditae, in itineribus litterariis pariter ac ex optumis quibusque libris collectae, eruditionis, mafculae item eiusdemque iucundiffimae eloquentiae, uirum; qui non nifi felecta et docuit et elaborauit, et multa in eruditi orbis *Altorfinae*que fcholae commodum et ornamentum effecturus fuiffet, nifi extraordinaria fucculenti nimis corporis plethora laboraffet, fuisque ac publicae rei citius iufto praematura morte fuiffet ereptus.

Super uero eft *hexas Altorfinorum Virorum Theologorum*, quorum *paullo iam latius* res ex inftituto reddemus, SCHOPPERVS fcilicet, KOENIGIVS, SAVBERTI, HACKSPANIVS, et SONTAGIVS. Neque in hisce tamen recenfendis breuitatis nullam habebimus rationem. SCHOPPERVS igitur primus prodeat, cuius quidem hiftoria tantum non prae omnium reliquorum *Altorfinorum Virorum Theologorum* memoria, maxuma momenta continet. *Biberaci* effe coepit, patre ufus cognomine, eoque Paftore magnorum meritorum, *Lutheri*, *Philippi*, *Pomerani*, et *Crucigeri*, difcipulo. Prima litterarum rudimenta haufit ex *Crufio* noftrate, et *Memmingenfis Gymnafii moderatore* et *Eberhardinae noftrae Profeffore*: Philofophiae autem et linguarum praecepta, ex *Georgio Hizlero*, *Iacobo Schegkio*, *Ioh. Mendlino*, *Georgio Lieblero*, *Sam. Heylandio*, *Sam. Syderocrate*, *Ioh. Scheubelio*; facras denique doctrinas, ex *Iacobo Andreae*, *Theodoro Schnepfio*, *Iac. Heerbrando*, et *Ioh. Brentio*; beneficiis inter haec *Hochmannianis* et *Martinianis* liberaliter fuftentatus. SS. autem Theologiae, eiusque diuini uerbi regulae examuffim conuenientis, capita omnia a magnis iftis purioris doctrinae propugnatoribus tam folide imbibit, ut per omnem uitam fuam, licet miris praeterea calamitatibus ubique uexaretur, ftrenui admodum Theologi, errorumque omnium, contra formulam, quam uocamus, concordiae inprimis admifforum, acerrimi impugnatoris, menfuram expleuerit. Probauit fe talem *Memmingae* per nouem annos in Collegio Hornbacenfi, *Heidelbergae*, *Haydeci*, et in Sereniffimi Principis, GEORGII FRIDERICI, Marchionis Brandenburgico-Onoldini, *aula*: *Lehrbergae* poftea, et in *Altorfina* tandem Academia, fingulis in locis hisce, cum a Pontificiae aulae, tum a Caluini fectatoribus duriffime habitus. Finem inuentura fuum mea haut foret oratio, fi lites, ut de *Crypto-Socinianis* taceam, cum *Altorfinis* Collegis tantum omnes, maxume fuper propofitionibus, uti loquuntur, de abftracto, fuper capitibus de communicatione idiomatum, et facra coena, diu multumque agitatas, enarrare inftituerem. Difcedere ifta ex contentionum arena ipfi etiam haut contigit ante, quam ad aeterna halcyonia difcederet, populofae familiae, feu plurimorum, uti librorum, ita et liberorum, pater. Pone iam *Schopperum* fequatur GEORGIVS KOENIGIVS, ea ingenii felicitate qui floruit, ut uix quatuor atque uiginti natus annos, primarius iam Paftor et Theologiae celebraretur Profeffor: id quod et fuperius memorato *Althofero*, ut *Saubertum* iuniorem iam taceamus, contigiffe obferuauimus. Puer KOENIGIVS *Solisbaci*, iuuenis uero *Altorfii*, litterarum imbutus facris fuit a *Michaele Piccarto*, *Ernefto Sonero*, *Georgio Queccio*. Theologiam ibidem, *Schoppero* magiftro; *VVittebergae* tum, *Huttero*, *Balduino*, *Franzio*;

Ienae

Ienae poſtremo, *Maiore* ac *Grauero*, praeceptoribus, didicit. Qui omnes uti puritatis ſtudioſiſſimi et ſolidiſſimi pariter uiri exſtiterunt; ita effecerunt etiam, ut, DEO iuuante, docilis admodum excellensque *Koenigii* indoles breui ita excoleretur, ut, quod iam monuimus, nondum uirilem adſequutus aetatem, Paſtoris item et Profeſſoris munus exornare potuerit feliciſſimus. Ceterum, pacis et quietis amantiſſimus fuit. Vnde, licet ueritatem inprimis curae habuerit cordique, extra lites tamen telorumque iactum, quoad potuit, numquam non ſeſe continuit. Ingenii monumenta, uti innumera fere, ita non niſi ſelecta et ſolida, reliquit omnia. Ante autem, quam ad *Saubertos* pergimus, bina mortis praeſagia, quae ultima doctiſſimo uiro portenderunt, tacere nolumus. Alterum quidem fuit, quod in amico Amicorum conuiuio in fundo poculi, ex quo bibebat, ſe mortui hominis cranium uidere conſtanter contendit: alterum, quod ultimam, quam ex cathedra ad populum habuit ſacra orationem, illa Romanis cauſſarum patronis familiari uocula, *dixi!* obſignarit. De SAVBERTIS uero, *patre ac filio*, ex memorabilibus quam plurimis haec potiſſimum notanda uidentur, quod, qui ſub ſeptimi et decimi ſeculi initia floruit, ob parentum inopiam, ſedecim annorum adoleſcens in piſtrinum, ut molitor fieret, datus, ex eo autem, *Schopperi* praeſertim munificentia, liberatus, anno tamen aetatis decimo et ſeptimo primae, ſequenti uero ſecundae, egregiis profectuum in Philologia omni et Philoſophia editis ſpeciminibus, laureae honoribus ornatus fuerit. In Theologia noſtrae Academiae uenerandos uiros, *Hafenrefferum* praecipue ac *Oſiandrum*: *Gieſſenſis* porro ſcholae lumina *VVinkelmannum*, *Menzerum* et *Heluicum*: *Salanae* denique decus, *Ioh. Gerhardum*, praeceptores coluit; cui ultimo ad perficiendum uaſtae molis opus, ſub *confeſſionis catholicae* titulo celebratiſſimum, et exemplum praeiuit, et ſymbolam contulit non contemnendam. Iunioris eruditio non minor, immo ſi Ebraicam ſpeciatim litteraturam ſpectaueris, in qua *Dilherri*, *Hackſpanii*, *Friſchmuthi*, *Boſii*, *Hildebrandi*, uſus inſtitutione, maior omnino illuſtriorque fuit. Decimo quinto iam aetatis anno eruditiſſimi de ſacrificiis libri prima poſuit ſtamina, et anno uiceſimo tertio linguarum orientalium euaſit Profeſſor, et poſtea Theologiae *Helmſtadii*. Omnium eo in loco in ſe conuerterat oculos, ſingulari *Auguſtiſſimi Brunſuicenſium et Luneburgenſium Ducis*, AVGVSTI, cuius etiam iuſſu nouam Bibliorum uerſionem, adfectam tamen relictam, ſuſcepiſſe dicitur, ualens gratia. Eodem tandem Theologi Profeſſoris munere defunctus inter *Altorfinos* eſt, ſed nec diu, nec alacriter ſatis, ob ingraueſcentem iuſto citius corporis molem, quam nec aliis remediis, nec herbae nicotianae largiori fumo, quo plurimum delectabatur, impedire poterat. Ceterum, ſcriptis ambo inclaruerunt *Sauberti* incomparabilibus, aeuum omne omnino laturis. Sed unicum de *Senioris*, quod fere mihi excidiſſet, ualetudine atque acerbis de hac querelis, memorandisque uocibus, mentem ipſius penitius pandentibus, addere liceat. Ita uero ipſe ad familiarem aliquando ſcribebat: *Lecto me adfixere per aliquot ſeptimanas podagra*, *calculus*, *et colici dolores*. *Et quid hac triga grauius?* Ich habe in meiner Jugend GOtt offt angeruffen / Er wolle mir auf der Welt die Hölle / und dort

 den

den Himmel geben. *Bene est!* Ich werde erhört/ GOTT läßt mich die Hölle wohl versuchen / an allerhand Anfechtung ist kein Mangel/ und da ich nicht GOTT zum Trost hätte / müste ich aus der Haut fahren. THEODORICI HACKSPANII encomium *Saubertianis* eo rectius adiungitur, quo magis et hic, praeter Theologiam, in litteratura inprimis orientali omni, uersatissimus fuit, praeceptoribus usus *VValthero*, *Glassio*, *Sleuogto*, *Schvventero*, *Horneio* et *Calixto*; fama etiam, meritis, eruditione ac scriptis, nulli *Saubertorum* sequundus. Maxume illi debemus duo. Primum est, typorum Rabbinicorum, Syriacorum, et Arabicorum, qui admodum rari eo adhuc tempore conspiciebantur, maior copia. Alterum uero, Lippmannianum *Nizzachon*, seu *trophaeum Iudaicum contra Christianos erectum*, clam, manuscriptorum ope, inter Iudaeos hucusque propagatum, et typis numquam ante subiectum; singulari uero arte, ac pia *Hackspanii* nostri fraude, Iudaeo cuipiam subductum, descriptum ac uulgatum. Qua uero arte et qua uia opusculo hoc noster potitus sit, breuibus narrare atque audire, iniucundum, spero, non erit. Res, uti celeberrimus DN. ZELTNERVS prodit, ita gesta est. Degebat ea tempestate *Schnattachi* Iudaeus quidam, idemque Synagogae, nisi fallimur, ibidem Praefectus, uir certe non indoctus; cum quo iam ante aliquoties conuersatus *Hackspanius*, de controuersiis, Iudaeos inter et Christianos obuiis, priuatim disputauerat. Inter has disceptationes autem, cum Rabbinus ille multoties non tantum responsiones ex Lippmanno suo depromeret, sed sine tergiuersatione ad *trophaeum* illud *Iudaicum contra Christianos erectum* saepenumero prouocasset; saliuam mouit nostro, ut, si qua fieri posset, uel praesente Iudaeo, id euoluere liceret. Rogauit etiam obsecrauitque possessorem, inspiciendi eius perlustrandique ut potestatem coram ipse faceret, enixe: sed frustra fuit omnis labor, Iudaeo id peruicacissime abnuente, nullisque argumentis et pollicitationibus, dextra licet data, interpositis, locum faciente. His ergo rebus in maiorem cupidinem adcensus, amicam compellationem ad extremum in fraudem, si ita dicere fas est, piam, noster conuertit, atque Iudaeum denuo cum studiosis quibusdam aliquando inuisens, sermonem eo dedita opera inflexit, ut libelli huius iterum mentio iniiceretur. Quo facto, cum is manuscriptum codicem rursus produxisset, non desiit instare, ac diu multumque obtestari, donec ostenderet, et in manus quoque inspectandum traderet. *Hackspanius* autem, comitibus, ut erat ex compacto constitutum, Iudaeo uaria obiicientibus, eumque distrahentibus, reuoluens ad tempus libellum, sed possessorem tandem ad alia mente esse infixa aduertens, et spatium sibi elabendi datum putans, foras progressus iam paratum carpentum conscendit, et, remis uelisque adhibitis, citato gradu cum eo auolauit. Triste id fuerat Iudaeo spectaculum, cui, praeter oculorum aciem in proripientem sese intentam, et clamores gemitusque, nihil erat reliquum, quam spes ablata postliminio recuperandi, qua etiam animum erigebat ualde concussum. Nec mora intercessit longa, quum *Hackspanio*, *Altorfium* interea contendente, scriptumque in partes dissectum discipulis quibusdam, ut ocyssime describerent, exhibenti protinus et proximo a fuga die superueniret Verpus, idque ut sibi redderet, morose identidem urgeret expostula`retque. Quod etiam

tandem,

tandem, poſtquam a ſtudioſis deſcriptum erat, cum praedicatione patientiae ampliſſima et gratiarum actione decenti reſtitutum impetrauit. Quo iure quaue iniuria haec, uti diximus, actitata ſint, neque uacat, neque ſcopus etiam praefixus, ut diiudicemus, permittit. Illud uero ſatis, ut arbitramur, aperte conſtat, antequam hoſtibus ueritatis praeſtigias haſce offuciasque ſcripturae inductas, *Lipmannum*, inquam e manibus Rabbini ſaepe memorati, eriperet noſter, praelum numquam ſubiiſſe: primumque adeo *Hackſpanium* fuiſſe, qui eius Chriſtianos omnes compotes reddiderit. Quo minus iam et de CHRISTOPHORO SONTAGIO, uiro eruditione omnis generis, Graeca inprimis, ardore ac pietate ueteribus pari, ab omni orbe litterato magni ſemper aeſtumato, nuperrime demum non ita multo poſt, quam orationem ſacram in publica panegyri recitarat, humanis exempto rebus, prolixiori commentari audeam ſermone, metus facit, AVDITORES OMNIVM ORDINVM VENERANDI HONORANDIQVE, ne, qui uerecundiae limites transgreſſum iam eſſe me ſentio, diutius uos tenendo omnem depoſuiſſe pudorem uidear. Vnde iam filum dicendi abrumpo, Tibique, MAGNIFICE DOMINE RECTOR, REVERENDISSIME DOMINE CANCELLARIE, uobisque, PATRES CONSCRIPTI VENERANDI, ac AVDITORES OMNIVM ORDINVM HONORATISSIMI, pro beniuolentiſſima in audiendo patientia gratias ago habeoque, quas mente concipere ualeo, maxumas: uobis me, ueſtroque patrocinio, demiſſiſſima deuotiſſimae mentis religione etiam atque etiam commendans. Seruet Vos, augeat, omnisque boni largiſſima adfluentia Vos perfundat SVPREMVM in coelis NVMEN, ut Eccleſiae columina, iuſtitiae Patroni, ſalutis conſeruatores, et ſapientiae omnis ſtatores et Promotores uigeatis, diu diuque inter nos floreatis!

Sed et tu, *incluta Noricorum Academia*, quod ſincera uotorum pietate contendo, commendatiſſima DEO, ac, ut tribus omnia complectar, omni felicitatis uerae, ſolidae ac duraturae genere nunquam non cumulatiſſima exſiſtas! Floreat ac augeſcat PERILLVSTRIS NORIMBERGENSIS RESPVBLICA, *Nutrix* tua et *Fautrix* benigniſſima! Bene illi ſit, dum res erunt hominum! Salui, ſani, incolumes et laeti ad Neſtoreos usque annos uigeant Illuſtres DOMINI CVRATORES, et Excellentiſſimi PROFESSORES Tui! Prodeant ex Te perpetim uiri probi, docti, pii, ſacrae et ſecularis rei omnis Statores, Promotores, Praeſides! Faxit immortalis DEVS, ut omnia, quae quidem orbis uidebit Secula, TIBI exoriantur ex omni parte felicia, exoptata et laeta! Bene ſit TIBI; bene ſit rei litterariae, rei ſacrae, rei ciuili numquam non omni!

DIXI.

IIII.

ORATIO

CHRISTOPHORI VLRICI GRASSI,

Philol. et Philoſ. Cultoris,

de

QVIBVSDAM IVRECONSVLTIS ALTORFINIS,

Tubingae dicta.

* *

AVDITORES OMNIVM ORDINVM, SVIS QVISQVE TITVLIS COMPELLANDI, VENERANDI, HONORANDI.

Sua quemque trahit uoluptas, ſuum quemque delectat ingenium, ſui quemque mores, et ſtudia quemque ſua, queis animum potiſſimum adplicuit, eorumque longiori uſu proprium quaſi fecit, iuuant.

Nauita de uentis, de tauris narrat arator;
Enumerat miles uulnera, paſtor oues.

Suos Archimedes circulos collaudat, ſua Tullius roſtra, ſua Conon caſtra, ſuam Roſcius ſcenam, ſuas Homerus Iliadas, ſuos Ouidius elegos, Heroica ſua Virgilius. Theologiae ſacrarumque rerum ſtudio nomen ſuum operamque ſacram fecit, quem ſtrenue perorantem, Auditores honoratiſſimi, audiuiſtis, commilito meus, quo cum in arenam hanc, cum ipſo hodie mihi communem, conſcendi. *De tempore* is *a ſtudioſo Theologiae ante, quam ipſum diuinarum litterarum campum ingrediatur, bene collocando* breuiter ad uos dixit, atque perſpicue. Quin iam et mihi, qui DEI, ſupremi omnium rerum arbitri, parentum item uenerandorum meorum, nutu, uoto atque conſilio, proprio denique genio atque maiorum exemplo impellente, iurium legumque ſacris deſtinatus conſecratusque ſum, in dicendo licet parum exercitato, *de collocando bene a futuro iurium ſtudioſo in Academiis tempore,* paucula praefari liceat, nihil arbitror prohibere. At enimuero, haec dum facere adgredior, ne, quaeſo, Auditores honoratiſſimi, exiſtumetis, ut ſi alios docendi animo hunc locum conſcenderim, quum profiteri tantum uelim, quae ab excellentiſſimis in Eberhardina noſtra ſapientiae Magiſtris, uel docear iam, uel imbibere adhuc aueam ante, quam ipſa ſacrae Themidos limina ſalutare audeam. Quotquot igitur non illotis, quod aiunt, manibus, ad ſacratiſſima Iuſtiniani delubra recte accedere anquirunt, non, ſi Murciae deuote litare, uel Mauortia arma ſtrenue tractare, uel ſaltando exercere ſeſe, didicerint, ſed tum demum ſuum bene collocaſſe tempus, ac pro eo, ac par eſt, mentes praeparaſſe ſuas, exiſtimandi ſunt, ſi omnium primo *linguarum*, ſingulari adcuratione perdiſcendarum, Romanae imprimis; (nec Graecam ego excepero, ob non contemnendas iurium uoluminis partes graeco idiomate ſcriptas) aliarumque, quae apud nos magni fieri conſueuere, ſtudio, oppido diligentem nauauerit operam. *Latina* quidem lingua, an futuro aliquando iurium ſacerdoti neceſſaria ſcitu ſit? ſi quaeras, eſt, igne ne, an aqua, opus homines habeant? quaerere. Scilicet Papinianum, Vlpianumque, Iulium, Paullumue, iurium ſcientiſſimos, Iuſtinia-

nianumque sacratissimum, compellare, codicemque et digesta intelligere, explicare poteris, et tamen latina ignorare? Multum rei in singulis quandoque continetur uocibus, quas penitus cognitas habere, quas premere et exprimere rectissime posse, plurimum iuuat. Et quid honoris laudisue colliges? si ultra tria, quatuorue uerba latina, rusticorum locutuleiorum in morem, adsurgere non audeas; uel, si palpitante corculo, tremulaue uoce, eo audaciae procedas, Prisciani illico circulos turbes et Orbilii iras accendas? Neque *graeca* commode nescire, uti iam monitum, immo nec sine Gallica et Italica inprimis lingua cum cultioribus nostrae aetatis hominibus esse poteris. Porro, quum in mouendo trahendoque iudice praecipuae caussarum patroni partes absoluantur, quid in eo *persuadendi* ualeat *facultas*, nemo uestrum non facile animaduertet, nisi qui de statu eam ac possessione deiicere uelit, et cum tota simul antiquitate contendere. Sed eae quoque paginae nocturna diurnaque uersandae ei manu sunt, qui felix iurium euadere cultor cupit, quibus *ritus*, *agendi modi*, *ordines* et *magistratus* gentium, et quae ad *antiquitates* uulgo referunt omnia: immo res toga sagoque ab illustribus uiris, uti in uniuerso terrarum orbe, ita penes Romanos, omni aeuo gestae exponuntur.

Cum insigni damno turpiter sexcenta ignoret, necessum est, quisquis in his negligentior fuerit. Vel sola de Iuris origine capita argumento sint. Ex *philosophicarum* circulo *disciplinarum*, *Dialecticam*, *Logicamque* sibi omnino commendatas habeat. *Etiamsi enim quis omnes iuris Codices uerbotenus recitare posset, hac studii parte neglecta, nihil solidi rectius profecerit*, celeberrimus inquit OLDENDORPIVS, *in locorum suorum legalium praefatione*, et *capite statim primo*. Cuius quidem in sententiam pedibus, quod aiunt, ibit, quisquis et iurium alumnum, ut uerum a falso rite ubique internoscat, quid unaquaque de re pronuntiandum ueniat, quid ex unoquoque sequi, uel non sequi possit, peruideat, ut fucum mendaciis artificiose conflatis obductum feliciter detergere, ac morosiori cuique rationum ponderibus silentium imponere norit, omnibus nauibus ac quadrigis contendere debere, perspectum habet. *Arte signa, quibus homines mentis cogitationes exprimere amant suas, sapienter explicandi*, eo minus carere iurium amator poterit; quo certius est, munus ipsius omne in legibus recte explicandis, riteque adplicandis, consumi. Et, licet male uulgo audiat, nostro imprimis delicatulo, iucundos fumos & mollia otia sectanti seculo, nobilissima illa sapientiae omnis Regina, *Metaphysica*, et mihi tamen illam commilitonibusque meis perdiscendam esse, saepiuscule iam a ueteranis accepi Iureconsultis: quod, ut alia iam sicco pede transeam, sine illa systemata & compendia, quae omnibus prae manibus sunt, legi uel intelligi nequeant, et nulla fere sit ex iis, quas disciplina ista subtiliter facit et utilissime commendat, diuisionibus ac distinctionibus, quae non in schola et foro cottidie necessaria, si quidem res rite tuas agere cupias, ingeminanda sit. Quaerere, an Iurium tyroni *naturalis iuris disciplina* necessaria etiam sit? idem esset ac quaerere, an, qui aedes in aeuum duraturas exstruere cogitat, fundamentum iis substernere solidum necessum habeat. Gerrones, statuae certos edere sonos, uniformi semper ratione, edoctae, legum uomitores, stomacho laborantes, quoties legis cuiuspiam ratio expetitur, euadunt potius,

 quam

quam legum interpretes et custodes, quotquot hacce sine disciplina Themidos accedunt edita ad adyta. Et, quum iurium cultor emendatae uoluntatis homo esse, ac quam maxume cum hominibus et elegantioribus et ad quasuis artes praecipue compositis, per omnem fere uitam suam uersari debeat, qui millies ipsi nocebunt, nisi ipsorum indolem penitissime perspectam habuerit, eaque ad sua commoda prudenter ac opportune uti sciuerit; demum etiam aliarum utilitatibus et statibus non raro praeficiatur: *morum et status prudentiam* non perfunctorie excolat, opus est. *Physica* porro et *Mathesis* omnis centies ipsi proderit. Immo, quidni et *Theologiae* culturam sibi reputet commendatissimam. Et ipse enim recte scire Deum ac pie colere debet; nec non saepissime de erroribus contra salutarem doctrinam censere. Alia aliis utilissimis de artibus et scientiis, silentii ut iam inuoluam spatio, ad institutum meum facit festinatio. Haec uero iam ea sunt, quibus excultissimum animum adferre omnino debeas, si quidem cum fructu sacra iurium limina salutare, atque feliciores in Iustiniani scholis profectus colligere, exoptaueris. Haec ipsa ea sunt, queis excellentem adeo iurium scientiam, scientiae famam, famae celebritatem, celebritatisque immortalitatem consequuti celeberrimi omnis aeui Iureconsulti sunt. Quod ut luculentius iam uestris pateat oculis, uestroque omnium suffragio iam et calculo comprobetur atque confirmetur, in rem, quod aiunt, praesentem iturus ergo, ICTORVM ALTORFINORVM MAXVME CELEBRIVM DODECADEM, siquidem et patientia uestra et beneuolentia, qua in praedecessorem meum fuistis summa, benigne adnueritis, in medium citra ulteriores ambages producam.

Cur iam ALTORFINORVM praecipue IVRECONSVLTORVM quorundam exemplis ostendere decreuerim, quantum eruditionis, quantusque praestantissimarum disciplinarum adparatus requiratur ad felicem Iurium culturam, non est, ut pluribus dicam rationibus. Quae Dominum praedecessorem meum, ut *uenerandam uirorum Theologorum*, qui *Altorfinam* Academiam ornarunt, coronam laudare oratione sua instituerit, mouerunt, eadem et mihi subdiderunt faces.

Quidni enim celebris istius scholae *memoria natalitia* recte colatur, si et *praecipuorum Ireconsultorum*, qui eam auxerunt olim, illustraruntque, eximie, *laudes* et *memorabilia* in illustri hac concione repetantur? Ex iis autem, quos laudare inprimis (omnium enim rationem, quod quidem ex aequo omnes, *praecipue ii, qui hodie in celeberrimo isthoc Athenaeo uigent, docentque, quorumque illustria nomina dudum super aethera nota sunt*, mererentur, habere per instituti nostri et temporis conditionem hautquidquam poterimus) praesenti sermone in mentem induxi, primo compareat loco PHILIPPVS CAMERARIVS, *Ioachimi Camerarii*, Polyhistoris seculo sexto et decimo summi, haud degener filius, ILLVSTRISSIMAE NORIMBERGENSIVM REIPVBLICAE, cui et pater olim in schola instituenda inseruiit, Consiliarius excellentissimus iuxta et Academiae primus Procancellarius. Quem incomparabilem uirum ipsa haec Musarum sedes, tot tantorumque uirorum foecundissima mater, e gremio suo felicissime progenuit; ubi, quod ipse inter praecipuas felicitatis suae partes, quoad uixit, semper retulit, nec nobis heic silentio praetereundum uidetur, nactus est *Philippum Melanchthonem*,

e san-

e ſanctiſſimo Baptiſmi lauacro ſuſceptorem. Quem autem dedit orbi, eumdem huic utilem quoque reddere laborauit ſuauiſſima *Eberhardina* noſtra: praeter *Lipſiam* enim, ea ipſum primum ſtatim formare contendit. Acceſſit poſtea et *Argentoratenſe* Athenaeum, ubi ſub *Franciſco Hottomanno*, in iure, ac *Io. Sturmio*, in oratoria, profecit; in *Italia* deinceps, *Ferrariae*, *Bononiae* et *Romae*, ubi famigeratiſſimum audiuit *Muretum*, ſua perficiens. Inter plurima diuerſorum per Regna regionesque diuerſas, inprimis Italiam, itinerum incommoda, haud ſane poſtremum illud eſt, quod Romae quum degeret, ab ſaeuo illo, quod uocant, inquiſitionis tribunali carceri primum una cum equite *de Cornburg* incluſus, ignis poſtea ſupplicio indigniſſime deſtinatus; per Legati tamen Imperatoris preces, nec non Doctoris *Cuchii*, Cardinalis *Delphini* tum Cancellarii, talionem timentis in Germania fata, diuina iterum gratia liberatus fuit. *Baſileae* primum *iuris profeſſionem* cum ſummis honorum praemiis; poſtea apud *Norimbergenſes* ac *Landgrauium Haſſo-Caſſellanum* Conſiliarii; tandem in Academia *Altorfinorum* recens erecta, primi *Pro-Cancellarii*, munus ſummo cum adplauſu ſuſcepit. Dici non poteſt, quanta dexteritate, fide ac felicitate, officiis praefuerit ſuis omnibus. Quantum in literatura uniuerſa ualuerit, tres horarum ſubciſiuarum centuriae in Gallicam, Italicam, et Germanicam linguam translatae teſtantur. Quartae Centuriae immortuus eſt.

Claruit poſt hunc IOHANNES CHRISTOPHORVS OELHAFEN *de Schellenbach*, Academiae *Altorfinae Pro-Cancellarius* maxume celebris, uir litteratiſſimus, ideoque et ad ſummum dignitatis culmen euectus. Ortum is traxit ex *Oelhafiorum*, generis antiquitate ac ſplendidiſſimorum munerum nobilitate dudum celebratorum familia generoſiſſima, quam inde ab initio quinti decimi ſeculi glorioſiſſimi Imperatores, *Fridericus III*, *Maximilianus I*, et *Carolus V*, inprimis egregiis priuilegiis et honoribus mirifice auxerunt. Id quod, praeter *Aeneam Syluium*, *Beſoldum*, *Birkenium*, *Sileſiacarum inprimis rerum Scriptores* ampliſſime exponunt. In uariis Germaniae et Belgii ſcholis noſter omnem litterarum meliorum elegantiam imbiberat, quum, Anglia etiam uiſa, in Italia, *Bononienſi* praecipue in Vniuerſitate, per biennium ſubſtitit. Tantam iis in Academiis de ipſo ſummi uiri opinionem conceperant, ut pro more illius ſcholae non Conſiliarius modo Daciae, ſed et Senior, imo tandem Praeſes Teutonicae nationis, euaſerit. Peragrauit diſcendi cupidiſſimus iuuenis tantum non omnes Europae partes, ne Hiſpaniis quidem inſalutatis. Tandem inſigni eruditionis praeſtantia et omnium uirtutum delectu exornatus ac in patriam redux, laborum praemia et ſudorum fructus conſequutus eſt, non ab Imperatoribus tantum, aliisque Principibus, ſed patria etiam ciuitate ampliſſimos. Donec tandem aliis publice ac priuatim pro uiribus, imo ſupra uires, multiplici ratione inſeruiendo ſeſe ita conſumſit, ut Ratisbonae, conuentui Electorali, tamquam pars Euangelicorum Franconici Circuli ſtatuum legationis uacans maxumo omnium bonorum dolore celeri fato opprimeretur. Elogia uiri, ſupra laudes poſiti, paſſim canuntur, atque in ipſis, quae reliquit, eruditionis egregiae monumentis continentur praeſtantiſſimis.

Sed iam *Oelhafio* IOHANNES FREIGIVS ſuccedat, *philoſophus* iuxta et *Iureconſultus* celeberrimus, Friburgo Briſgoienſis, felix

 magno-

magnorum uirorum, *Vlrici Zasii, Henrici Glareani*, *Petri Rami*, discipulus, et tandem ex *Hieronymi VVolffii* commendatione Rector Altorfinus. Non admodum diu quidem eo in loco in poëtas, institutiones iuris, et scriptores historicos commentatus est, quum Basileam concessit, ibique tandem peste exstinctus fuit; doctissimis de cetero praeter alia in Ciceronis orationes, pandectas ciuilis iuris et plurima historicorum scripta, lucubrationibus clarissimus.

Ad OBERTVM, seu HVBERTVM, GIPHANIVM, Geldria Burensem, nominatissimi Argentoratensium Theologi *Io. Marbachii* generum celeberrimum, dum mea sese uertit oratio, facere non possum, quin primo statim loco in ipso collaudem positam in elegantioribus litteris diligentiam, cuius non Louanium modo, sed et Parisii, ac in Lucretium commentationes, luculentissimum praebent testimonium. Neque tamen in Iurium cultura infelicior fuit. Aurelianum Athenaeum, quod Doctoris honoribus ipsum auxit, tantam de eo spem faciebat omnibus, ut a uariis statim Academiis peteretur Professor. *Argentoratum* primum eo moralium, polítices atque institutionum, deinceps *Altorfium* Iurium Professore publico gauisum est, dum *Ingolstadium* sub lautioribus conditionibus, et tandem in ipsam *Rudolphi secundi* aulam imperatoriam uocaretur. Laudes *Giphanius*, quas concipere possumus, mereretur quasuis, nisi auaritiae incredibilis, quam sorditiem potius dixeris, labe, ac sacrorum inconsulta mutatione, eruditionem et famam contaminasset suam. Scriptorum eius longe elegantissimorum numerus maior est, quam qui iam adtexi heic a nobis possit. Plura interim de ipso dant *Teissierius* et *Svveertius* in Athenis Belgicis.

Atque iam HVGONEM DONELLVM dicere animus est, qui Cabillonum, Burgundionum urbem non incelebrem, natalibus suis reddidit celebriorem. A litterarum quidem studiis tanto primum opere abhorruit, propter intempestiuum morosi Orbilii rigorem, ut nec minis, nec blanditiis, adduci ad illa se passus fuerit, donec pater subulci se ipsum traditurum propediem magisterio esse simularet. Ita enim terrebatur, ut in Tolosana uniuersitate *Ioanni Corrasio* et *Arnoldo Ferrerio:* postea in Bituricensi, *Duareno* et *Balduino*, traditus in disciplinam, breui ita proficeret, ut Doctoris mitra ultimo loco ornaretur, ac nondum uiginti quatuor annos natus ibidem iuris professor crearetur. Quum ea ipsa inciderit in tempora, quibus nuptiae, quas uocant, Parisienses institutae fuerant, uix ac ne uix quidem crudelissimorum hominum saeuitiae, Germanorum quorumdam, habitum ipsi suum concedentium ope, sese subduxit, *Geneuam* primum, tum *Heidelbergam*, postea *Lugdunum Batauorum*, ac *Altorfium* tandem, celeberrimi personam, magna cum admiratione omnium et exterorum concursu, agens Professoris. Plura de te merito, nulli Iureconsultorum superioris seculi secunde, adiicere partium censerem mearum, nisi *Crassus* et *Teissierius* in elogiis hominum eruditorum, *Thuanus* item et *Iacobi* de claris Cabilloni scriptoribus nomen tuum ad aethera extulissent.

Neque sane tacere diutius te possum, doctissime SCIPIO GENTILIS. Tenellum te, matremque tuam, religionis caussa reliquerat in Italia pater; sed uoluit te prouidentissimum Numen nostrorum sacrorum hominum commodis inseruire. Vnde felicissime Italis ereptus nostrae *Eberhardinae*, *Crusii* imprimis nostratis, cura; *VVittbergae* i-

tem

tem et *Lugduni*, praestantissimarum disciplinarum adparatu cumulatus es, quo tantam tibi peperisti existumationem, ut non tantum, *Donelli* imprimis fauore, inter *Altorfenses* cooptareris Professores, sed etiam in Galliam, in Heidelbergensium emporium litterarium, imo, quod mirabile dictu, a Pontifice Clemente Octauo *Bononiam*, conditionibus prorsum singularibus tibi oblatis, inuitareris. Haec de *Scipione Gentili* in compendio, cuius reliqua *Mundi* manes Gentiliani, et *Michaelis Piccarti*, apud VVittenium, plena dat manu oratio.

Dum uero ad clarissima toto orbe nomina CONRADI et NICOLAI RITTERSHVSIORVM depropero, nihil prius in illis celebrandum mihi uidetur, quam quod Latinarum, Graecarum et Hebraicarum litterarum, philosophiae item omnis et Theologiae, sacraria non a limine tantum salutauerint, sed penitissime penetrauerint. Quibus, si addas, quod celeberrimorum Helmstadiensis praesertim athenaei iuris professorum fuerint Auditores, praecipuas item Europae terras, prudenter institutis peregrinationibus, fuerint emensi, immensosque eruditionis omnigenae thesauros undiquaque collegerint: quid mirum, si uterque professorio mactus sit munere, maxumasque *Altorfinae* scholae accessiones procurarit? Quae, si quemquam ignorare posse arbitrarer, pluribus ea iam uerbis prosequerer, aut, Vos Auditores Honoratissimi, ad *Freheri* Theatrum, uel *Gebhardi* manes Rittershusianos, uel *Pansae* uitam Conradi Rittershusii, ablegarem.

Nobili huicce pari, nobilissimum iungere Altorfini Heliconis *Pro-Cancellarium* liceat, GEORGIVM RICHTERVM, philosophiae et historiarum, politicae item et Theologiae studiosissimum, in ipsa ciuitatum imperialium Metropoli, *Norimbergae* natum. Adeo praecox in *Richtero* illuxit ingenii praestantia, ut decimo iam aetatis anno publice de utilitate Grammatices et necessitate, summa peroraret cum laude, et, quod rarum hodie est, quum Logices et Ethices, Physicaeque et Metaphysicae studio probe imbutus esset, primum quoque philosophiae gradum, Baccalaurei nimirum, merito suo paullo post adipisceretur. In graecis tantos fecit progressus, ut orationem graecam scribere, et, si opus fuisset, non ineleganter loqui potuisset, *altero pede ambulabis*, inquiens subinde, *nisi graeca didiceris.* Insigni iam suos inter floruerat eruditione, quum et Musas, alieno sub sole clarentes, uirosque praecipuis in locis bene merentes, inuiseret. Quo facto patrios lares repetiit, Aduocati primum functus munere, mox Consiliarii, Delegati deinde ad *Ferdinandum secundum;* Pro-Cancellarii postremo dignitate ornatus. Scripta reliquit et iuridica, et philosophica et theologica, nonnisi cum mundi interitu interitura.

Atro autem carbone notandus recte essem, si uirum profundissimae iurisprudentiae cognitione incomparabilem, GVILIELMVM LVDVVELLVM, patria *Elbingensem*, genere nobilem Anglum, professorem Iuris celebratissimum, reique Noricorum publicae consiliarium, silerem diutius. Ita enim in patrio primum Gymnasio, *Regiomontana* deinceps Academia, et ultimo in *Altorfina*, excultum nactus animum est, ut non dignus modo, qui Professorem ageret, sed *commune* etiam *eruditorum oraculum* iudicaretur. Et certe, quis est cordatorum iuris sacerdotum siue in scholis, siue in aulis? qui *Altorfinae* Academiae, ob solum *Ludwellum* multum se debere non fateatur; si uel solae exercitationes ad

quatuor inſtitutionum libros, quae ab ipſo *Catechiſmus Iuris* adpellabantur, exſtarent.

Non incommode huius haeret lateri IO. GVOLFGANGVS TEXTOR, quem antiquae illae Muſarum ſolidiorum ſedes, *Iena* et *Argentoratum*, omnibus ſapientiae uniuerſae et Themidos ſpeciatim praeceptis tam feliciter imbuerunt, ut in Comitum Hohenloicorum primum aula paterna premere ueſtigia et ornare officia, ac deinceps iurium ſacra etiam in *Altorfina* Academia, in quam ultro euocabatur, cum ſumma laude omniumque adplauſu docere potuerit. Quum uero non ita multo poſt Heidelbergam, tandemque Francofurtum diſceſſerit, ultimoque in loco uiuere deſierit, heic de illo prolixiores non ſumus, ſcriptis ipſius exaſciatis in omnium uerſantibus manu.

Agmen, quum ipſa ad finem praecipiti deflectat curſu oratio mea, iam uel tandem claudat illuſtriſſimum illud eruditi orbis lumen IO. CHRISTOPHORVS VVAGENSEILIVS, de quo, ſi memorabilia omnia carptim tantum referre uellem, rem aggrederer finem orationi meae prorſus denegaturam. Liceat igitur praecipua, quae fatiſcenti ultro ſuccurrunt menti, uel tribus adſpergere uerbis. Atque, ſi *VVagenſeilium* ſummum dixeris Polyhiſtorem, ſi omnis eruditionis compendium, ſi omnium diſciplinarum Magiſtrum; ſi *VVagenſeilium* omnium populorum linguas calluiſſe, omnis generis doctorum doctrinas mente complexum fuiſſe, omnesque docere potuiſſe, pronunciaueris; nihil, quod a uero diſcedat, extuleris. Verbo: *VVagenſeilium* nominaſſe, eſt eloquentiſſimum oratorem, acutiſſimum philoſophum, Ictum praeſtantiſſimum et Theologum dixiſſe profundiſſimum.

Dixi itaque iam hactenus de ſplendidiſſimis Iurisprudentiae ciuilis luminibus, quae uniuerſitatem *Altorfinam*, omnemque orbem eruditum per longum annorum tractum clariſſime illuſtrarunt, eorundem ſtudia, queis ad tanta dignitatum eruditionisque plane ſingularis faſtigia feliciſſime euecti ſunt, fideliter recenſui: eadem ipſa opera docuiſſe me confido, queis excultus literis rerumque adiutus ſubſidiis eſſe debeat in ſolide eruditum Ictum quisquis aliquando euadere cupiat. His ego ad diſcendum Magiſtris utar, hos ſequar duces, haec ad imitandum exempla mihi proponam, e mari ad portum, ab aſperis ad aſtra, a carceribus ad calces tandem, feliciter eluctaturus. Id quod eo certius feliciusque conſequuturum me confido, ſi antiquioribus demortuorum dudum *recentiora hodieque uigentium*, *etiamnum mirifice florentium Altorfinorum Ictorum exempla prae oculis habere licuerit*. Tam enim felici almae iſti Muſarum ſedi eſſe licet, ut uix ac ne uix quidem pronunciare poſſis, utrum ſuperiore, an praeſenti aetate, illuſtrioribus praeſtantioribusue gauiſa Iureconſultis ſit? Dabo, meritoque ac lubenter dabo: inſignia fuerunt olim nomina *Camerariorum*, *Giphaniorum*, *Donellorum*, *Rittershuſiorum*, *Ludwellorum*, *Textorum*, *VVagenſeiliorum*, reliquorumque, quorum memoriam hactenus breuiſſimis noſtra recoluit oratio; ſed numquid obſcuriora dicere audeas, minora exiſtumare non dubites, *Hildebrandorum*, *Fichtnerorum*, *Rinckiorumque?* ut alios iam taceam, oppido multos. Minime profecto gentium. O beatam ergo Te, terque quaterque beatam, illuſtris *Altorfinorum* ſchola!

Felicem Te, immo feliciſſimam omnium depraedicamus, cuius ob *ſollemnia natalia* heſterno die celebrata, noſtram hanc ſollemnitatem uolui-

uoluimus inſtitutam, cui tot tantisque rerum gerendarum ornamentis, tantisque eruditi orbis decoribus, florere, atque ornari contigit, quibus ſi et deinceps floreas, fiet, ut, quod a ſupremo in Coelis Numine ardentiſſimis efflagitamus precibus, ſis maneasque legum feliciſſima nutrix, ſacratiſſimum iuſtitiae delubrum, celebratiſſima celeberrimorum Iurisperitorum ſchola, firmiſſimis Iurisprudentiae fulcris atque columnis ſemper innixa. Floreat perpetim *Noriberga:* filia eius, *Altorfina* Iurisperitorum ſchola, aeternum floreat! Vos autem O. O. H. A. quorum prolixius dicendo fauentiſſima abuſum me uideo patientia, ut mirifica ueſtra, qua hactenus immerentem me non dedignati eſtis, deinceps quoque beneuolentia me complecti uelitis, eſt, quod ſubmiſſiſſimis precibus oro, rogo, flagito.

D I X I.

V.

ORATIO LIGATI GENERIS
IACOBI FRIDERICI MOEGLINGII,
Philol. et Philoſ. Cultoris,

DE ORIGINE ET INCREMENTIS ACADEMIAE ET VRBIS ALTORFINAE,
Tubingae habita.

* *

MAGNIFICI, SVMME REVERENDI, IVRE PERITI,
PAEONIVM DOCTI STVDIVM, DOCTIQVE SOPHIAM
PRIMORES: TVQVE, O STVDIIS DECORATA IVVENTVS!
AVRES DICTVRO FACILES ADVERTITE, QVAESO.

ALme Pater, rerumque Sator, Diuumque poteſtas,
Qui mare, qui terras, coelique decemplicis orbes
Aeternis regis imperiis, et numine torques.
Si mihi ſint centum linguae, ſint oraque centum,
Si uenae cunctae, ſi quaeuis guttula fontis
Noſtri uitalis, qui toto corpore manat,
Clamoſae fierent linguae, haud tamen omnia poſſem,
Queis nos concumulas, benefacta aequare canendo.
Quis tibi iuſta ferat meritarum munera laudum,
Quod nobis denſa tectis caligine callem
Signes, atque bonis, minime mortalibus illis,
Sed quae praecipue ſpectant coeleſtia, dites?
Nos Tibi grande nefas et inexcuſabile crimen
Primi hominis, uetita uitiantis guttura fruge:
Id quod nos etiam merito feciſſe putamur,
Quod caput is noſtrum fuerat, quod ſanguinis auctor;
Reddidit inuiſos, ut, queis tua dextera mentes
Eximie noſtras uix tum perfuderat ante,
Irarum flammis accenſus, lumina rurſum
Deleres, coecam inducens in pectora noſtra
Noctem, quae tenebras nobis minitata perennes,
Eripuit, quidquid poterat nos reddere laetos.

Inde illae lacrumae! uah, ſyrmata quanta malorum!
Terribiles foetus ſceleris, faciesque, nefandi!
Aufugere pudor, pietas, uerumque, fidesque;
In quorum ſubiere locum, fraudesque, dolique,
Inſidiaeque et uis, et amor ſceleratus habendi,
Seditione, dolis, ſcelere atque libidine, et ira,
Iliacos intra muros peccatur, et extra.
Viuitur ex rapto, non hoſpes ab hoſpite tutus,
Non ſocer a genero, fratrum quoque gratia rara eſt;
Lurida terribiles miſcent aconita nouercae.
Victa iacet pietas, et uirgo caede madentes
Vltima coeleſtum terras Aſtraea reliquit.
Sed dum ſic toto ſcelus omne uigebat in orbe,
Dum ſibi perniciem proprio molimine quiuis
Praeparat, atque tibi totus reus incipit eſſe,
Omni dum mundo et noſtris nox incubat atra
Pectoribus, dum grande malum dominatur ubique,
Qui ſolus tantis poteras, DEVS alme, mederi
Vulneribus, lucemque iubes, uitamque reuerti.
Quae per nos cecidit, per te fortuna reſurgit.
Tu nobis Ariadnaeum ad noua fata retexis
Filum, tuque nouos, Pater optume, pandis aquarum
Viuarum fontes nobis, noua lumina ſpargis.
Quid ſunt, quas homini tua dat ſapientia, quaeque
Expolit in nobis, coeleſtis quam Pharos, artes
Ac diſciplinae, felici ſidere monſtrans,
Ad fortunatas ſedes quorſum ire queamus?
Theiologia quid eſt, quam uerbi gaza recluſa
Diuini, Ganges decurrens flumine largo,
Aurifluisque undis? Quid et eſt *prudentia iuris*,
Quam qui tellurem nigra foecundat arena
Aegypti Nilus? uel quid *Medicina* ſalubris,
Quam Tigris exundans? Quid denique *docta Sophia*,
Quam celer Euphrates, qui triſtes irrigat agros?
Theiologia docet cultum praeſtare ſupremo
Rectori, ueram panditque iubetque ſalutis
Ire uiam. Leges *Iurisprudentia* diua
Iuſtas ferre parat, moderari iurgia plebis,
Atque inter ſocios placidam ſeruare quietem.
Tu, *Medicina*, graues morbos curare laboras,
Multiplicare dies hominum. *Praeclara Sophia*
Expendit, quae norma boni, quis limes honeſti,
Indagat cauſſas et prima exordia rerum.
Has magis at uideas artes floreſcere nusquam,
Ac in ſacrata Muſis *Academia* amoenis:
Quae florens hortus pretioſum et molle uiretum eſt,
Quo iuuenes plantae ſuccreſcunt, atque laborum
Percipiunt fructus; quae rite parata palaeſtra,
Qua diſciplinis iuuenum formanda caterua
Diſcit bella, manus corroborat, atque lacertis

Robuſtis uarios hoſtiles excipit ictus:
Iam reddit, pugnaeque uices conuertit in hoſtem.
Atque eadem de te merito iam dicere poſſum,
ALTORFINE HELICON, tu florentiſſima ſedes
Muſarum, *Noricae* gentis clariſſima gemma,
Deliciae ſummae, quid? honosque decusque perenne.
Tu dulce aureolum diuino munere uertens
Iam ſeclum flores, felix, tua lumina ſpargis,
Natalemque tuum felici ſidere laetum
Iam celebras; laeto celebrabo pectore tecum,
Pro *flore* ac *incrementis* et *origine*, Numen:
Dicturus pariter *nomen laudesque tuorum*.
Heic equidem dubiam ducit ſententia mentem,
Tam tenui liceat tua num ſermone referre?
Sed tamen incepto quoniam deſiſtere turpe eſt,
Atque ubi deficiunt uires, laudanda uoluntas:
Non me poeniteat iam de *natalibus* amplis,
Deque tuis *incrementis*, de *flore*, *ſtatuque*,
Enarrare tuo breuiter, *pia fundere uota*,
Denique proſequier laeto tua gaudia plauſu.
Huc ades! o Phoebe alme, mihi tu ſuffice uires.
En! age ferque pedem, atque audacibus annue coeptis.
Et *tu!* qui noſtras ſceptro moderaris Athenas,
Vosque ſacratae animae Muſis! deuota Camoenis
Pectora SEMIDEVM, et uos, quos commendat Auorum
Nomen, et extollit radioſa ad ſidera uirtus.
Et tu uenturi ſpes o certiſſima ſecli,
Flos Charitum, iuuenes, lectiſſima corcula Phoebi,
Aure fauete, rogo, placidi adſpirate labori.
Vrbs eſt, quae *Noricis* iam per duo ſecula floret
Sub ſceptris, ALTORFVM, ignoto nomine, dicta,
Quo de non concors doctis ſententia ſedit,
Illius ueteres nec prima cubilia produnt.
Illud ab *Adolpho* haud dubitant deducere quidam,
Aſt alii *pagum* dicunt ſignare *uetuſtum*
Naſſouiae Comitum primo; poſt *Burggrauiorum*.
Deinde Ducis, Dominum quem tum Pomerania nacta eſt,
Suantibaris iuſſis locus olim paruit ille.
Porro *Palatini* Comitis fuit additus auro
Terris haud magno: donec per bella *Ruperti*
Perfuneſta *Norimbergenſibus* ante ducentos
Vigintique annos conceſſit. Nempe *Rupertus*,
Electore Palatino tum Patre *Philippo*
Vſus, Bauariaeque Ducis gener ille *Georgi*,
Albertum ad finem terris priuare *Georgi*
Contendens, ſeuit funeſti ſemina belli.
Nam quum Legatis *Albertus* nollet opimis,
Rupertum, precibus tentatum ſaepe, potiri:
Hic fera ad arma uiros, ad bellum triſte uocauit.
Edidit hinc ſtrages multas, ut ſanguine fuſo,

Collatis signis Martis, fera flamma micaret
In terris. Bellona truci fremebunda tumultu
Verberibus concussit equos, Mars impius ipse
Exsultans diro bello, gaudensque cruore,
Admouit stimulos ipsi, bellique furorem
Iniecit. Verum *Maxaemilianus* acerbas
Perspiciens iras, clades atque arma nefanda,
Illum frenat, ei quam multas eripit urbes.
Iuxta alios *Noricorum* immittit et arma *Ruperto*,
Qui ALTORFVM capiunt fortes, uicinaque rura,
Quae data sunt ipsis posthaec pro sumtibus amplis.
Iam, quae prima canam? quae sint exordia laudum?
O ALTORF! quo me uerto, magna agmina rerum
Magnarum sese obiiciunt, urgentque stupentem:
Non aliter, quam si niueae per culta uireta
Pomonae calathis cupidus fragrantia serta
Collecturus erat, manet is defixus in uno
Obtutu, primum carpat num suaue comantem
Narcissum, aut flores Hyacinthi suaue rubentis;
Illic luteolam pingunt uaccinia caltham:
Heic spicatus honos Amaranthi effulget, et isthinc
Pallentes uiolae, uel purpura blanda rosarum;
Heic noua flamma micat, sed ibi se argentea iactant
Lilia, diuersi radiant modo flore colores,
Et modo iucundo flauens crocus halat odore:
Sic quoque millenos ALTORFVM ostendit honores.
Adficit hinc mentem pulcris urbs sedibus apta,
Adficit atque situs, totus quoque tractus amoenus.
Eminet adcliuis iucundo uertice collis
Vrbs, ubi perpetuo recreat purgatior aer:
Commoda temperies, coelique serenior aura:
Et non unius montis sublime cacumen:
Atque uigent docti ueneranda palatia Phoebi.
Heic uer adsiduum, placidique, tepentibus auris,
Heic toto Zephyri spirare uidentur in anno.
Heic omnis Florae se gratia pandit odorae:
Heic raro nocuae fulserunt axe Kalendae:
Omnia sed rident: heic formosissimus annus:
Heic grauidae fruges: heic indulgentia terrae:
Heic tellus felix: heic sunt Saturnia regna.
Non equidem nullo poscente heic omnia tellus
Liberius profert, et surgit spicea messis;
Sed redit agricolis semper labor actus in orbem,
Ne segnes terrae iaceant his maxuma cura.
Optuma frumentis terra est, pinguedine terras
Vicinas uincit, uix ullo ex aequore plura
Inde domum uideas decedere plaustra iuuencis.
Mirentur segetes Samii, mirentur et Indi,
Ipsa opulenta suas mirentur Gargara messes.
O felix nimium ante alias *urbs!* moenia fausta!

Quid nunc prata canam? quid roſcida paſcua uerſu
Proſequar: aut laeti uiridaria florida ruris?
Heic uiridi ſemper ueſtit ſe gramine tellus,
Et quantum longis carpunt armenta diebus,
Obſcura tantum gelidus ros nocte reponit.
Heic mire rident uiridantes picta per herbas
Prata, atque aureolis diſtincta coloribus arua.
Heic centum teneri tondent dumeta iuuenci,
Et depaſcuntur timidae uirgulta capellae:
Heic fruticum ſentes carpuntur et arbuta paſſim,
Et ſemper glauca canentia fronde ſalicta.
Queis licet ALTORFI ſublimis gloria ſurgat,
Ante alias tamen inprimis caput extulit urbes:
Quantum lenta ſolent inter uiburna cupreſſi,
Quod *Proceres* illud *Noricorum* auxere *Lyceo*,
Egregio prorſus, dudum celebrique per orbem.
O quantum tua nunc adcreuit gloria! quantum
Res omnes, ſplendorque tuus Respublica gentis
Florentis *Noricae!* ſic fortunata tuorum
Conditio euaſit, ſic omni parte beatam
Altorſina cohors, prudentis ſumma SENATVS
Gratia te fecit NORICI, populique fauentis.
Eſt cur grata colas illos, ſacrataque ſacri
Imperii Germanorum capita iſta, RVDOLPHVM,
Et FERDINANDVM, quibus adſpirantibus omnis
Eſt conflata tuae compages, auctaque mire
Ac munita ſcholae, quin confirmataque iura.
Inprimis CAROLI noſtri (uenerabile nomen
Deuota deuoti animi pietate colendum)
AVGVSTI AVGVSTVS GENITOR, MAGNVS LEOPOLDVS,
Quo certe numquam nobis praeſtantior alter
Vel pietate fuit, uel bello maior et armis,
Adiecit tandem decus hoc inſigne Lyceo,
Vt doctrinarum ſacrarum poſſet alumnis
Doctorum titulos etiam conferre *ſupremos*.
Sicce renaſcentes Regum clementia Muſas
Erigit, et ſceptris auroque oſtroque potentes
Ad ſua ſigna iubent ſpretas reuireſcere lauros,
Claraque Pegaſeis donant ſuffragia curis.
Doctorum foecunda domus, ſubuerſa Cleanthis
Atria, Socraticique lares, Tritonidos arces,
Antraque Pieridum, Parnaſſeique receſſus
Heic ſunt, heic florent, heic iam ſic omine laeto
Maxuma Phoebeae ſurgit reuerentia genti,
Quam cecidiſſe alibi ſcimus. Iam neſcia rerum
Barbaries foedo populi praecordia coeno
Obruit et ſeptemgemino ignorantia Nilo
Incubat, Inachiaeque latent arcana iuuencae.
Cecropidum periere lacus et docta Cleanthis
Limina, degenerique ſilet Stagira Pelaſgo.

 Nec

Nec iam rixantem praeluſtris Stoa Meliſſum,
Aut atomos, Leucippe, tuas magnumque laceſſit
Parmenidem, non, ille negans ſe ſcire, ſuperbis
Inſultat Patribus Pyrrho, uerumque reuellit,
Ancipiti ratione potens. Tot regna, locosque,
Torpor habet, ſpiſſisque inuoluit corda tenebris.
Aſt laetum ALTORFVM ac ex omni parte beatum
Floret, nec lapſu ſeclorum labitur, ullum
Aut decrementum patitur, quin maxuma felix
Incrementa capit, Muſarum commoda ſedes,
Solertes ipſae Muſae, illarumque Patroni,
Nobile praeſidium, egregia et nutrimina, fama,
(Qua cum principibus de palma certat Athenis)
Pulcer alumnorum numerus: ſic tempore centum
Annorum creuit, quantum exoptare licebat.
Aduolat ad famae totus praeconia mundus,
Inque *Altorſina* celebres tellure Camoenas.
Quaeuis terra colit, ueniunt qui muſtea Celtae
Pocla bibunt, quos mittit Arar, rapidusque Garumna,
Veliuolusque Liger. Picti uenere Britanni,
Quosque ferox longis abigit Germania bellis,
Pannonius, potorque Padi, Dacusque, Gothusque,
Vandalus et nobis iam mitia nomina Cimbri.
Heic quid *Doctores*, queis curae eſt laeta iuuentus,
Quos uirtus artesque citis et fama quadrigis
Celſius euectos ad prima ſedilia et amplis
Quaeſitum meritis culmen de iure locarunt,
Laudibus extollam, quos gloria uexit ad aſtra?
Ecquid *Schopperos*, *Saubertos* atque *Matthias*,
Crineſios, *Ritteros*, *Weinmannos et Hedenos*,
Koenigios, *Durios*, *Hakſpanos* atque *Rheinhardos*,
Fabritios, *VVegleiteros*, uah nomina quanta!
Sonntagos, *Langios*, *Zeltneros*, atque *Baieros*,
Atque alios, *qui diuini myſteria uerbi*
Pandere, et pandunt, ueterumque oracula uatum.
Ecquid *Giphanium*, *Rittershuſium* atque *Donellum*,
Gentilem, *VVeſenbeccum*, *Ludwell*, *Kobiumque*,
Quidue *VVagenſeilum*, *Textorem*, aliosque *peritos*
Iuris, quos totidem theſauros dicere iuris
Malles, edoctos quosuis bene ſoluere caſus.
Et, quam ſumma uiget tua laus, *Hofmanne* celebris?
Hippocratis non iam dicam fili, ſed ocelle,
Sed decus atque inſignis honos et ſaepe Magiſter.
Vt taceam *Baieros*, *Taurellos* et *Apinos*.

Quin

Quin et tu, *Quecci*, ſolers *Piccarte*, *Ruperte*,
Clapmari, et *Sturmi* praeſtans, tu *Moller*, *Omeiſi*,
Roetenbeck, *Schwarzi* celebris, *Koelere* diſerte.
Vos omnis *ueri iuſtique* ſcientia et omnis
Hiſtoria et *natura* ſuos et *ſuada* Patronos,
Et decora adpellat. Queis fallor, an omnibus addam,
Quae porro ALTORFVM reddunt uenerabile nobis,
Ornamenta, *aedes*, nempe *Auditoria* Phoebo
Et doctis magno ſumtu deuota Camoenis.
En *hortum Medicum Altorfinum!* en frigida tempe!
Heic laeti uere Paradiſi efficta uoluptas:
Inde Semiraméos certo aſpernaberis hortos,
Et rura Heſperidum, uel culta roſaria Florae,
Alcinoi campos uirides, et Adonidis arua.
Sed claudam tandem riuos, ſat prata biberunt.

Aſt tu grande decus patriae, *Rectorque Paterque*
Huius Athenaei, quem totum fama per orbem
Iactat, tuque *Scholae Senium uenerabile noſtrae*,
Qua ratione *tibi* iam grates reddere dignas
Poſſum, pro ſummo facilis praeſentiae honore.
Et uobis *magni Proceres*, tibi *concio Patrum*,
Vobis o praeclara ſcholae et fidiſſima fulcra!
Vobis o *ſacri Myſtae!* clarique *Magiſtri*,
Et uobis *grex Pieridum*, flos aureae terrae!
Quas, inquam, grates grato de pectore promam?
Quod faciles dignati aures praebere loquenti.
Non opis eſt noſtrae, grates perſoluere dignas,
Nec tantis meritis iam uerba referre ualemus.
Quod ſolum poſſum, uobis, o lumina magna,
Singula ſponte fluant, exopto, ut munere ueſtro
Defungi placida compoſti pace queatis.
Adprecor et uobis, nitidiſſima germina Phoebi,
Vt non in ſtudiis tantummodo creſcere detur,
Aſt etiam fructus poſſitis carpere gratos,
Et tandem Patriae uos commoda mille feratis!

Tu uero, ALTORFVM, plaude, et moerore ſerena
Depulſo frontem, quum iam tibi ſidere laeto
Natalis uerus rediit. Sol, ſparge rubentem
Iam meliore coma lucem, crinemque repexi,
Blandius elato ſurgant temone iugales,
Efflantes roſeum frenis ſpumantibus ignem.

Nunc animos libate DEO, nunc pectore laeto
Exultate *Altorfini*, iam pandite coetus
Vos Muſae, et uiolis totam praetexite frontem.
Aſt tu, *ſumme Parens*, immenſi Conditor orbis,
Qui clemens omnis Moderator et Arbiter aeui es,
Conſerua *Noricam* claro de ſanguine gentem.
Alme Deus, faxis Norici domus incluta ciuis
Cottidie creſcat donis felicibus aucta,
Pieriamque domum defende potentibus umbris.
Eia, age, Muſarum coeleſtibus ignibus imple
Heroas, ſemper docili praecepta iuuentae
Inſtillent, et Caſtalidum de fonte liquores
Propinent, iuuenum clementer dirige greſſus!
Artibus et pietate illorum pectora forma.
Da, precor, ut fauſta felix uertigine Coelum
Defluat, et placitis adſpirent omnia fatis!
Fac referant tumidi cerealia munera campi!
Foecundo quiuis deſtillent nectare colles!
Denique tecta manu praeclari noſtra Lycei
Protege, fac ſemper maiore nitore reſurgant.
Sis facilis placidusque tuis, o! *Maxume Chriſte*,
Conſerua ſacri diuina oracula uerbi!
Huius Athenaei fac ſemper templa uigeſcant!
Vt tandem paucis complectar ſingula uerbis;
Fac, bonitas et priſca fides ſibi mutua figant
Oſcula, et has terras coelo petat alma relicto
Proſperitas aeterna parans habitacula!

DIXI.

SECTIO VIIII,

SECTIO VIIII,
qua proferuntur
GRATVLATIONES QVORVNDAM NORIMBERGENSIVM.

I.
ΤΡΙΑΚΑΣ
CHRONOSTICHORVM
In
sACra
VnIVersItatIs aLtDorfInae
IVbILaea prIMa

InVentore
IoaChIMo negeLIno
aeDIs beatae VIrgInIs pastore
et poeta LaVreato.

* *

IMperante CaroLo norIDIs parnassVs eXsVLtat.
perILLVstrIs senatVs norIMbergensIs sapIentI DeCreto et faVore propItIo,
agIt festVM saeCVLare aLtDorf. VnIVersItas.
aLtorfIna aCaDeMIa Inter pIa Vota et sVspIrIa IVbILat.
MVsa aLtDorfI Vno transaCto IVbILat aeVo.
LaetatVr tetzeLIo, IMhof, grVnDherro, ebnero, cVratorIbVs.
Iohannes IaCobVs baIer, reCtor MagnIfICVs fasCes heLIConIs norICI gerIt et regIt non sIne gLorIa.
spLenDet parnassVs aLtDorfInVs proCanCeLLarIo georgIo CaroLo VVoeLCkero.
ChrIstophorVs eLIas oeLhafen a sChoeLLenbaCh generosVs oppIDI nobILIs aLtDorfInI est praefeCtVs.
gVstaV georg zeLtner theoLogIae professor prIMarIvs, DeCanVs et pastor.
Iohannes VVILheLMVs baIerVs DoCtor.
Iohannes IaCobVs pfItzerVs, norIbergensIs, DoCtor et VerbI MInIster.

HEINRICVS HILDEBRAND, ALTDORFINAE VNIVERSITATIS SENIOR.

IOHANNES GEORG FICHTNER, IVRIS INTERPRES ET VENERANDI ORDINIS DECANVS.

EVCHARIVS GOTTLIEB RINK MAGNAE ERVDITIONIS POLIHISTOR.

GEORG HEINRICH LINCK ALTDORFINVS PATRIS HEINRICI ICTI ET ANTECESSORIS HAERES, IVRIS DOCTOR ET PROFESSOR.

IOHANNES IODOCVS BECK, NORIMBERGENSIS IVRIS INTERPRES EGREGIVS.

IOHANNES IACOBVS IANTKIVS, MEDICVS INSIGNIS.

IOHANNES HEINRICH SCHVLTZE, GRATIOSAE FACVLTATIS IATRICAE ALTDORFINAE SOLERS DECANVS.

CHRISTIAN GOTTLIEB SCHVVARZ, PHILOSOPHIAE MORALIS PROFESSOR, ORATOR AC POETA NEC NON FACVLTATIS SENIOR.

IOHANNES HEINRICH MVLLER, CELEBRIS FACVLTATIS PHILOSOPHICAE ALTORFINAE BRABEVTA.

IOHANNES DAVID KOELER, HISTORIAE PROFESSOR ET FIDVS BIBLIOTHECARIVS.

IACOB GVLIELM FEVERLEIN, LOGICES AC ALTIORIS PHILOSOPHIAE PROFESSOR SPECTATVS.

IOHANNES CAROLVS BEHEIM, AL. ET OECON. IN LICEO ALTORFINO RITE CONSTITVTVS INSPECTOR.

HEINRICH CHRISTOPH BITTNER, VNIVERSITATIS MODO NOTARIVS.

*

* *

STASQVE, PALAECOME, VIGINTI LVSTRAQVE ADORNAS!
INCREMENTA TVI DECORIS PAX TVTA SERENET.
EXSVRGAT SEMPER PER SECVLA GLORIA PINDI.
LAETA ALTORFINAE MVSAE DEVS OCIA FAXIT.
SALVA SIT ALMA PARENS, DVRET QVOQVE FILIA LAETA!

* *

II. ME-

II.

METRVM SECVLARIBVS ALTDORFFINIS ACCOMMODATVM.

CEntum Feſta Ioui ueniant, Altaria fument
Tot, *Centum* cultris Hoſtia caeſa cadat; [1.]
Molliat ac Hecaten, [2.] Coeloque Ereboque ualentem,
Fabula, *Centeni* Victima ſeu numeri;
Atque uetus Thebe *Centum* quoque turgeat, ante
Quam totidem Portis [3.] obruta larga iacet,
Centum ſiue Vias Hecatompylos [4.] illa frequentet,
Et petat et repetat quisque Viator eas;
Centum ſiue Vrbes habitent uberrima Regna,
Vrbibus aut *Centum* Creta [5.] ſit una potens;
Pondera [6.] ſuſpendat uel *Centenaria*, tollat
Libertos [7.] Opibus Roma ſuperba pares;
Concutiat Muros Balliſta [8.] Machina, *Centum*
Bellica quae pondo grandia ſaxa dabat;
Gabalus exponat Cyathos, laſciuaque Vaſa [9.]
Helio, ſed Coenae Fannia [10.] Lexque Dapes;
Porticus [11.] illuſtris, quae *Centenaria* dicta,
Ampla ſit et *Centum* paſſibus usque ſuis;

1.) u. Iul. Capitolin. in Balbin. c. 11. et Sil. Ital L. 12. u. 331. Vnde Hecatombe ſ. Ἑκατόμβη appellabatur illud Sacrificium, quod in eo *Centenae* ſui generis mactabantur Victimae, *Centum* uel oues, uel aues, uel ſues.

2.) u. Virgil. VI. Aeneid. u. 247. Ἑκάτη dicta, quod *Centum* placaretur Victimis; ἑκατὸν enim *Centum* eſt.

3.) u. Iuuenal. Satyr. XV. u. 6.

4.) u. Curt. L. VI. c. 2. n. 15. et ad eund. Commentat.

5.) Virgil. III. Aeneid. u. 106.

6.) u. Plin. Lib. VII. c. 20.

7.) Scil. *Centenarios*, ſ. qui *Centena* Seſtertia, uel potius *Centena* millia Seſtertiûm poſſidebant. u. L. XVI. D. de Iure Patronat. et ibi Gothofr.

8.) u. Caeſar II. Ciu. c. II. ac Lipſ. Lib. III. Poliorceticῶν, Dialog. 3.

9.) Argentea et *Centenaria* dicta, quorum nonnulla libidinoſiſſimis Schematibus inquinata habuit. u. Lamprid. C. 19. Vitae Heliog.

10.) Alluditur ad Coenas *Centenarias* a *Centenis* Seſtertiis ita appellatas, nec non L. Fannia frugaliores imperatas, quam ideo Lucil. in Satyr. nouo nomine *Centuſſem* uocauit. Conf. Baſ. Faber in Theſ. E. Sch. cum Addit. Buchn. et Cell. uoc. *Centenarius*.

11.) u. idem Faber d. l. ut et Sueton. in Calig. cap. 50.

Sint *Centena* Viro [12.] cordi Sestertia, soli
Pallas facundo cui dedit ore loqui;
Sit *Centena* modus, diuisit qui Regiones [13.]
Olim, Militiae [14.] sit decus atque Scholae; [15.]
Et generet frugem, quae audit *Centesima*, terra; [16.]
Vsuras [17.] similes det Pretium uetitas;
Annis quin etiam *Centum* Praescriptio [18.] currat,
Quam saepe ex Aequo Iureque Mysta docet;
Militiae imponat Vectigal [19.] tale uocatum
AVGVSTVS, taxat si, bonus ipse, Manus;
Iudicio celebres sint *Centum* quippe Virorum [20.]
Aulae, quae nomen, Iulia, Porcia, habent;
Et quando Populus non uult concurrere in unum, [21.]
Curia uel *Centum* stet patefacta modis;
Denique, çeu narrant, indeclinabile *Centum*
Sit tritum [22.] Gallis Hesperiisque diu: No-

12.) Intellige Eloquentiae Parentem Cic. Paradox. VI. c. 3.

13.) u. Besold. in Thesaur. Pr. Lit. C. n. 25. Voc. Centbahrliche xc. et in Tr. de Comit. et Baron. n. 7. et omnino Gylmann. Symph. P. 1. T. 1. de Reconu. n: 58. fol. 77. Meichsner. T. 2. Decis. L. 1. Dec. 8. n. 4. it. T. 2. l. 2. Dec. 2. n. 171. Arum. T. 1. Disc. 24. §. 4. cum seqq. atque Limn. in I. P. Lib. 6. c. 3. fol. 127. seqq.

14.) u. L. III. C. Theod. de Cohortal. Princip. Cornicul. et Rosin. Antiqq. Rom. L. X. c. 7.

15.) u. L. I. de Caesarian. L. I. de Murilegul. et L. V. de Decurion. eod. C. Theod.

16.) u. Plin. V. 4. i. e. *Centies* tantum, quantum Sementi accepit, 100fältige Frucht bringend.

17.) *Centesimas*, quae *Centesimo* mense sortem aequabant. Conf. Cui. in ff. et C. p. m. 109. Ant. August. Lib. 2. c. 10. et I. Voet. in Comm. ad ff. Tit. de Vsur. Add. Nouell. 130. L. 40. ff. de R. C. ibique DD. et Struu. in Synt. I. C. Exerc. XXVII. §. 52.

18.) de Praescriptione hac *Centenaria* u. laud. Struu. d. l. Exerc. XLIII. §. 33. seq. et ibi P. Muller. in Addit.

19.) Fuit Vectigalis genus numo *Centesimo* ab eodem impositum et quidem instituendo Aerario Militari, bellis cum Ciuilibus functus. Dio L. LV. et Tac. I. Annal. cap. 78. et II. eorund. cap. 42. praesertim uero Capitolin. Macrino, cap. 12. ibi: Milites saepius decumauit, aliquando etiam *Centesimauit*, quod uerbum proprium ipsius est, quum se Clementem diceret, quando eos decimaret, qui digni essent decumatione atque uicesimatione.

20.) Litibus iudicandis, praecipue in Basilicis s. Aulis iam memoratis, praeerant apud Romanos; u. Rosin. d. l. Lib. VII. cap. 30. et omnino Lib. IX. cap. 15.

21.) Notissima sunt Rei Antiq. et Iurium peritis bina Comitia Magistratuum Rom. *Centuriata* et Curiata, quorum Autor Seruius Tullius. Rosin. d. l. Lib. VI. cap. 8. cum multis seqq. Adde §. 5. Inst. de I. N. G. & C. ut et §. 1. Inst. de Testam. Ord. ibique DD.

22.) Res Exemplis comprobatur in II. Sendschreiben der so genannten geheimen Briefe. p. 39.

NOSTRAM laudemus tantum, quae Academia *Centum*
Inter tot reliquas erigit alta caput;
Quae dudum dulci Musarum nomine macta,
Quae tenuit rarum Virgineumque Chorum!
Aucta RVDOLPHINO FERDINANDIque [23.] Fauore,
CAESARIS hunc alium iam Pietate colit;
Dinumeratque Annos isthinc a tempore *Centum*,
Centum uel PATRIAE Munera magna PATRVM;
Egregias *Centum*, doctas numero quoque Curas
En! CVRATORVM *Centuplicique* refert,
Plus *Centum*, gaudet queis quaelibet alma Facultas,
Praeclaros nobis indicat Arte Viros:
Centenas Studiis celsas et laude Cohortes
Excitat, ut resonent Curia, Templa, Scholae.
Haec Sacra Parnassi, haec Heliconis IVBILA NOSTRI
Sunt, his complentur Lusibus illa Iuga!
Maturate igitur, quotquot procul inde, Forenses
Aduentum, Ciues condecorate Locum;
Vosque uicem geritis qui Rhetoris atque Poetae,
Cantibus, ut uerbis, reddite Vestra simul:
FESTO huic et SECLO date nunc, date nempe futuris,
Perpetuam lucem, perpetuumque Iubar.
Nil ego, cui nimium per Iurgia Vena Fororum
Aruit, in praesens concinuisse uolo;
Nil ego praeterquam NOSTRVM memorabile CENTVM,
Siue quod AVGVSTVM Litera prima [24.] beat;
Nil ego quam PATRIAE semper laudabile FESTVM,
Siue quod (hinc celebre est,) EGIT [25.] agetue modo!

Id quod
GENTE ET MENTE
Per-Illustribus ac Generosissimis
DN. DN. DN. DN.
GVSTAVO GEORGIO, IOANNI CHRISTOPHORO,
LEONARDO, ut et HIERONYMO GVILIELMO,
Piis, Prouidis, Fortunatis,

Kkkk imo

23.) Antep. producta legitur in Metro Georg. Sabini apud Hieron. Megiserum in Theatr. Caesar. Histor. Polit. et quidem Imp. Rom. CLIIX. p. 356.

24.) Puta in CAROLO VI. IMP. GLORIOSISS. cuius sub Aquilae tutelaribus Alis nobis DEVS haec otia fecit!

25.) Retrorsum namque legendo Grammata Initialia Cabbalae Nominalis mox seq. prona Minerua indicatur.

imo praeter alias easque fere innumeras etiam VIRTVTES, aut omni laude ſuperioribus, aut extremo duntaxat digito excellentibus ipſorum ſignificatis Nominibus ſatis ſuperque perſpicuis, nimirum

Anno

quo

TETZELIVS	56.
IMHOFIVS	1007.
GRVNDHERRVS	510.
EBNERVS	5.
CVRATORES	105.
VNIVERSITATIS	13.
VIRENTES	6.
PATRESQVE	5.
PATRIAE	1.
EX	10.
VOTO	5.

iunctim


MDCCXXIII. uel 1723.

Inter alios aliorum Applauſus Ludosque IVBILAEI Academicos
III. Cal. Iul.
ſub Regimine EORVNDEM inſtitutos,
iuxta
NVMISMA CHRONICO-MNEMONICVM,
a ſe recens quoque inuentum,
tam ex perenni Animi Religione
quam pridem pariter Merito
demiſſe conſecrat
Ciuis et Cliens
Chriſtoph. Auguſtus Laemmermannus, V. I. D. et Aduoc. Ordin.
AVGVSTAE NORICORVM.

III.

DEDICATIO
omnium imaginum
PROCANCELLARIORVM ET PROFESSORVM
ACADEMIAE ALTORFINAE,
quas in memoriam ſacri ſaecularis Academici
aere exſcribi curarunt
HEREDES TAVBERIANI,
Bibliop. Norimb. et Altorf.

ILLV-



ILLVSTRIBVS ET GENEROSISSIMIS DOMINIS

DOMINO

GVSTAVO GEORGIO TEZEL

A KIRCHENSITTENBACH IN VORRA ET ARTELSHOFEN

SACRAE CAESAR. MAIEST. CONSILIARIO ACTVALI

PERILLVSTRIS ET LIBERAE S. R. I. REIPVBL. NORIMB. TRIVMVIRO

CVRIAE TVTEL. ET CANCELLAR. PRAESIDI

ATQVE ECCLES. EPHORO

DOMINO

IOHANNI CHRISTOPHORO AB IMHOF

IN MERLACH ET STEPHANSMVHLEN

EMINENTISS. ELECT. MOGVNT. ET EPISCOP. BAMBERG.

ITEMQVE SERENISS. PRINCIPIS MAGN. DVC. HETRVRIAE

A CONSILIIS INTIMIS

PERILLVSTR. REIP. NORIMB. SEPTEMVIRO

DOMINO

LEONHARDO GRVNDHERR

AB ALTENTHANN IN VVEYERHAVS

PERILLVSTRIS REIPVBL. NORIMBERGENSIS

SENATORI CONSVLARI

DOMINO

HIERONYMO GVILIELMO EBNER

AB ESCHENBACH IN GVTTENBVRG ET ERLENSTEGEN

PERILLVSTRIS REIPVBL. NORIMBERGENSIS

SENATORI CONSVLARI

CELEBERRIMAE VNIVERSITATIS ALTORFINAE

CVRATORIBVS

IMMORTALIVM MERITORVM GLORIA CONSPICVIS

DOMINIS SVIS PERQVAM GRATIOSIS

S.

ACCIPITE SERENA FRONTE
DOMINI ILLVSTRES
IMAGINES AERE EXSCRIPTAS
VIRORVM INSIGNIVM CELEBERRIMORVMQVE
QVI DE ACADEMIA VESTRA BENE PRAECLAREQVE MERVERVNT
ET QVORVM VITAE
PARTIM IAM IN PVBLICAM LVCEM EXIERVNT
PARTIM ADHVC PROXIME DESCRIBENTVR.
INTEREA QVOT HIC CONSPICIVNTVR VVLTVS
TOT EFFIGIES
PRISCI CANDORIS ERVDITIONIS EXQVISITAE ET LAVDABILISSIMAE
CVIVSCVNQVE VIRTVTIS ELVCENT.
TOT ET TESTES ERVNT PERPETVI
QVANTA CVRA ET SAPIENTIA
PERILLVSTRIS SENATVS NORIMBERGENSIS
PROSPICIAT PVBLICAE SALVTI PATRIAE
AC QVANTA MVNIFICENTIA FOVEAT ORNETQVE
BONAS ARTES ET EARVM CVLTORES.
VOBIS IGITVR
BENIGNISSIMI PATRIAE PROCERES PATRESQVE
PVLCHERRIMOS IVCVNDISSIMOSQVE TANTAE GLORIAE FRVCTVS
OMNEMQVE FELICITATEM
ET CELEBERRIMAE ACADEMIAE VESTRAE
SACRVM SAECVLARE
VESTRA CVRA VESTRAQVE AVCTORITATE PROXIME AVSPICATO
CELEBRATVRAE
PROSPERRIMA QVAEQVE FATA
EX ANIMO APPRECANTVR
SIMVLQVE
ILLVSTRIBVS NOMINIBVS VESTRIS
HOC QVALECVNQVE MONIMENTVM
IN MEMORIAM NOVI SAECVLI ACADEMICI
ET IN ARGVMENTVM DEMISSISSIMAE PIETATIS
RELIGIOSISSIME DEDICANT

HEREDES IO. DAN. TAVBERI
BIBLIOPOLAE NORIMB. ET ALTORF.

* *

SECTIO X,
qua comprehenduntur
GRATVLATIONES QVAEDAM ALTORFINAE.

I.
PROGRAMMA
CHRISTIANI GOTLIB. SCHVVARZII, Eloqu. Prof.
ad orationem publicam de Schola aulica CAROLI M. audiendam, et ad uota pro auſpicata ſacri ſaecularis celebratione facienda, inuitantis.

* *

REBVS HVMANIS DVDVM EXEMTVS EST
AT OMNIVM SAECVLORVM MEMORIA VIVIT
VIVETQVE
GLORIOSISSIMVS GERMANICI IMPERII CONDITOR
CAROLVS
QVEM FORTITVDO INCREDIBILIS
MAGNVM
IMPERII CONSTITVTI AMPLIFICATIQVE FELICITAS
MAIOREM
AMOR SAPIENTIAE ET BONARVM ARTIVM
MAXIMVM
EFFECERE.
CVM ENIM IDEM
EIVSMODI TANTVM PRINCIPES IN OPTATIS HABERET
QVI FORTITVDINE ALEXANDRVM
AVGVSTVM IMPERIO
IVDICIO PERICLEM
EXAEQVARENT
IPSE
AVGVSTISSIMIS VIRTVTIBVS SVIS REBVSQVE GESTIS
OMNIVM HORVM GLORIAM LONGISSIME SVPERAVIT.
HVNC
IN BELLO MARTEM VICTOREM
APOLLINEM MVSAGETAM IN PACE
AESTIMARET POSTERITAS
NISI IPSE
SANCTIORE GIDEONIS EXEMPLO
DEBELLASSET IMPIETATIS ET SVPERSTITIONIS MONSTRA
AC VELVT ALTER ESDRA
LEGVM DIVINIORVM MELIORVMQVE ARTIVM STVDIA
ORBI CHRISTIANO FELICISSIME VINDICASSET.
ITA NIMIRVM
OPTIME SERVATVR PROVEHITVRQVE SALVS PVBLICA
VBI COELI MVNERE VIRTVTES ARTESQ. PRAECLARAE SERVANTVR
ATQVE PROVEHVNTVR.

NEC ALII LIBENTIVS AMANT FOVENTQVE MVSAS
QVAM QVI RES MVSARVM PRAECONIO DIGNAS GERVNT.
QVANDO AVTEM OPPORTVNIVS
TANTI TAMQVE PII HEROIS MEMORIA VIDEATVR RECOLENDA
QVAM VBI ACADEMIARVM ET SCHOLARVM IN GERMANIA FLORENTIVM RECOLVNTVR ORIGINES
PROPTEREA QVOD
QVIBVS IN LOCIS OLIM HODIEQVE PVBLICA APERIVNTVR
VIRTVTIS ET DOCTRINAE SACRARIA
CAROLVS M.
NON POTEST NON SCIENTIARVM BONARVMQVE ARTIVM INTER
GERMANOS INSTAVRATOR DEBITIS LAVDIBVS
CELEBRARI.
BENE IGITVR RECTEQVE AGET
VIR IVVENIS PEREXIMIVS NOBILISSIMVSQVE
IO. ALBERTVS SPIES, NORIMBERGENSIS,
QVI
SINGVLARIS INDVSTRIAE AC DOCTRINAE SVAE
SPECIMEN QVODDAM PVBLICVM EDITVRVS
INTER IPSAM APPARATIONEM SACRI SAECVLARIS
HVIVS ACADEMIAE
ORATIONEM PIAM CONCINNAM ET SVO IPSIVS MARTE
ELABORATAM
DE
SCHOLA AVLICA CAROLI M.
RECITABIT
VOTA RELIGIOSA SIMVL ADDITVRVS PRO FELICITATE
CAROLI VI,
AVGVSTI OMNIVM AVGVSTORVM
GLORIA MAIORIS,
AC PRO PATRIAE ET ACADEMIAE INCOLVMITATE
QVIBVS VT
MAGNIFICVS ACADEMIAE RECTOR
GENEROSISSIMVS OPIDI ALTORFINI PRAEFECTVS
CELEBERRIMI OMNIVM ORDINVM PROFESSORES
CIVES ATQVE HOSPITES GENERIS ET DOCTRINAE
NOBILITATE FLORENTISSIMI
HODIE PERACTIS SACRIS VESPERTINIS
INTERESSE
ET OPTIMI SPIESII ANIMVM AD PRAECLARA QVAEQVE CONNITENTEM
HONORIFICA PRAESENTIA SVA CONFIRMARE NE GRAVENTVR
PEROFFICIOSE ET PERAMANTER ROGAT
CHRISTIANVS GOTLIBIVS SCHVVARZIVS
COMES PALAT. CAES. MORAL. ORATOR. ET POET. PROF. PVBL.

P. P. DOMINICA V POST TRINIT. A. R. S. CIↃIↃCCXXIII.

II.

IOHANNIS ALBERTI SPIESII,

Norimbergenſis,

Philoſ. et Legum Cultoris,

ORATIO

paucis diebus ante ſolennitatem ſaecularem
publice dicta.

* *

MAGNIFICE VNIVERSITATIS RECTOR,
GENEROSISSIME OPPIDI PRAEFECTE,
CELEBERRIMI OMNIVM ORDINVM PATRES ACADEMIAE,
VIRI SVMME REVERENDI, CONSVLTISSIMI, EXPERIENTISSIMI, AMPLISSIMI ATQVE EXCELLENTISSIMI,
VOS ITEM CIVES ET HOSPITES GENERIS AC DOCTRINAE LAVDIBVS FLORENTISSIMI.

Etſi multa omnino ſunt, quae bene temperatis ciuitatibus, non decus ſolum immortale conciliant; uerum etiam tantum afferunt praeſidii, ut nullis grauioribus calamitatum procellis iactatae, ad maius ſubinde faſtigium, maioremque ac longe eminentiorem felicitatis gradum, prouehantur: tamen ex his omnibus, nihil mihi ad ornandas eas pulchrius, ad conſeruandas efficacius, eſſe uidetur; quam ſi, et literarum iuſta habeatur ratio, et ſcholis Academiisque, qui debetur, honos, publice apud omnes conſtet. Ac in literis quidem et bonarum artium diſciplinis, quanta ſit uis, quantumque ad ſalutem publicam tuendam poſitum momentum; facile poſſem, tum adhibitis rationibus, tum etiam exemplis, atque omnium ſaeculorum memoria, euincere et demonſtrare: ſi uel inſtituti mei ratio, uel mea in dicendo inopia, pateretur. Sed neque illud mihi nunc propoſitum eſt, ut in laudes excurram earum artium, quas nemo unquam, niſi ineptiſſimus, uituperauit; neque uero etiam is ego ſum, qui literarum praeſtantiam, fructusque ex iisdem in rempublicam redundantes, ſatis exprimere, dignaque cum iis ipſis, tum ueſtris, Auditores, tantorum uirorum auribus, oratione exponere atque commendare queam. Scholarum autem in republica utilitatem, tantam eſſe merito iudicamus; quantum inde ad culturam ſcientiarum, adque fouendas tuendasue Muſas, momenti et commoditatis accedit. Neque enim audiendos illos exiſtimo, qui, cum omnem in ſocietate atque rebus humanis ordinem indignantur et euertere ſatagunt; ſcholas quoque et bonarum artium officinas inſectari, minime uerentur. Quorum quidem nonnullos eo conſtat dementiae proceſſiſſe, ut neſcio quam diuinam e coelo inſtitutionem expectantes, ſcholarum non modo uſum nullum, ſed ob uarios, quos in iis culpant, defectus, multa etiam incommoda et nocumenta eſſe, contendant. Atque horum uti, uel ex temeritate, uel malitia ſumma, profectus eſt error: ita, qui mitius ſentientes, ſcholis ſaltem in republica non admodum opus eſſe, perhibent; propterea quod familiarior ſit doctrina atque eruditio, quam ut intra paucorum parietes ludorum, intraque publice

docentium auditoria, includi se patiatur: hi quidem mihi parum nosse hominum conditionem et naturam uidentur. Nam cum sapientissimum Numen, cui, et quod sumus, debemus, et quod possumus, sicut omnia bona, ita maxime uires animi ingeniique dotes, ea inter mortales ratione diuiserit, ut, quemadmodum uere cecinit Poeta, non omnia possimus omnes, sed semper unus alterius egeat auxilio: tantum abest, ut ad docendum promiscue omnes sint idonei; ut potius multos, imo plurimos, adeo hebeti et obtuso uideas natos ingenio, ut scitu quaeque dignissima atque utilissima, uix ipsi percipere, nedum alios docere, queant. In tanta igitur discentium copia, docentium uero inopia, magnam quandam et eximiam publicarum scholarum utilitatem esse, quis non uidet? Quis non intelligit, aeque reipublicae interesse, scholas, quam literas, florere? Proinde stat literarum decus; stat honos scholarum; quicquid etiam impudentes audacesque homines contra moliantur. Habent profecto, semperque habuerunt, patronos, uti maximos, ita optimos ac benignissimos; qui, cum ad gubernacula reipublicae sedeant, Academias scholasque ad peculiarem curam suam pertinere, satis ostendunt. Possem huius rei complura ex historiarum monumentis exempla commemorare: sed, cum iam longior forte in exordio fuerim; ad illud tandem, quod propositum mihi est, progredior. Scilicet CAROLVS ille, Romanus Imperator, uirtutibus et rebus gestis uere MAGNVS, tanto hac quoque in re aliis praestat; quanto nimirum ceterarum uirtutum laude omnes fere Reges ac Principes antecellit. Non iam de illis agam optimarum artium officinis, quas passim magno studio in Occidente instaurauit: eam tantum Vobis, AVDITORES OMNIVM ORDINVM HONORATISSIMI, scholam proponam, quam in ipso regio palatio sapientissime constituit. Quae quidem materia, cum, et ipsa dignitate sua se commendet, et neque a tempore aliena, neque ab hoc loco sit; facile mihi gratiam Vestram atque audientiam pollicetur: nisi mea me uirium imbecillitas et infantia moueat. Itaque huius memor, illud Vos, AVDITORES OPTIMI, antequam ulterius prouehar, maiorem in modum rogo atque oro; ut, quando Vestra mihi inusitata humanitas sola animum addit, tenuitatem meam Vestro fauore benigne subleuetis: mihique DE CAROLI M. SCHOLA AVLICA differenti, faciles et attentas aures commodare, ne dedignemini. Dabo operam, ut, si non eloquio, grata tamen breuitate, fortassis placeam.

Si, quod nunc facere pulchra me moneret occasio, in laudes CAROLI M. excurrere, et summas eius uirtutes, non quidem complecti orando, sed percensere numerando, uellem; facile mihi sese tam amplus aperiret campus, tamque copiosa ad dicendum materia offerret, cuius sane difficilius futurum sit exitum, quam principium, inuenire. Quis enim nescit, usque adeo, in magno illo Romani Imperii moderatore, ea omnia conspirasse pulcherrime, quae summos imperantes decent, ut fere perfectissimum boni Principis exemplar nobis exhibeat? Est hic uirtutum omnium inter se perpetuus nexus, et indissolubile uinculum, ut nulla unquam sola mortalibus adsit; sed, ubicunque una uere in pectore residet, comitari eam semper reliquas uideas: contra, si uel unius quaedam pars neglecta aberit, inde ceteras quoque exulare in uniuersum fere deprehendas. Itaque, cum pietatem CAROLI nomino,

no, omnes eius nomino uirtutes: hoc quidem magis, quod illa, tanquam fundamentum omnium, reliquas in ſe continet ac comprehendit. Et de hac certe uirtute CAROLI M. nemo quisquam dubitauerit. Quid enim aliud ſunt, niſi ſummae erga DEVM uenerationis, ſummaeque pietatis monumenta, tot adornata et exſtructa templa; tot condita monaſteria; tot celeberrimae ſcholae; Turonenſis, Fontanellenſis, Lugdunenſis, Fuldenſis, Oſnabrugenſis, Metenſis, aliaeque, quas uiri eruditi iam alibi recenſuere: quae omnes ſuas CAROLO M. origines acceptas referunt? Quemadmodum igitur, praeter pietatem maximi Imperatoris, tam luculentis indiciis declaratam, illud hic praecipue miramur; quod inter perpetua fere, eaque grauiſſima bella, pacis tamen artes et Muſarum ſtudia adeo curae cordique habuit, ut fixas iis ſedes atque domicilia publica, inſigni munificentia, procuraret: ita hoc, meo quidem iudicio, ſingularem plane omnium admirationem meretur; quod in ipſo Palatio regio peculiarem ſcholam inſtituit, adeoque bonas literas in gremio quaſi ſuo fouere, clementiſſime eſt dignatus. Huius itaque ſcholae rationes ut rite intelligamus; nonnihil, tum de praeceptoribus; tum de diſcipulis et auditoribus; tum denique de diſciplinis et artibus, quae ibi traditae fuere; ſeorſum erit diſſerendum.

Ac mihi quidem primo ſic uidetur, ſicque animum induco meum; nihil eſſe, quod maiorem ſcholis gloriam et celebritatem conciliare poſſit, quam ſi idoneis floreant et inclareſcant magiſtris: et in hac re omnium maxime iis eſt elaborandum, qui ſcholas uel conſtituunt; uel curam earum gerunt. Quem igitur poſſumus praeceptorem aliquo in numero putare? qui, cum ad quaeuis alia ineptus ſit, ad docendum animum appellit? qui nouam profitetur *methodum*, optimamque docendi rationem? Quid hunc hominem magni aut eximii praeſtiturum, qui uix ultra primas literas, primaque ſcientiarum elementa, progreſſus, omnem aliis doctrinae theſaurum recludere, ſapientiaeque intimos receſſus aperire ſe uelle, gloriatur? Equidem ſic exiſtimo; in eo, qui doctoris fungitur munere, duo haec praecipue adeſſe oportere: exquiſitam eruditionem et uitam honeſtam. Haec ſunt, quibus ſi excellant formandis adoleſcentiae ſtudiis publice praefecti; tunc ſuum et ſcholarum nomen celebratiſſimum reddunt. Eſt enim quidam omnibus hominibus erga doctrinam et uirtutem inſitus amor, et ingenita ueneratio: ut uiros eiusmodi, quoniam propius ad diuinum, ex quo ducti ſunt, exemplar accedunt, non tam prognatos terra, quam coelo demiſſos, ſuſpicemur. Hos igitur, et miramur, et libenter audimus: horum praecepta auido haurimus pectore: his ducibus et moderatoribus, libenter in quocunque genere proficimus. Hinc ille non ad doctores ſolum eiusmodi concurſus et frequentia auditorum; ſed illa etiam fecunditas optimorum ingeniorum, quae ex talibus ſcholis prodeunt. Iam uero, quantum haec res utilitatis habeat, e contrario quoque intelligitur. Quomodo enim uiam aliis recte commonſtrabit, qui, uel claudicat ipſe; uel uiarum eſt ignarus? Quomodo ad ſapientiam et uirtutem alios ducet, qui aut diſciplinas modo a limine ſalutauit; aut cum uirtute parum habet commercii? Proinde recte Antoninus Philoſophus, Imperator, gratias agebat DEO, quod ſibi iam a primis annis optimos praeceptores dediſſet: bene item ac ſapienter CAROLVS M. omni ſtudio curauit, ut in Schola ſua Aulica praeſtantiſſimi illius aeui uiri docerent.

rent. Atque hic ſe mihi laudandum, unus ante omnes, offert *Flaccus* ille *Alcuinus*, ſiue *Albinus;* uir ſine controuerſia aetatis ſuae eruditiſſimus: Anglus natione, et auditor *Bedae* illius Presbyteri, qui, morum doctrinaeque grauitate, *Venerabilis* cognomen promeruit. Ipſe cum *Clemente*, uiro itidem literatiſſimo, et Bedae diſcipulo, poſtquam mercatoribus ſeſe adiungentes, e Britannia in Galliam nauibus ueniſſent; omnium in ſe ora atque oculos conuertiſſe feruntur: eo quod ſe nihil, praeter bonas literas, ex patria uenum exportaſſe profiterentur. Quod ubi comperiſſet CAROLVS; ut erat hominum ſcientia excultorum amantiſſimus, et magno in haec ſtudia fauore; ſtatim uiſendorum eorum cupiditate accenſus, utrumque ad ſe iuſſit uocari: et tum uero, cognita uirorum ſapientia, rerumque cum diuinarum, tum etiam humanarum, cognitione haud uulgari, in magno eos honore habuit. Adeo tunc temporis Muſae ex Europa uidebantur relegatae, et in ultimas quaſi terrarum anguſtias compulſae; ut ſola fere Britannia haberet, quos cupidi doctrinae et ſapientiae amantes uenerarentur. Quid igitur in Alcuino primum mirer? quid prae reliquis ſingulari ac uelut propria extollam laude? Pietatem eius; an doctrinam? modeſtiam; an grauitatem? ingenium; an iudicium? rerum; an linguarum, notitiam? quibus omnibus ita excelluit, ut qui maxime. Nam quid de ceteris dicam? de inſigni oris facundia? de ſermone, pro illorum temporum ratione, ſatis terſo atque puro? de facultate uerſuum pangendorum, et ſimilibus? quae, etſi laude ſua neutiquam ſint fraudanda; tamen haud aeque apud omnes ſolent aeſtimari. Illud autem minime ſilentio praetereundum uidetur, quod iſta aetate rarum admodum et inuſitatum fuiſſe nouimus: uidelicet, quod in ea quoque Philoſophiae parte egregie uerſatus fuit, quae coelum, et coeleſtia tractat corpora; quae ſiderum magnitudines, interualla, ſitus, progreſſiones, ſcrutatur: quae res, uti in ſe ipſa multum dignitatis habet atque excellentiae; ita, quum ad culturam mentis reliquam acceſſerit, dici non poteſt, quam et ornet hominem, et mirifice commendet. Quanta demum apud CAROLVM auctoritate fuerit Alcuinus; cum ex literis illius, quae DAVIDI Regi ſunt inſcriptae, luculenter patet: tum ex hoc maxime, quod Imperator eum Praeceptorem ſuum, et ipſe appellauerit, et apud alios audire uoluerit. O rem celebratu digniſſimam! Satis profecto, ſatis, uel hoc nomine, gloriae conſecutus es, Alcuine! Etenim ſi, uiris principibus placuiſſe, laudem non ultimam uocauit merito Lyricorum Princeps, Horatius; quanti hoc erit putandum, magiſtrum dici Imperatoris maximi ac potentiſſimi? Hoc igitur tanto uiro uti multum ſeſe effert Palatina CAROLI M. Schola: ita proximum ab eo locum iure ſibi uindicat *Claudius*, alius eiusdem magiſter. Equidem fateor, in tuenda propagandaue *Claudii* huius, aeque ut literatorum plurium, memoria adeo ſupinos atque negligentes fuiſſe ſcriptores, ut inertiae iſtius ſaeculi ſatis nequeamus indignari. Fuiſſe tamen uirum, et doctrinae elegantia, et morum grauitate, maxime conſpicuum, etiamſi aliunde non conſtaret, uel ex hoc colligere licet, quod a CAROLO dignus fuit habitus, qui ſcholae aulicae praeeſſet. Quantam enim in eiusmodi uiris deligendis curam adhibuerit Imperator ſapientiſſimus; qualesque ad ornandas regendasue ſcholas praeceptores quaeſiuerit; ipſe, in epiſtola quadam ad *Baugulfum*, Abbatem Fuldenſem, ſcripta, egregie decla-

declarauit. Verum extant adhuc alia quoque eruditionis Claudii documenta atque monimenta: nimirum commentarii, quos de imaginum cultu edidit; liber, magna cum religione, et doctiſſime conſcriptus. Ceterum natione Hiſpanum fuiſſe legimus, et poſtea, cum aliquamdiu in Palatio Imperatoris docuiſſet, Taurinenſis Eccleſiae Praeſulem conſtitutum. Sic igitur nihil dubitauit CAROLVS, ex uariis gentibus regionibusque, honeſtis ſtipendiis uiros inuitare, qui ornarent ſcholam aulicam, literarumque ac honeſtae diſciplinae decus in imperio ſuo propagarent. Non enim omnis fert omnia tellus: neque ulla facile regio magnorum ingeniorum ita ferax eſt, ut peregrina, et quae alio maturuerunt ſole, omnino reſpuat. Praetermitto nunc alios, quorum minus celebratur nomen: ne in longius, quam par eſt, ſpatium mea excurrat oratio. Illud autem nemini mirum debet uideri; quod potiſſimum eiusmodi uiros ſcholae aulicae CAROLI M. praefectos inueniamus, qui ſacerdotali dignitate eminuerunt: etenim, quicquid aeſtimabatur eruditionis, pro more illius aetatis, ad ſolos fere Clericos, ut uocant, pertinere putabatur.

Sed quoniam, ſicut opus ipſum maxime commendat artificem; ita de ſcholarum, et, qui in iis docent, uirorum praeſtantia, niſi cognitis diſciplinae eorum alumnis, uix probe licet iudicare: ipſa quidem nunc re monente, ad diſcipulos et auditores ſcholae, quam tractamus, progredior. Hic uero rurſum grauiter utique dolemus, nihil fere in illorum temporum ſcriptis reperiri, unde, qui illi fuerint, quaeue et quot pulchra ingenia ex auguſto hoc Muſarum ſacrario prodierint, certo definiri queat. Tanta fuit in hominibus iſtius aeui ſocordia, tanta negligentia et incuria; ut de rebus memoratu digniſſimis in hiſtoria literaria, uix quidquam, aut omnino pauca, conſignata poſteris relinquerent. Neque tamen hoc mirum cuiquam eſſe debet. Erat enim adhuc tum magna Germaniae Galliaeque barbaries: et nobilitas, non tam eruditione; quam belli robore, aeſtimabatur. Quisquis ad gloriam, et magnum in his terris condendum graſſabatur nomen: non Muſis; ſed Marti, litabat: non Mineruam togatam; ſed Pallada ſagatam, colebat. Hinc bellica facta digna habita, quae poſteris traderentur: literis quod accidiſſet, aut uiris doctis; id uero interire, aequo animo paſſi ſunt. At enim, ne de auditoribus tam illuſtris ſcholae plane nihil uidear dixiſſe; illud hic monere libet, quod ab Alcuino ſaepius in Epiſtolis Pueri palatini dicuntur. Nimirum elegit CAROLVS M. iam teneris annis idoneos pueros, qui ſcholae aulicae committerentur. Quae enim aetas, et diſcendis bonis artibus, et moribus ad honeſtatem formandis, aptior? quae magis accommodata? Minime tamen hoc eo poteſt ualere, tanquam ſi non alii inſuper acceſſerint, qui ſummorum uirorum curam et induſtriam exercerent: fuerunt utique iuuenes et adultiores, quorum illi ſapientiae praeceptis animos componerent. Atque hic nihil inter ſe diſtabant nobiles atque ignobiles; ſed pari ambulabant paſſu: nemo excludebatur: omnibus aditus patebat; modo alacre ingenium, animumque diſcendi cupidum, afferrent. Qua quidem ex re cum magna conſilii uis, multumque prouidentiae, elucet; tum ex hoc maxime, quod, in aula ſua, florem iuuentutis Francicae atque Germanicae, educari informarique uellet CAROLVS: ut, ueluti in conſpectu tantae maieſtatis, ſanctius feliciusque inſtituerentur: ut et-

iam ſingulorum animos ac profectus propius explorare poſſet, quos uel miniſterio ſuo, uel ornandis ampliſſimis ſacerdotiis, aliisque muneribus publicis, deſtinaret. O egregium prorſus ac praeclarum inſtitutum! O ſcholam omnium feliciſſimam! O fortunatos auditores! Felices, inquam, uos magiſtris, quorum ab ore pendebatis! felices tanto inſpectore atque ſtudiorum arbitro; ipſo Imperatore Auguſto! felices denique etiam doctrina, cuius ad cognitionem ſtrenue perducebamini!

Ea enim (ut iam ad illud, quod extremum pollicitus ſum, accedam) in hac ſchola diſcentibus proponebantur, eaque tractabantur ſtudia, quorum ingens ſe per omnem uitam exſerit utilitas: quae, Tullio teſte, adoleſcentiam alunt; oblectant ſenectutem: ſecundas res ornant; aduerſis perfugium et ſolatium praebent. In hoc ampliſſimo pulcherrimarum rerum campo, diligenter exercebantur feliciſſimi palatinae ſcholae alumni: eo quidem maiore animorum contentione; quo magis eos Imperator, et adhortationibus, et ipſe ſuo exemplo, excitabat. Etenim CAROLVS M. plura excoluit ſcientiarum genera: utpote qui non erubuit, Petrum Piſanum in Grammatica, Alcuinum, itemque alios, in ceteris diſciplinis, audire. Quid? quod maximus Caeſarum rebus eiusmodi ita delectabatur, ut inter coenandum etiam ſaepius aliquod acroama iuberet recitari. Haec igitur liberalium artium ſtudia, ſi uel ſola in palatio ſuo excoli uoluiſſet ſapientiſſimus Imperator; nihilo tamen minus laudandum foret egregium inſtitutum: quod ſepultas tunc quaſi literas et humanitatem ab inferis reuocare, magno animo, eſt anniſus. Nunc cum adhaec ipſam quoque Theologiam ibidem tradi iuſſerit: illam diuinarum rerum ſcientiam, quae tanto ceteris omnibus anteponenda; quanto aeterna natiuis, immortalia caducis, humanis diuina, praeſtant: quibus laudibus, aut quibus uerbis, merita eius non modo exaequare, ſed utcunque exprimere, quisquam ualet? Mirum profecto, in aula uiguiſſe artium et pietatis ſtudia; unde alias exire iubentur, qui uolent eſſe pii. Mirum, non armorum ſtrepitus, non bellorum tumultus, Imperatorem ab amore literarum retrahere potuiſſe. Enimuero ita demum intelligimus, cur tam proſpero rerum, cum immortali gloria geſtarum, ſucceſſu uſus ſit CAROLVS M. Pietate maxime bonisque artibus, et ſe, et aulam ſuam, et regna populosque ſibi ſubiectos, muniebat ornabatque. Haec ſacra erant imperii eius praeſidia: haec publicae ſalutis fulcra et ſtabilimenta.

O diuine CAROLE! omnia ſunt TVA facta praeclara! TV Magnus: TV Auguſtus: TV Pius: TV Felix: TE ueneratur orbis: TE miratur omnis poſteritas. Per TE enim fundamenta iacta Chriſtianae inter Germanos religionis: fundamenta noui in Occidente Imperii: fundamenta illius felicitatis, qua non Germania ſolum, ſed Europa uniuerſa, hodie exſplendeſcit. Nam ante miſerabilis erat rerum ubique facies. Iacebant bonae literae, per diuturna Romani orbis bella oppreſſae atque ſepultae: non erant ſcholae publicae; non Academiae: nihil denique eorum, quae ad utiliſſimas ſcientias propagandas pertinent. Hinc illa ſubnata ignorantia: ignorantiam ſecuta barbaries; barbariem ſtupor; ſtuporem ſuperſtitio; ſuperſtitionem mala omnia, quae publicam felicitatem turbare ullo modo poſſunt. At, poſtquam per TE, optime CAROLE, literarum ſtudia caput rurſum extollere, et in animis

mis hominum uires suas tandem explicare coeperunt; tum uero omnia quasi laetiore uultu nitere atque efflorescere uisa sunt. Atque hinc perspicere licet, quantum literis et bonarum artium culturae in republica tribuendum; et quam impense illis gratulandum sit regionibus, quibus ea diuinitus contingit felicitas, ut scholis Academiisque floreant. Haec enim uere sunt salutis publicae optima praesidia: haec otii et quietis decora et honestamenta. Certe, si non ad splendorem solum, uerum etiam ad robur firmamentumque ciuitatum, pertinere putamus, ut instructae sint armorum atque aliis cuiuscunque generis officinis; si reipublicae interest, ut mercatura et commercia uigeant; quantam demum Academiarum scholarumque utilitatem esse credamus? Nonne hae sunt pietatis et uirtutum omnium officinae? nonne sapientiae armamentaria? nonne huc, tanquam ad bonarum artium mercaturam, ueniant necesse est, qui patriae utilem aliquando nauare operam uolunt?

Quae cum ita sint; quid, quaeso, salutarius ac laudabilius? quid magno Principe dignius esse possit; quam si Musarum et humanitatis studia liberaliter foueat, scholasque et Academias paterno amore prosequatur? Neque tamen Reges solum ac Principes hoc apprime decet; sed omnes eos, quibus cura salutis publicae, a summo orbis uniuersi moderatore, est commissa. Id dico, nullam esse rempublicam, maximam, minimam, quae literarum cultura aequo animo carere debeat: quin potius, quo et DEVM colunt religiosius ciuitatum rectores, et de suorum perpetua felicitate impensius sunt soliciti; hoc magis ipsos allaborare fas est, ut ne quid desit eorum, quae animis honestate et doctrina excolendis inseruiunt. Nam, uti ea demum uera est pietas, curare, ut et alii pii sint: ita haec fructuosissima salutis publicae cura; prospicere, ut etiam alii ad ornandam iuuandamque patriam idonei euadant.

Illustre huius rei exemplum miramur ipsam, in qua uiuimus, REMPVBLICAM NORIMBERGENSEM: quae, cum optimis legibus, sapientissimaque gubernandi forma, nulli quidquam concedit alii; tum praecipue literarum prouehendarum ardore cum omnibus facile contendit. An uero, Auditores Honoratissimi, quod uiget hodie Incluta haec Respublica; quod floret; quod beata est; quod omnes temporum iniurias eluctata persistit; post DEVM, aliunde fieri creditis, quam quod nihil omni tempore prius sanctiusque habuit, pietatis artiumque utilium cultura? quod ei, et praesunt uiri, sapientiae et doctrinae amantes; et semper eorum simillimi praefuerunt? Testes sunt scholae publicae, propagandis literis destinatae: testis, splendidum Gymnasium, illud sanctiorum Musarum egregium domicilium: testis denique omnibus maior, haec ipsa Celeberrima Academia; quae ante hos centum annos, prouidentia Diuini Numinis, Augustissimique Imperatoris, DIVI FERDINANDI II, indulgentia, ab ILLVSTRI SENATV NORIMBERGENSI excitata, saecularia nunc parat sacra atque solennia, et propediem celebrabit. O quis non tanta Academiae huius felicitate commoueatur! quis non exporrigat frontem! non in gaudia atque plausus exsurgat! Mente iam praecipio publicam festiuitatem et laetitiam: uidere mihi uideor hilares omnium uultus: uideor audire iubila, et laetas inuicem congratulantium uoces. O quanta tunc dicentur diuinae

laudis praeconia! quae grates pro ſeruata Academia perſoluentur! quae uota pro ſeruanda nuncupabuntur! O igitur ades, exoptatiſſima lux! ades, o dies, quem merito omnes impatientius expectamus.

At VOS, PATRES ACADEMIAE VENERANDI, patiamini, quaeſo, me, pietate ſtimulatum, primitias libare precum, et finem orationis meae ab initio uotorum capere. Ipſa hodiernae diei ſolennitas, qua magno illi ſaeculari Sacro praeluditur, hoc a me poſtulare uidetur. Viuat igitur CAROLVS VI, Imperator noſter Sacratiſſimus Inuictiſſimusque; cui parem orbis non uidit; maiorem uero, tum in rebus gerendis, tum in Muſarum pacisque ſtudiis ornandis, nunquam uidebit! Viuat cum AVGVSTA Coniuge, per longam annorum ſeriem, continuo felix: neque prius, poſt expletam mortalitatem, reuertatur in coelum, quam relicto filio ARCHIDVCE, paternarum uirtutum aemulo atque herede, totque et tantorum Regnorum digniſſimo ſucceſſore! Poſt Imperatorem, cuius ſub auſpiciis haec noſtra uiget atque perſtat Academia, TIBI florem ac perpetuam ſalutem precamur, Illuſtris NORIMBERGENSIS RESPVBLICA: quae, cum omnium ſtudiorum diſciplinarumque dudum nutrix fueris benigniſſima, tam ſanctam, tamque ſplendidam, religionis omnisque ſapientiae aedem tueris. Seruet TE ille Rerumpublicarum Regnorumque STATOR Optimus Maximus ſartam ſemper atque tectam; praeſtet ab hoſtium, omniumque malorum, inſultu tutam; reddat unam omnium fortunatiſſimam! Aurea TIBI redeant tempora, o dulciſſima patria, et priſca Saturni aetas: ut nouis ſubinde auctibus cumulata felicitas TVA, maior identidem atque pulchrior exſplendeſcat! Tandem, o aeterne DEVS, faueas porro et Muſis noſtris Altorfinis! Fac, ut, quae in nos larga manu contuliſti munera, ea propria nobis ac perpetua ſint: ut coeleſtis doctrinae ueritas intemerata maneat, et una cum aliis utiliſſimis ſcientiis ad poſteros noſtros fideliter propagetur. Da uiros ſemper horum, quos uidemus, ſimillimos; hoc eſt, ſummos atque incomparabiles: nec magis unquam deſint egregiae indolis iuuenes, qui uirtutis ſapientiaeque amore inflammati, ad optima et praeclara quaeque enitantur. Denique, quae noſtrorum ſumma eſt uotorum; diem illum Academiae natalem, eumque centeſimum, feſto ritu concelebrandum, non illuceſcere ſolum feliciter, ſed, ex uoto omnium bonorum, etiam placide et hilariter tranſigi iube: utque, exacto demum altero, quod fauſto ſic auſpicabimur omine, pluribusque deinceps aliis ſaeculis, ſemper melior candidiorque redeat, clementiſſime largire. Sic aeternitatem feret Incluta haec Academia, et cum ea, alma mater, RESPVBLICA NORIMBERGENSIS: ſic florebit utraque: ſic, quod omnes boni nobiscum precantur, uigebunt quam diutiſſime.

III. *PRO-*

III.

PROGRAMMA

CHRISTIANI GOTLIBII SCHVVARZII, P. P.

post sacra saecularia feliciter peracta, ad *Orationem eucharisticam* nomine Beneficiariorum Noricorum dicendam inuitantis.

* *

DIV MVLTVMQVE SE EXTVLIT ANTIQVITAS
TROPAEIS
QVAE VIRIS MAGNIS ET FORTIBVS IN IIS ERIGEBANTVR LOCIS
IN QVIBVS FORTITVDINIS SVAE FELIX FECERANT
EXPERIMENTVM.
NEQVE BONIS MENTIBVS INVIDENDA ERANT MONIMENTA
QVAE MAXIMIS LABORIBVS PERICVLISQVE
ET IPSA ALIQVANDO VITA NIMIS CARE CONSTABANT
NE TORPESCERET TANDEM ANIMORVM SOLERTIA
SI NON QVIBVSDAM HONORIS CALCARIBVS
EXCITARETVR.
ETENIM
QVAM IVCVNDAS PRAEMIA HABENT ILLECEBRAS AD MAIORA AVDENDA
TAM FACILE ELANGVESCIT MARTIA ATQVE TOGATA VIRTVS
QVAE NVLLA AESTIMATIONE NVLLISQVE LAVDIBVS
ACVITVR.
AT ENIMVERO
QVANTACVNQVE ERAT ILLA TROPAEORVM VETERVM GLORIA
INGENTES TAMEN ISTAE ARMISQVE ONVSTAE MOLES
NON NISI COELO QVASI INGEREBANT QVICQVID EXPAVERAT TELLVS
NEC MINVS TRISTEM CLADIVM PROFVSIQVE SANGVINIS HVMANI
QVAM REI BENE GESTAE SERVABANT MEMORIAM.
QVAPROPTER
LONGE SANCTIORA ET IPSIS TROPAEIS PVLCHRIORA
HABENTVR MONIMENTA
QVAE NON HOSTES CAESI PROFLIGATIQVE
SED CIVES CLIENTESQVE BENEFICIIS DEVINCTI
EORVM NOMINIBVS PIE CONSECRANT
QVORVM SVMMAM AVCTORITATEM MERITO SACRAM
SANCTAMQVE HABENT
QVORVMQVE BENEFICIA BONIS ANIMIS ACCEPERVNT
BONISQVE DEBENT.
BENE IGITVR ET IN TVTO COLLOCARVNT IMMORTALIA
BENEFICIA SVA
PERILLVSTRIS SENATVS NORIMBERGENSIS,
NVTRITORES ET CVRATORES HVIVS ACADEMIAE
BENIGNISSIMI,
QVI
QVANTA MVNIFICENTIA IN VNIVERSVM FOVENT ALVNTQVE
OPTIMARVM ARTIVM ATQVE SCIENTIARVM STVDIA
TANTA ETIAM BENIGNITATE PROVIDENT ATQVE OPITVLANTVR
INDIGENTIORIBVS MVSARVM CVLTORIBVS.

ITA NEMPE
NVLLVM IMPENDII GENVS MODERATORIBVS RERVM PVBLICARVM
EST DIGNIVS
QVAM QVOD EROGATVR IN VIRTVTIS ET DOCTRINAE INCREMENTA
ET QVO SVBLEVATVR INIQVIOR BONARVM MENTIVM FORTVNA
VNDE DEMVM PVLCHERRIMA PVBLICAE VTILITATIS PERENNISQVE
GLORIAE SEGES EFFLORESCIT.
QVA DE CAVSSA
INTER IPSA SAECVLARIA ACADEMIAE NOSTRAE SACRA
PROXIMIS DIEBVS PER DEI GRATIAM FELICITER TRANSACTA
NIHIL PRIVS SANCTIVSQVE HABVIMVS
QVAM VT TAM INGENTI MVNIFICENTIAE
SI NON QVEM DEBEBAMVS QVEM TAMEN POTERAMVS HONOREM
CONSENTIENTIBVS OMNIVM ANIMIS
PVBLICE TESTAREMVR
VT CVI SOLVENDO NVNQVAM ERIMVS PROFITENDO SALTEM
NOMEN RENOVARE STVDEREMVS.
QVOD EXEMPLVM LAVDABILI STVDIO ETIAMNVM IMITATVR
FLORENTISSIMVS BENEFICIARIORVM NORICORVM COETVS
QVI
NVTRITORIBVS AC MAECENATIBVS SVIS
MVNIFICENTISSIMIS
TROPAEORVM LOCO
ANIMOS OBSEQVII ET DEBITI CVLTVS RELIGIONE EXCITATOS
VOTORVMQVE PIETATE PLENOS OFFERRE CONSTITVERVNT.
ERIT IGITVR ERVDITI ET BENEFICIARII CONVICTVS INTERPRES
VIR IVVENIS PEREXIMIVS ET DILIGENTIAE DOCTRINAEQVE
LAVDE NOBILISSIMVS
IO. BALTHASAR STARCKIVS, NORIMBERGENSIS,
QVI
CRASTINO DIE HORA VIIII MATVTINA
ORATIONEM EVCHARISTICAM
PVBLICE RECITABIT
NON MAGIS AMORE BENEFICII QVO FRVITVR
QVAM SENSV PIETATIS QVAM DECLARARE CONATVR
INDVCTVS
CVI VT
MAGNIFICVS ACADEMIAE RECTOR
GENEROSISSIMVS OPIDI ALTORFINI PRAEFECTVS
PATRES ACADEMIAE VENERANDI
HOSPITES CIVESQVE NATALIVM DIGNITATE
DOCTRINAEQVE STVDIIS FLORENTISSIMI
ADESSE NE DEDIGNENTVR
EA QVA PAR EST OBSERVANTIAE ATQVE HVMANITATIS SIGNIFICATIONE
ORAT
CHRISTIANVS GOTLIBIVS SCHVVARZIVS
COM. PALAT. CAES. MORALIVM ORATOR. ET POETICES PROF. PVBL.
ET BENEFICIARIORVM NORICORVM INSPECTOR.

P. P. VIII IVLII A. R. S. CIↃIↃCCXXIII.

IIII.

IO. BALTHASARIS STARCKII

Philoſ. et Theol. Cultoris,

ORATIO

nomine Beneficiariorum Noricorum in fidem demiſſi cultus gratique animi erga NVTRITORES MVNIFICENTISSIMOS dicta.

* *

INCLVTAE HVIVS ACADEMIAE PATRES CONSCRIPTI LONGE CELEBERRIMI,
VIRI SVMME REVERENDI, CONSVLTISSIMI, EXPERIENTISSIMI, AMPLISSIMI ATQVE EXCELLENTISSIMI,
VOSQVE CETERI AVDITORES NOBILITATE, VIRTVTE, ET ERVDITIONE, FLORENTISSIMI ORNATISSIMIQVE.

Quanta fuerit feſtiuitas Sacri huius ſaecularis, quo alma haec Altorfina natalem celebrauit diem; nemo noſtrum eſt, cui non ob oculos iucundiſſima recordatione uerſetur. Diuina ſummi Numinis benignitate, prouidentiaque ſingulari, contigit, ut pie feliciterque hoc anni centeſimi tempus feſtum peragere poſſemus. Affulſerat illa dies iamdudum deſideriis noſtrorum beatae memoriae Maiorum expetita. Aderat ipſa lux, uotis omnium, quotquot proſpera et benigna fata huic Muſarum ſacrario adprecantur, diu multumque euocata. Exultaſſe animos bonorum, et maxumo cumulatos fuiſſe gaudio, non uagi hominum ſermones, ſed uera, ſed fide digna et illuſtria, praeſentium teſtimonia comprobarunt. Neque adeo nos noſtra, et eorum omnium, qui Reipublicae huius literariae incolumitatem perennaturam cupiunt, ſpes fefellit, quam de feſtiua huius Academicae ſollemnitatis celebratione conceperamus; ſed ea omnia, quae ſperabamus, ipſa expectatione meliora atque maiora nobis eueniſſe, omnino eſt, cur gaudeamus. Vidimus PATRES PATRIAE ſaluos atque incolumes, et ob inſignem, quam DEVS huic Coetui erudito indulſit, felicitatem, laetos; qui, praeter plurimas benigni animi ſignificationes, quas ediderunt, etiam illuſtri ſua praeſentia ſacris hiſce ſollemnioribus maxumum decus et ornamentum addere non recuſarunt. Vidimus PATRES ACADEMIAE multis modis gaudia ſua mirifice declarantes. Videre licuit SPLENDIDISSIMORVM HOSPITVM, in communionem conſortiumque huiusce ſollemnitatis admiſſorum laetiſſimas congratulationes. Videre fuit Ciuium Muſis dicatorum exultationes. Vidimus denique neminem hominum, cui ulla laetandi materia defuiſſet. Neque uero concepti ex ea re gaudii uis hiſce tantum noſtris, aut uicinarum ſe regionum, finibus continuit; ſed et ad remotiſſima locorum interualla mira quadam ratione penetrauit. Vnde aduenae etiam laeti animi teſtandi, uiſendaeque celebritatis, gratia huc confluxere, qui et ipſi ingenue profitebantur, huius Sacri ſollemnitatem ita fuiſſe praedicatam, ut famam illius expectatio, expectationem ipſius feſtiuitatis aſpectus admiratioque, ſuperaret. Neque adeo id Academiae ſacra ſaecularia cele-

brantis famae continget, quod uentis ſolet euenire, qui cum, unde oriuntur, ibi uehementiſſimi ſint, ad longinqua loca fere fracti debilitatique perueniunt; ſed quod in fluminibus magnis animaduertimus; quae, cum ab ortu ipſo magna ſint, perpetuo tamen aucta, et tumefacta progreſſu, eo maiores undas uoluunt, eo amplioribus et capacioribus feruntur alueis, quo a fontibus et capitibus ſuis longius receſſerunt. Sic et almae huius Altorfinae nomen eo celebrius euadet; eo eniteſcet pulchrius; quo longius latiusque eius felicitatis fama peruenerit. In dies magis praedicabunt exteri gloriam immortalem et munificentiam INCLVTI SENATVS POPVLIQVE NORIMBERGENSIS, et cumprimis maximam erga Muſas benignitatem ſingularemque curam cumulatiſſimo laudum praeconio proſequentur, horumque ſollemnium ſacrorum memoriam grata piaque ſemper recordatione ad uentura ſaecula propagabunt. Quidni igitur noſtros etiam Academiae Ciues publici huius gaudii conſortes excitauerit pietas, ut PATRIBVS PATRIAE CONSCRIPTIS, ea, qua par eſt, obſeruantia, animum teſtentur memorem beneficiorum, quorum neque numerum inire, neque magnitudinem dimetiri, poſſumus? Ecquid nos moretur, quo minus potiſſimum in hoc publico Patrum huius Athenaei uenerandorum conſeſſu, et Auditorum, nobilitatis genere, uirtutumque decore, ornatiſſimorum frequentia, ſubmiſſiſſimum pietatis noſtrae cultum declaremus, qui nos ingenue obſeruantiſſimos demiſſiſſimosque ILLVSTRIVM NVTRITORVM clientes profitemur? Hominem exuiſſe uideremur, aut minimum eius culpae expertes non eſſemus, quam incurrunt, quicunque plane nullam referendae gratiae curam ſuſcipiunt, ſi eo potiſſimum tempore, quo ſeſe optima offert occaſio, grata animi ſignificatione in memoriam nobis reuocare dubitaremus, quanta pietate colendi, quanta religione ſuſcipiendi ſint Benigniſſimi Academiae CONSERVATORES, quantaue reuerentia tam illuſtrium Nominum celebritas, quibus modis fieri poteſt, ſit enuncianda. Cui enim noſtrum non obuerſentur tot et tanta beneficiorum genera, quae hoc ipſo ſaeculari ſacro in lucem publicam prodierunt, quaeque iam a prima huius ſtudiorum uniuerſitatis origine a benigniſſimis Maecenatibus in eos fuerunt collata, quos ex ſingulari munificentia alumnos ſemper publicosque conuictores habuerunt? Abſit igitur omnis ſiniſtra ſuſpicio; imo, ut ſollemniter conſtet, quantus ſit grati animi noſtri publice declarandi ardor, Vos omnes, AA. O. O. H. teſtes uocamus, nos non furtiue, aut in angulo, nec in aurem, gratias agere uoluiſſe; cum iſta non ſit uerecundia, ut Senecae uerba mea faciam, ſed inficiandi genus, atque is maxume ingratus cenſeatur, qui, remotis arbitris, gratias agat: ſed nos potius in publica huius Academiae luce, in ore et conſpectu Patrum Ciuiumque Academicorum, teſtatum facere optaſſe, quanta ſint, et quam multa, quae SPLENDIDISSIMO NORIMBERGENSIVM SENATVI, et cum primis ILLVSTRIBVS huius Athenaei CVRATORIBVS, ſumma cum ſubmiſſione debeamus. Harum igitur obſeruantiſſimarum mentium qualiscunque interpres nunc ego in hunc locum conſcendi, non, quantas debeo, ſed, quantas poſſum, gratias ſummo pietatis cultu, et demiſſiſſimo erga NVTRITORES noſtros obſequio, meo meorumque commilitonum nomine, qui iisdem mecum fruuntur beneficiis, tenui et ſimplici loquendi genere declaraturus. Quod ſi uero eorum, quae

oratione tractantur, magnitudo et praestantia non aliunde, quam ex eius, qui de iis disserit, ingenio et dicendi copia penderetur; magnopere mihi uerendum esset, ne hodierno die in hoc amplissimo dicendi genere splendor ac dignitas maxumarum pulcherrimarumque rerum, quarum explicandarum munus in me suscepi, ingenii mei tenuitate et orationis inopia imminueretur. Verum enimuero, quum BENIGNISSIMI MAECENATES nostri in tam illustrem dignitatis atque amplitudinis gradum communi omnium uoluntate et iudicio sublati, et ultra laudum nostrarum praeconia positi sint; ignoscendum mihi potius, quam succensendum, arbitror, si beneficiorum magnitudinem uerbis exaequare non potuero. Nam cum ea dicendo tractanda sint, quae nullo uerborum genere satis exprimi possunt; acris et intelligentis aestumatoris est, non dicentis imbecillitatem accusare, sed ex ipso potius argumento cognoscere, singulare quiddam et eximium esse, quod ad exprimendum nulla potuerit satis apta atque uehemens oratio reperiri.

Fortunatam nomino beatamque illius Ciuitatis Rempublicam, cuius moderatores non tantum liberalium artium atque sublimiorum disciplinarum studia fouent; sed qui etiam ex his ipsis doctrinarum ornamentis, quibus imbuti erant, immortalem sibi gloriam famamque illustrem pepererunt. Inde uero nostrum Reipublicae statum eo feliciorem praedicare fas est; quo illa sapientiores semper et elegantiorum literarum amantiores Patriae Patres summa cum admiratione uenerata est, qui non solum omne genus optimarum artium alendum ornandumque facili patrocinio, sunt complexi; sed et ipsi cum uetustae nobilitatis publicorumque honorum splendore identidem praestantissimarum scientiarum ornamenta coniunxerunt. Equidem in praesenti non a primordiis repetam insignia nostrae ciuitatis decora, tot magna et illustria SENATORVM NORIMBERGENSIVM nomina. Non recolam beneficentissimorum huius Athenaei CONDITORVM CVRATORVMQVE memoriam, qui, uel inter turbulentissimas bellorum tempestates, huius Academiae fundamenta felicissimo omnium omine iecerunt; quique ipsam temporis successu ad altiorem felicitatis gradum, inque maiorem amplitudinem, et insigniorem gloriam, euehere summo studio sunt connisi. Vos, PATRIAE PATRES, quorum nomina et uirtutum decora praesens aetas demississimo pietatis cultu ueneratur, Vos absentes, tanquam praesentes, mea reuerentissime compellat oratio, O BENIGNISSIMI MAECENATES ATQVE HVIVS ACADEMIAE AMPLIFICATORES MVNIFICENTISSIMI. Vos compello, qui bonis artibus statuistis praemia, eaque et maiora et ampliora, quique ipsi praestantiores doctrinarum scientias non primis, ut aiunt, labris attigistis, nec a limine salutastis; sed in reconditos studiorum recessus, atque interiora penetralia ingressi, et ex assiduo usu maximarum pulcherrimarumque rerum periti, summam Vobis gloriam et immortalem comparastis. Bene enim cognitum perspectumque habetis, eam inesse in literarum studiis, non modo iucunditatem, ut uix maior in uotis haberi possit; uerum et tantam uim, tantumque ornamentum, ut sine his ignoremus, quibus legum institutis, quibusue moribus, temperandae sint ciuitates; quibus illae modis fundari atque institui, quibus augeri atque amplificari, quibus denique copiosissimae, locupletissimaeque, uno uerbo, beatissimae effici possint. Artes enim ingenuae non tantum ornamenta

ſunt Reipublicae, ſed et fulcra et auxilia. Tollantur; quid, niſi ſqualor et tenebrae occupabunt ciuitatem? Quid, niſi ferox quaedam, aut, ut uerius dicam, ferina ciuium uita, et bruti hominum mores, ex hac ſtudiorum ignorantia, tanquam ex Lernaea hydra, propullulabunt? Atque adeo tamdiu felicem fortunatamque auguror fore Rempublicam Norimbergenſium; quamdiu ea optimarum artium atque ſcientiarum ſtudia ſinu ſuo complectetur. Vnde ueſtri beatae memoriae MAIORES, ut barbariem, quae rem omnem literariam miſere antea foedauerat, eo tutius e finibus ſuis propulſarent, reuocatas contra ab exilio in patriam Muſas eo certius benigniſſimo retinerent hoſpitio; publicas excitarunt ſcholas, et hic Altorfii ſumtibus multo maximis, nullique ſilenda ſaeculo munificentia, annuente cumprimis ſupremo Numine, Diuisque Imperatoribus ſucceſſum exoptatiſſimum indulgentibus, nobilem extruendam curarunt Academiam, uiris omni doctrinarum genere celeberrimis ad eam ornandam per ampliſſima praemia euocatis. Vos autem Illuſtrium usque Maiorum exempla imitati, haec publica Muſarum ſacraria, et inſignia uirtutum templa, pro mirifica benignitate ueſtra, glorioſaque cura, ad Patriae perennaturam gloriam, et ciuium incolumitatem, perpetuo uigentem, integra adhuc et florentia conſeruatis. Eſt enim Lyceum hoc diſciplinarum omnium officina, in qua praeclarae iuuenum ingenuorum mentes excuduntur ad euehenda ſcientiarum incrementa, et conſequendam nominis aeternitatem: eſt inſtructiſſimum armamentarium, ex quo omne telorum genus ad debellanda ignorantiae monſtra, ac munienda firmius bonarum artium pomoeria depromitur: eſt nobiliſſimum liberalium doctrinarum emporium, in quo ultro citroque commeantes aduenae et ciues ſtudiis atque laboribus negotiantur immortalitatem: eſt quoddam Apollinis templum atque oraculum, unde reſponſa ſortesque Senatus Populusque petit eruditorum: eſt palaeſtra nobilis, e cuius umbratili exercitatione in lucem publicam producuntur tot fortes ac ſtrenui, tam in toga, quam in ſago, athletae: eſt fertiliſſimum denique Reipublicae ſeminarium, ex quo tot nobiles ſurculi ad gloriam Ciuitatis et Patriae decus efflorescunt; et alii quidem maturo tempore in aulas, alii in curias, quidam in templa, nonnulli in ſcholas, transferuntur, non locis tantum atque regionibus patriis, uerum perpetuis humani generis aetatibus temporibusque uenturis profuturi. O ergo felicem Rempublicam, quae tanto gaudet theſauro, tantoque praeſidio prouehendae gloriae et ſalutis ciuitatis uniuerſae! O incomparabilem ſapientiſſimi SENATVS NORIMBERGENSIS et illuſtrium CVRATORVM non in ciues tantum ſuos, ſed et horum natos, et qui naſcentur ab illis, liberalitatem benignitatemque; qua magnae fortunae uirtutisque exemplis inſiſtentes, Academiam hanc Altorfinam tam magnifice condiderunt, conditam tam munifice amplificarunt, amplificatam tam clemente praeſidio, tamque ſingulari ſubſidio, tueri, conſeruare, atque propagare, ſummo ſtudio contenderunt! Hoc ipſum eſt, quod antiquiſſimis temporibus ſapientiſſimae florentiſſimaeque ciuitates fecerunt, quae Apollini et Muſis certa extruxerunt dedicaruntque loca, in quibus ingenua iuuentus liberalium artium ſcientiis inſtrueretur. Quid Alexandriam, Athenas, Capuam, Syracuſas, memorabo, quae non tam ciuium multitudine, mercimoniis, opibus, potentia, inclaruerunt; quam iis diſciplinarum

ſtudiis,

ſtudiis, quibus aetas iuuenilis ad humanitatem ſolet informari? Quid dicam illam gentium terrarumque dominam, Romam? annon ſibi gloriam immortalem ex ſtudiis bene feliciterque cultis comparauit? Quanta hinc lux dignitatis ac ſplendoris laudatiſſimo SENATVI noſtro, longe lateque exorta? quantus laudum ac gratiarum cumulus? quanta gloria? quam poſteritas alet, quamque ipſa intuebitur aeternitas. Neque uero ſatis uiſum fuit illuſtribus PATRIAE PATRIBVS apta Muſis domicilia conſecraſſe, easque tot tantisque ornaſſe beneficiis; ſed eo usque progreſſa eſt eorum munificentia, ut non tantum publici conuictus locum pararent, quo, qui rerum inopia laborarent, facili annona ex IPSORVM permiſſu cibum caperent; ſed et ſigillatim Lyceum contuberniumque conderent, quo duodecim iuuenes cuicunque liberalium doctrinarum rationi dediti, ſine ullo impenſarum genere, ſuſtentari; et ad ſectanda uirtutis doctrinaeque ſtudia, certo ordine, certa cura, certoque moderatore uitae ſtudiorumque, uiro ſemper ſpectatae eruditionis atque uirtutis, induci poſſint atque debeant. (*)

Profecto, ſi quod ueſtram ueſtrorumque MAIORVM prudentiam fere diuinam totius orbis coetui erudito tam plena luce conſpiciendam exhibet, id certe eſt hoc inſtitutum, quo tenuioris fortunae iuuenes, bona tamen ſpe et indole commendatos, publico ſumtu alitis, ſingularique cura fouetis. Quoties enim contingeret, ut paupertatis onere proſtrati adoleſcentes, ſui ingenii dotes, a benigniſſima omnium bonorum Matre, Natura, ſibi conceſſas, ſqualore atque inertia obruere cogerentur; niſi, hoc tam eximio ueſtro beneficio adiuti, ſtudiorum bene proſpereque inceptorum curſum proſequi, feliciſſimoque ſucceſſu ad metam ſolidae eruditionis penetrare, atque adeo dulciſſimae omnium Patriae tandem uberes ſuaueſque doctrinarum fructus, largiſſimo cum foenore, referre poſſent. Neque uero VOS VESTROSQVE MAIORES fefellit ſpes, neque inutilis et ſuperuacua fuit cura, quam VOS, NVTRITORES BENIGNISSIMI, in iuuenum felicis ingenii laude florentium ſtudia prouehenda impendiſtis; cum non adeo ſterile ſit et infecundum huius Lycei ſeminarium, quin identidem quosdam ſurculos emittat, qui maturiori tempore doctrinarum ferant exoptatos dulceſque prouentus.

Atque, ut in praeſenti ex omni copia quaedam duntaxat exempla proferam, nulla uel temporis, uel dignitatis ſingulorum, ratione habita; talem uidit charumque habuit Patria priore ſaeculo, IOANNEM CONRADVM DVRRIVM, uirum doctrina et incredibili quadam uarietate rerum ac copia abundantem. Is Norimbergae natus, iam et in iuuentute adeo mature fingi coeperat, ut nihil, niſi praeclarum, de ſe polliceretur. Iamque exquiſita artium ingenuarum ſupellectile inſtructus, in hoc Muſarum domicilium, et, ex ueſtra benignitate, in eximium hoc bonarum mentium ſeminarium, ſe contulit, totus excellentiſſimorum philoſophiae et humanitatis doctorum ſcitis deditus atque intentus. Poſthaec uero idem utraque propagauit ſtudia in alma Salana. Et cum ipſe iam plena ingenii uela explicare, atque largos eruditionis ſuae theſauros recludere occiperet; regendis Alumnorum Noricorum ſtudiis moribusque, quorum ipſe olim numero adſcriptus fuerat, publica aucto-

 ritate

(*) **Nomina Inſpectorum, qui Contubernio XII Alumnorum Noricorum usque adhuc praefuerunt, mox** *pag.* **339 recenſebuntur.**

ritate datus, et paullo poſt digniſſimus habitus eſt, qui in hac Academia primum morum doctrinam, poeſeosque artem, atque tandem ipſius diuinioris ſapientiae decreta, publice profiteretur. Quae munia, qua fide, cura, ſolicitudine, quanto rei literariae incremento, quanta literatae huius Ciuitatis gloria et celebritate ſuſtinuerit; uberrima dicendi copia foret atque occaſio, niſi celebratiſſima per eruditum orbem fama, ſcriptis iam plurimis confirmata, officium hoc noſtrum dudum anteuertiſſet.

Neque uero hic ſolus eſt, quo ſe efferre poteſt haec Alumnorum Noricorum ſodalitas. Sunt multo plures, qui ad literas ornandas, et ad ſacra ciuiliaque munia, magna perpetuaque cum laude obeunda, hinc prodierunt. Appello nunc nominatim illud ſummum Iurisprudentiae, omnisque praeclarioris eruditionis, ornamentum, literarum denique, quam diu uixit, amplificatorem, IOANNEM CHRISTOPHORVM VVAGENSEILIVM. Quanta in hoc uiro uis ingenii et doctrinae, quanta ſapientiae gloria, quanta rerum peritia atque experientia, quanta denique, quod eſt omnibus eius laudibus iure meritoque anteponendum, et quam admirabilis, cum recondita omnis generis eruditione coniuncta iudicii acies, ac uitae mentisque integritas fuerit; dicendo ſatis conſequi haud me poſſe intelligo. Ecqua uero tanta eſt ingenii uis, et quae tanta dicendi facultas ac copia, quae VVagenſeilii noſtri laudibus ex aequo reſpondeat? Vtcunque uero eſt, MAECENATES BENIGNISSIMI, tantas VOBIS ille gratias, de beneficiis ueſtris largiſſime acceptis, retulit; quantas, religioſa pietate, conſtanti in Patriam amore, labore et induſtria, huius Academiae ornandae cauſſa lubentiſſime ſuſceptis, referre potuit.

Simili ſtudio ac diligentia beneficentiſſimis huius Academiae CVRATORIBVS mirificam beneficiorum gratiam reddere ſuo aeuo contendebat uir inſigni eloquentia et orationis ſuauitate ornatus, MAGNVS DANIEL OMEIS, fama, et doctrinarum laude, uere magnus; qui, cum poſtea publici Doctoris ſpartam adeptus, elegantiores literas, ſimulque inſignem illam philoſophiae partem, quae de rebus expetendis et fugiendis praecipit, in hac Academia eximio cum applauſu traderet; omnem ſibi operam ſuſcipiendam, omnem laborem perferendum, omnem denique aliarum rerum curam ex animo dimittendam, nec ad aliud mentem intendendam exiſtimauit, quam ut patriae pro tot tantisque beneficiorum acceſſionibus gratum piumque animum declararet. Vnde, quum Patriae Academiaeque bono prouehendo omnem ſuam deuouiſſet operam, non modo ſibi multum gloriae et nominis per orbem literarium parauit, ſed et huic coetui ingens ornamentum ac decus conciliauit.

Iam uero, quid de IACOBO IORDANO, et LVCA FRIDERICO REINHARTO, theologiae Profeſſoribus Publicis Altorfinis; quid de ANDREA VNGLENCKIO, religioſiſſimo et facundiſſimo Norimbergenſium Antiſtite; quid de CHRISTOPHORO LVDOVICO DIETHERRO, Iurisconſulto eruditiſſimo, multisque ſcriptis celeberrimo; quid de CHRISTOPHORO NICOLAO, Medicinae Doctore experientiſſimo, ac Profeſſore Publico hic quondam longe meritiſſimo, dicam? Quid referam de poeſeos et oratoriae Profeſſoribus, CHRISTOPHORO ADAMO RVPERTO, Poeta feliciſſimo, Oratore diſertiſſimo, Hiſtorico plane inſigni; et de LEONHARDO

SCHVVAE-

SCHVVAEGERO, non uulgaris eruditionis uiro? Quid de CHRISTOPHORO MOLITORE, ſingularis doctrinae et acris diligentiae fama celeberrimo uiro, et eloquentiae atque ſanctiorum linguarum Profeſſore Publico Altorfino, enarrem? Omnes ii, ex eodem contubernio progreſſi, quicquid in diuina Pieridum ſede, ſapientiae domicilio, ſecuriſſimo literarum ſacrario, ſuo labore atque induſtria feliciter excogitarant, feliciusque praeſtiterant; id omne Patriae ac benigniſſimorum NVTRITORVM laudi et exiſtimationi dedicarant. Sicut enim flumina ex immenſa Oceani amplitudine profluentia, ad eandem illam, ueluti matrem ſuam, citato ac perenni redeunt curſu; ita, qui ex uberrimis benignitatis MVNIFICENTISSIMORVM NVTRITORVM fontibus hoc in Lyceum Altorfinum emanarant riui, ad eos uiciſſim cum nouo gloriae augmento quaſi reuerterunt.

Neque propiore tempore defuerunt, qui his inſignioribus benigniſſimorum MAECENATVM beneficiis ſuſtentati, omnem operam ſuam et ingenii laborem Patriae commodis, et perenni gloriae, conſecrarunt. Cuius enim in memoria non adhuc uerſantur egregia merita grauiſſimi INCLVTAE REIPVBLICAE Conſiliarii, IO. GEORGII DREZELII? Cui ignotum eſt, quantam diligentiam GEORGIVS PAVLVS ROETENBECCIVS, uir ſingulari acumine et perſpicuitate praeditus, in excudendis Ciuium noſtrorum Academicorum ingeniis adhibuerit, quantamque operam ad euehendam Muſarum Altorfinarum gloriam impenderit? Quis neſcit CHRISTOPHORI VVEGLEITERI, Doctoris theologi, ſummam et eximiam in explicandis diuiniorum literarum ſtudiis dexteritatem? Quis ignorat IO. GEORGII FVCHSII, incluti Norimbergenſium Gymnaſii Rectoris, fidem et induſtriam, qua iuuenum animos ad ſolidiora doctrinarum ſtudia praeparauit? Hi igitur, quicquid in ipſis eſſet ingenii, quod certe non exiguum, ſed ſingulare quoddam et eximium fuit; quicquid humanarum et diuiniorum literarum doctrina, in qua eos non mediocriter uerſatos fuiſſe, ſcripta et dicta comprobarunt; aut quaecunque ratio ab optimarum artium ſtudiis et diſciplina proficiſci poſſet, a qua nullum aetatis ſuae tempus abhorruiſſe, ipſi confitebantur: earum rerum omnium fructum et gloriam uel inprimis Patriae rependendum iudicarunt. Sed neque hic reticere debeo chariſſimum Patruum meum, PAVLLVM IACOBVM STARCKIVM, qui, quanquam ad SERENISSIMI PRINCIPIS BRANDENBVRGICO-CVLMBACENSIS aulam, conſentiente PERILLVSTRIVM SENATORVM NORIMBERGENSIVM ordine, ad ſacra munia obeunda euocatus ſit; nunquam tamen tot et tantorum beneficiorum memoriam depoſuit; ſed eo omni opera allaborauit, ut obſeruantiſſimum deuinctiſſimumque animum beneficentiſſimis atque omni pietatis cultu uenerandis MAECENATIBVS ſemper teſtaretur.

Nunc uero, recenſitis piae memoriae uiris, et poſt fata plurimum uenerandis, qui MAIORVM benignitate ueſtrorum, et ſuo ipſius ingenii labore, ſe ſuaque nomina immortalitati iamiam conſecrarunt; ad eos ſe conuertit oratio mea, qui in uiuis adhuc, et in ore omnium eruditorum uerſantur. Viros compello, ſumma reuerentia digniſſimos, GVSTAVVM PHILIPPVM MOERLIVM, et IOACHIMVM NEGELINVM, Norimbergenſium Antiſtites, itemque IOANNEM IACOBVM PFIZERVM, noſtratem Theologum, ſingulos multis meritorum nominibus inclytos. Hi certe,

O BENIGNISSIMI MAECENATES, ſeſe ueſtrorum numero alumnorum quondam adſcriptos, ueſtrisque beneficiis aeternum fuiſſe deuinctos, grato pioque animo profitentur. Hi, ueſtra munificentia, et optima ſui ipſorum ingenii indole, ad tantam, quantam nunc maxuma cum laude obtinent, nominis celebritatem et amplitudinem ſeſe prouexerunt. Hi de Patria, et coetu Chriſtianorum, et orbe literario, egregie promerentur. Quanta uero ſint eorum merita et digniſſima elogia, non fas eſt mihi recenſere. Verendum enim eſt, ne ſimplici hoc dicendi genere maximarum pulcherrimarumque rerum laudes potius detriuiſſe, quam exornaſſe, uidear. Malo igitur meam ingenii tenuitatem et culpam uiris maximopere uenerandis, ea, qua par eſt, modeſtia, excuſare, quam fines uerecundiae et eius obſeruantiae limites tranſilire, quam illis me pro mirifico fauore aeternum debere confiteor.

At, quum uiri tot eximii, VOBIS tantas reddiderint, et adhuc reddant, gratias; quasnam, BENIGNISSIMI PATRIAE PATRES, nos, qui iam iisdem fruimur beneficiis, in praeſenti agamus, habeamusque? Fatemur inopiam, fatemur ingenii imbecillitatem, cuius culpa uobis eas, quas decet, gratias dicere prohibemur. Interim uero, quum in hac ſollemnitate temporis tam honorificam beneficiorum, quae in hanc Muſarum ſedem contuliſtis, memoriam, ab aliis honoratioribus uiris publico dicendi genere ſaepius celebrari audiremus; minime condonandam ingrati animi culpam admitteremus, ſi ueſtrorum munerum gaudia in tam arcanae laetitiae conſcientiam coercceremus, neque VOBIS publice, in hac publica Academiae luce, gratam piamque mentem teſtaremur. Malo igitur, quum aut indiſerti, aut ingrati, eſſet fama ſubeunda, eloquentiam potius, quam meam meorumque commilitonum pietatem erga VOS, et grati animi ſtudium, deſiderari. Agimus quidem uobis gratias, BENIGNISSIMI NVTRITORES, ſi poſſemus, etiam redderemus. Sed nec ueſtra fortuna deſiderat remunerandi uicem, nec noſtra ſuggerit reſtituendi facultatem. Priuatorum iſta copia eſt, inter ſe eſſe munificos; ueſtra beneficia, uti magnitudine cetera praecellunt, ita mutuum non repoſcunt. Quod ſolum igitur noſtrae opis eſt, gratias agimus; uerum ita, ut in magnis fieri ſolet, ſentiendo copioſius, quam loquendo. Socrati, Philoſophorum grauiſſimo, quum multi multa ex grati animi ſtudio munera pro ſuis quisque facultatibus offerrent, Aeſchines ipſius auditor, at inopia laborans, et ab eodem plurimis iam tum ornatus beneficiis; nihil, inquit, dignum, quo te tuamque doctrinam remunerari poſſim, inuenio apud me, atque hoc uno modo pauperem me eſſe ſentio. Itaque tibi do, quod unum habeo, memet ipſum. Hoc munus rogo, qualecunque eſt, bene conſulas, cogitesque, alios, cum te multis cumularent praemiis, plus tamen ſibi reliquiſſe. In iisdem nos, ac Aeſchines, uerſamur iam difficultatibus, eademque laboramus nunc penuria rerum, ut omni mutuam referendi gratiam facultate deſtituti, nil aliud omnino habeamus, quod VOBIS ingentium beneficiorum loco retribuamus, quam nosmet ipſos. Totos igitur VOBIS, quibus tantum debemus, nos mancipamus, et quid ex nobis fieri uelitis, ueſtro arbitrio relinquimus. Omne interim negotium, omne otium noſtrum literarium in celebrandis rebus ueſtris ponetur; neque ſolum uiuentibus nobis

bis atque uigentibus grati animi beneuolentia declarabitur, ſed etiam, cum anima defecerit, monimenta ueſtri in nos beneficii permanebunt. Id autem, BENIGNISSIMI MAECENATES, VOBIS ſanctiſſime pollicemur, ſemperque praeſtare connitemur, nobis neque in praedicanda ueſtrorum beneficiorum magnitudine ueritatem, neque in uirtutibus ueſtris ſummo cultu proſequendis pietatem, neque in laboribus perferendis induſtriam, neque in fide ſumma Patriae probanda, grati animi ſignificationem defuturam; hocque omni uitae noſtrae tempore ſummis opibus effecturos eſſe, ut beneficia in nos ueſtra bene recteque poſita, et cum ratione collocata, uideantur. In opido Athenarum celeberrimo locus erat, quod Prytaneum uocarunt, in quo ſacer et perpetuus ignis ad cultum Veſtae alebatur. Nos, BENIGNISSIMI CVRATORES, VOBIS pectora noſtra, tanquam Prytaneum, conſecramus, in quo ſacrum et aeternum pietatis ignem ad immortalem ueſtrae benignitatis honorem colemus. Graeci extruxerunt templum Mnemoſynes, in quo ab iis, qui immortalia Deorum beneficia conſecuti fuerant, anathemata ſuſpendebantur. Nos uero, pace ueſtra, VOBIS extruemus templum Mnemoſynes, cui donaria grati piique animi noſtri dedicabimus. Habetis ideo, MAECENATES MVNIFICENTISSIMI, animos VOBIS deditos atque in aeternum dedicatos. Habetis, qui grati animi ſtudium publice teſtari connituntur. Nam, ſi cum Seneca loqui licet, gratus is etiam dici promeretur, qui bono animo accepit beneficium, bono debet. Vt enim omnium aliarum uirtutum, ita huius ad animum tota aeſtimatio redit; hic ſi in officio eſt, quicquid defuit, fortuna peccat. At quid tam inhumanum, quid tam immane, tam ferum, quam committere, ut ingratus quis et beneficio indignus cenſeatur? Erunt homicidae, tyranni, fures, adulteri, raptores, ſacrilegi, proditores, infra iſta omnia, Seneca ſic loquente, ingratus eſt, niſi quod omnia iſta ab ingrato animo ſunt, ſine quo uix ullum magnum facinus creuit. Abſit igitur a nobis deterrimum illud uitium; at contra praeſto ſit una uirtus non ſolum maxima, ſed etiam mater uirtutum omnium reliquarum. Quamuis autem nullum referendae gratiae maius ſit officium: tamen, quum malignior fortuna nobis omnem referendae gratiae facultatem ademerit; is uero etiam gratus haberi ſoleat, qui lubenti animo beneficium accipit, grata magis uoluntate, quam reipſa, VOBIS, NVTRITORES BENIGNISSIMI, gratias referre, et in publico confeſſu teſtari neceſſe habemus.

Quamobrem ſummum rerum Parentem, cuius tot nomina ſunt, quot gentium linguas eſſe uoluit, oramus et quaeſumus, ut compenſet ueſtram, O BENIGNISSIMI MAECENATES, munificentiam ſingularem aeternis beneficiorum diuiniorum acceſſionibus. Tueatur VOS, ac florere iubeat, quae eſt ipſius bonitas, ad ſeram usque poſteritatem, quos ad gubernacula Reipublicae Norimbergenſium admouit pietas, firmauit prudentia, et altius extulit auctoritas! VOBIS enim ſoſpitibus, ſoſpes erit patria, nec lugendi dolendique cauſſas habebit. Seruet inprimis Deus optimus maximus, qui prouida circumſpectiſſimaque de PERILLVSTRIS SENATVS NORIMBERGENSIS uoluntate conſtituti eſtis huius Academiae CVRATORES, quorum beneficio, et ope, felicitas Muſarum Altorfii commorantium perenni uigebit incolumitate!

Indulgeat VOBIS ſupremus rerum humanarum moderator proſperam perpetuamque, et ſecundo uitae ſine ulla offenſione curſu fluentem fortunam! VOBIS enim ſaluis, ſaluae etiam ſunt Muſae noſtrae, ſalui earum Cultores et Alumni. Merito VOBIS acclamamus priſcum illud feliciter! nec ſemel tantum, ſed, quod a Romanis fieri ſolebat, ſepties, imo uero ſeptuagies; acclamamus, quod Graeci Imperatori Conſtantinopolitano, ΠΟΛΥΧΡΟΝΙΟΝ! Quod olim Plinius Traiano Imperatori, diuinitus dato, adprecabatur; idem nos repetimus, Deum obſecrantes, ut omnia, quae vos, BENIGNISSIMI CVRATORES, facitis, quaeque facietis, proſpere cedant VOBIS, REIPVBLICAE, et nobis! Floreatis ergo, Illuſtria Muſarum decora et ornamenta! uigeatis incolumitate perpetua! fruamini aeterna uirtutum ueſtrarum laude, et immortalitate nominum ueſtrorum ſplendidiſſimorum; ſic enim ex animo VOBIS deuinctiſſimo DEVM religioſiſſime oramus, et quam ardentiſſime obſecramus. Votis igitur pro Salute ueſtra nuncupatis, VOS BENIGNISSIMI NVTRITORES, ea, qua par eſt, obſeruantia rogamus, ut has noſtras, tenues quidem pro beneficiorum magnitudine, at demiſſi cultus et innocentiae teſtes, gratias benigno uultu reſpiciatis, nec inpoſterum nobis noſtrisque doctrinarum ſtudiis fauere dedignemini!

Ante uero, quam hancce meam relicturus ſum ſtationem, pietas omnino, atque mira in hanc Academiae ſedem propenſio me hortatur, ut pro eius etiam incolumitate publica uota repetam. Vigeat haec Altorfina ſtudiorum Vniuerſitas, Norimbergenſium decus et ornamentum, deliciumque orbis eruditi! Progerminet, et quam plurimas laetae iuuentutis propagines emittat hoc Reipublicae literariae ſeminarium! Stet in perpetuum ſedes haec Muſarum exoptatiſſima! Splendeat hoc Apollinis Virtutisque templum! Fecunda porro inſignium doctrina hominum Mater ſit, et alma Nutrix iuuenum, nobilitatis genere ac doctrinarum laude florentiſſimorum! Immo uero ſaepius celebret ſacri huius ſaecularis ſollemnitatem, ea ſemper feſtiuitate, qua nos ſacra nuper ſaecularia ſub prouida circumſpectiſſimaque INCLVTORVM SENATORVM NORIMBERGENSIVM cura peregimus; ea Hoſpitum ſplendidiſſimorum et aduenarum frequentia, qua nos hoc feſtiuo tempore cohoneſtati ſumus; ea Ciuium Academicorum exultatione, qua optimus quisque proſperos fatorum ſucceſſus almae huic Altorfinae adprecabatur; ea tandem nominis fama, quae per ora omnium eruditorum celebrata, immortalitatem gloriae huic Muſarum domicilio conciliet! Sic uero, ut perennis et perpetua haec felicitas Patriae noſtrae Academiae eueniat, contingatque, pio animo uouens opto. Viuite et uos ſemper felices, Patres Academiae uenerandi, qui ſumma eruditione ueſtra, ſummisque uirtutibus ueſtris, non ſolum hanc Academiam, ſed et in uniuerſum Rempublicam ſacram atque literariam, egregie ornatis! DEVS immortalis uobis ueſtrisque omne genus felicitatis uolens propitius impertiatur, ut ſuauiſſimos uberrimosque ueſtrarum curarum, ueſtrorumque meritorum, fructus percipere ſumma animi cum uoluptate queatis! Idem ille bonorum omnium Auctor uos incolumes florentesque in ſeriſſimos annos conſeruet, ut de re ſacra et literaria ornanda quam diutiſſime adhuc bene immortaliterque mereri poſſitis! Sed et uos, o deliciae Muſarum, ſpesque Patriae, res ueſtras feliciter ſemper atque ex animi ſententia agite, ut ea praemia laeti hilaresque conſequamini, quae ſumma Cultoribus ſuis uirtus et doctrina propoſuit! Denique, quae uotorum noſtrorum ſumma eſt:

VIGEAT VSQVE FLOREATQVE ACADEMIA ALTORFINA!

INDEX

INDEX
INSPECTORVM
qui moderandis ſtudiis Contubernii XII Alumnorum Noricorum ab anno cIↄ Iↄ LXXV (*) praefuerunt,
conſignatus a I. C. B.

M. Caſpar Odontius, *poſtea Praecept. Claſſ. Gymnaſii Altorfini, obiit A.* cIↄ Iↄ LXXXIIII.

M. Henricus Riſius, VVertheimenſis, *poſtea ab A.* cIↄ Iↄ LXXVIIII *Profeſſor poetices, obiit A.* cIↄ Iↄc VIIII.

M. Iohannes VVeidner.

M. Iohannes Stamler.

M. Iohannes Ingolſtetter, Norimbergenſis, *A.* cIↄ Iↄ LXXXVIII *Ambergenſis Paedagogii ProRector; ab A.* cIↄ Iↄc I *Medicus Ambergenſis. Ob. A.* cIↄ Iↄc XVIIII. Vid. Freherus, *p.* 1340.

M. Iohannes Preu.

M. Iohannes Geislinger, Dunckelſpilenſis, *ſimul Academiae Notarius, diſceſſit A.* cIↄ Iↄ XCII.

M. Iohannes Hagendorn, Heresbruccenſis, *Alumnorum Noric. per quadriennium Inſpector, deinde per duodetriginta annos Diaconus Eccl. Nor.*

M. Iohannes Zunner, Heresbruccenſis, *acceſſ. A.* cIↄ Iↄ XCVI, *poſtea Rector Scholae Sebaldinae. ob.* cIↄ Iↄc XVI.

M. Chriſtophorus Leibniz, Miſnicus; *poſtea Sacerdos Ruſſelbacenſis, deinde ad D. Sebaldi Diaconus. ob.* cIↄ Iↄc XXXII.

M. Leonhardus Lemmermann, Norimbergenſis, *ab A.* cIↄ Iↄc V; *poſtea ab A.* cIↄ Iↄc VIII, *Praeceptor Claſſicus; A.* cIↄ Iↄc XI, *Rector Scholae Xenodochianae; A.* cIↄ Iↄc XXVIIII, *Rector Scholae Sebaldinae Norimbergenſium.*

M. Ieremias Hoelzlinus, Norimbergenſis, *aliquando etiam Latine* Ligellus *dictus, poſtea Rector Paedagogii Ambergenſis; deinde Lugduni Batauorum Profeſſor Graecae Linguae, et Voſſii ſucceſſor. ob. A.* cIↄ Iↄc XLI. Vid. Bayle, *diction. T. II, p.* 1485, *edit. tert.*

M. Iohannes Albinus, *ſiue* VVeis; *acceſſ. A.* cIↄ Iↄc XI, *poſtea Scholae Laurentianae ConRector.*

M. Iohannes Saubertus, Altorfinus, *acc. A.* cIↄ Iↄc XVI; *mox Diaconus Altorf. et Prof. claſſ. deinde Antiſtes Norimbergenſium, ob.* cIↄ Iↄc XLVI.

M. Iohannes Schaefer, Rotenburgenſis, *acc. A.* cIↄ Iↄc XVIII; *deinde Prof. claſſ. poſtea, A.* cIↄ Iↄc XXVI, *Doctor Iuris creatus, et Syndici Reipublicae patriae munus adeptus eſt.*

M. Cornelius Marci, Norimbergenſis, *acc. A.* cIↄ Iↄc XX; *deinde Prof. Theolog. et Diaconus. Poſtea Norimbergam uocatus, Paſtor ad D. Mariae, ac tandem ad D. Laurentii, ob. A.* cIↄ Iↄc XLVI.

M. Iacobus Bruno, Megalopolitanus, *acc. A.* cIↄ Iↄc XXII, *mox Prof. Claſſ. et A.* cIↄ Iↄc XXVIII, *Prof. moral. et Graecae Linguae, ob.* cIↄ Iↄc LIIII.

M. Iohannes Weinmann, Sueofurtenſis, *acc. A.* cIↄ Iↄc XXIIII. *poſtea theolog. Prof. et Diacon. Altorf. et tandem theol. Doctor et Prof. primar. atque Antiſtes Altorfinus. ob. A.* cIↄ Iↄc LII.

M. Marcus Kraeer, Norimbergenſis, *acc. A.* cIↄ Iↄc XXVIII. *poſtea Diaconus Norimb. ad D. Laurent.*

(*) Equidem iam a primis initiis hoc ſodalitium, de cuius origine iam ſupra, *p.* 9, dictum eſt, curae et fidei certi Inſpectoris fuerat commiſſum; ſed praetereunda ſunt ceterorum nomina, quae nobis non innotuerunt; niſi quod ab eo tempore, poſtquam A. cIↄ Iↄ XXVI contubernium hoc coniunctum fuit cum Gymnaſio Aegidiano, potiſſimum commemorentur, *Ioachimus Camerarius, Michael Rotingus, Hieronymus Wolfius, Io. Schelhamer, et Andreas Bohemus.* vid. *Io. Heldii Hiſtor. enarrat. de Gymnaſio Aegidiano;* Freheri *Theatrum vir. erudit. p.* 1543, *et p.* 1481. Queccius, *in Append. Orat. p.* 295. etc.

M. Iohannes Paulus Felvvinger, Norimbergensis *acc. A.* cIↃIↃc xxxvi. *postea Prof. Logices, Metaphys. et Polit. ab A.* cIↃIↃc xxxviii, *ob.* cIↃIↃc lxxxi.

M. Ioh. Henricus Blendinger, Norimbergensis, *acc. A.* cIↃIↃc xxxviiii. *postea ad D. Georgii in Hungaria Antistes, ob.* cIↃIↃc xlviii, vid. Freher. *p.* 541.

M. Martinus Beer, Norimb. *acc. A.* cIↃIↃc xliii. *postea Diaconus Norimb. ad d. Mariae, ob.* cIↃIↃc viiii.

M. Sebaldus Snell, *siue* Schnell, Norimb. *acc. A.* cIↃIↃc xlvi; *in eodem munere ob. A.* cIↃIↃc li.

M. Ioh. Conradus Durrius, Norimb. *acc. A.* cIↃIↃc li, *postea Prof. Philos. mor. et poes. item Theolog. ob.* cIↃIↃc lxxiiii.

M. Iohannes Held, Aurbacensis, *acc. A.* cIↃ IↃc liiii. *deinde Rector ad D. Aegidii Norimb. & postea Diaconus ad D. Laurentii. ob.* cIↃ IↃc xciii.

M. Iohannes Ehe, Norimb. *acc. A.* cIↃ IↃc lvi. *ob.* cIↃ IↃc lviii.

M. Ioh. Elias Revv, VVerda-Noricus, *acc. A.* cIↃ IↃc lviii. *designat. Professor. orat. ob. A.* cIↃ IↃc lxvii.

M. Iustus Iacobus Muller, Norimb. *acc. A.* cIↃ IↃc lxvii. *ob.* cIↃ IↃc lxxvi.

M. Georgius Paulus Roetenbeck, Norimbergensis, *acc. A.* cIↃ IↃc lxxvi. *deinde Logices et Politices Prof. Publ. ob.* cIↃ IↃcc x.

M. Georgius Albertus Hagendorn, Norimbergensis, *acc. A.* cIↃ IↃc lxxxi. *deinde Diaconus Norimbergensis ad D. Laurentii, ob.* cIↃ IↃc xcv.

M. Ioh. Fridericus Durrius, VVeidenbachio-Francus, *Facult. Ien. Adiunctus, acc. A.* cIↃ IↃc lxxxv. *postea Sereniss. March. Onoldino-Brandenb. a concionibus; et deinde Decanus Vffelheimensis.*

M. Iohannes Schubart, Norimbergensis, *acc. A.* cIↃ IↃc lxxxviii. *deinde Diaconus Altorfinus, et adhuc Norimb. Pastor ad D. Iohannis.*

M. Andreas Christianus Eschenbachius, Werda-Noricus, *acc. A.* cIↃ IↃc xcI. *deinde Diaconus Norimb. ad D. Mariae, et in Auditorio Aegidiano Oratoriae, poeseos, historiae et Graecae Linguae Prof. Publ. ob.* cIↃIↃc xxii.

M. Gustauus Georgius Zeltner, Hipolsteinio-Noricus, *acc. A.* cIↃ IↃc lxxii. *deinde Norimb. in Audit. Aegid. Metaphysices Prof. et Diaconus ad D. Iacobi; mox ad D. Sebaldi; nunc in hac Acad. Theolog. Prof. primar. et Sanctae Linguae Prof. Ecclesiaeque opidanae Antistes.*

M. Gustauus Philippus Moerl, Norimbergensis, *acc. A.* cIↃIↃc xcviii. *deinde Norimb. Diaconus ad D. Sebaldi; postea Antistes ad D. Aegidii, et mox ad D. Laurentii.*

M. Ioh. Michael Sonntagius, Oppurgo-Variscus, *acc. A.* cIↃ IↃcc iii. *postea Norimb. in Auditorio Aegidiano Logices et Metaphysices Prof. P. et Ministerii Vicarius. ob.* cIↃ IↃcc xvi.

M. Iohannes Iacobus Pfizer, Norimbergensis, *acc. A.* cIↃ IↃcc xi. *postea Diaconus ad D. Aegidii, et ab A.* cIↃ IↃccxvii. *in hac Acad. Theol. Prof. et Eccles. Altorf. Diaconus.*

M. Iacobus VVilhelmus Feuerlinus, Norimbergensis, *acc. A.* cIↃ IↃcc xiii. *hodie in hac Acad. Logices et Metaphys. Prof. Publ.*

M. Iohannes Colmarus, Norimbergensis, *acc. A.* cIↃ IↃcc xvi. *ab A.* cIↃ IↃcc xx *Norimb. Rector Scholae Xenodochianae ad Spir. S.*

M. Sigismundus Iacobus Apinus, Heresbrucco-Noricus. *acc. A.* cIↃ IↃcc xx. *ab A.* cIↃ IↃcc xxii, *Norimb. in Auditorio Aegidiano Logices et Metaphys. Prof. publ.*

M. Iohannes Carolus Beheim, Norimbergensis, *acc. A.* cIↃ IↃcc xxii.

V.

CARMEN GERMANICVM

ILLVSTRIBVS ACADEMIAE CVRATORIBVS

a Beneficiariis Noricis, festiuitate sacri saecularis feliciter finita, declarandae pietatis caussa exhibitum.

Ver=

Verpflichtetes Danck-Opffer/

welches

Einem

Hochlöbl. Magistrat

bey der ILLUSTRen und des H. Röm. Reichs
freyen REPUBLIQUE

Nürnberg/

als
gütigsten Stifftern und NUTRITORIBUS
der Löbl. Universität Altdorf/
insonderheit
Salv. Tit.
Denen Hochansehnlichen und Hochverdienten
Herren

CURATORIBUS UNIVERSITATIS ALTORF.

als allerseits
Ihren gnädig-hochgebietenden Herren
und hohen Wolthätern/
bey Gelegenheit
des durch GOttes Gnade im Jahr 1723/
glücklich celebrirten
ACADEMIschen IUBILAEI,
unterthänig-gehorsamst abstatten sollten
Sämtliche Conuictores Oeconomiae.

So mancher Danck-Altar sich noch allhier befindet/
worauf die Andacht erst den Weyhrauch ausgestreut;
So manches Opffer man vor kurzen angezündet/
und zu des Höchsten Ehr in Demuth eingeweyht:
So mancher treuer Sinn wird noch im Geist beweget/
wenn er Vergnügungs-voll der Zeiten Glück betracht.
Die Freude/ die er längst in stiller Brust geheget/
wird aus der Dunckelheit ans helle Licht gebracht.
Es ist ein Fest vorbey/ das keiner hier gesehen/
und keiner unter uns noch einmal sehen wird.
Euch/ **Vätter** dieser Zeit/ ist dieses Glück geschehen/
Ihr Musen! euch ist es zum Denckmahl aufgeführt.
Der Himmel liebet euch/ drum greiffet euren Tempel
kein Moder langer Zeit/ kein Rost des Alters/ an.
Ihr seyd der Tugend Bild/ der stillen Ruh Exempel/
in der sich euer Fleiß ganz sicher üben kan.
Erfreute NORIS! sieh/ wie Palaecome grünet/
und unter Deinem Schutz beliebte Früchte trägt.

Diß ist der Sorgfalt Lohn / den Deine Treu verdienet /
daß Blüth und Frucht zugleich in Deinen Schooß sich legt.
Die Lieb zur Wissenschafft die Künst empor zu bringen /
macht Deinen alten Ruhm durch frische Proben neu.
Ganz Palaecome weiß von Deiner Huld zu singen /
und rühmt / daß sie allein der NORIS Schooß-Kind sey.
Denn / daß ein ganzes Volck durch GOttes Seegen blühet /
daß sich Gerechtigkeit und stiller Friede küßt /
daß man die Bürgerschafft zu guter Ordnung ziehet /
diß bringt ein Staat / wo Kunst und Klugheit Führer ist;
Wo man der Pallas Sitz / der Musen Wohnung bauet /
wo man den Studien den Werth zu setzen weiß;
wo man auf kluge Leut sie zu belohnen schauet /
wo man die Tugend krönt / nach wohlverdientem Fleiß.
Wenn nun der NORIS Zierd für andern Städten pranget /
wie sonst der Diamant für vielen Steinen blitzt /
wie für der Sternen Glanz der Mond den Preiß erlanget /
so ist der Klugheit Licht / was ihren Ruhm beschützt.
Sie will in ihrem Schooß des Friedens Kinder nähren /
drum legt Minerua sich in ihre Arme hin.
Sie will in ihrem Land des Fleißes Tempel ehren /
drum wohnt der Helicon mit seiner Schaar darin.
Und dieses theure Glück der Nachwelt zu erhalten /
aus dem ihr jederzeit so viel Vergnügung quillt;
So lässet sie ihr Lob durch keine Zeit veralten /
und setzt zu ihrem Rath der Klugheit Ebenbild.
Beglücktes Vatterland! das diese **Vätter** nennet /
auf denen noch der Bau der grauen Ehre steht /
daß / wer sie auch allein nach Ihren Namen kennet /
schon Ihre Klugheit rühmt / und Ihre Güt' erhöht.

Sie sind der Kirchen Schutz / an die sie sich ergiebet /
 Sie sind der Schulen Trost / der Musen wahre Zierd.
Sie sorgen / daß uns nie ein Ungemach betrübet /
 Sie wachen / daß uns nichts in unsrer Stille irrt.
Diß ist / was jederman leicht in die Augen fället /
 ein Licht / das Stadt und Land mit seinem Strahl beleucht /
Doch / wenn der blöde Kiel sich etwas näher stellet /
 so merckt er einen Glanz / der höher aufwärts steigt.
Der ist der seltne Ruhm durch Wohlthat groß zu werden /
 die Crone / welche auch die höchsten Häupter schmückt.
Die Hohen dieser Welt entreissen sich der Erden /
 und sind durch Gütigkeit zum Sternen-Chor gerückt.
Ihr Vätter unsers Staats! Hier legt ein Blat sich nieder /
 das Zeuge Eurer Gnad und unsrer Treue ist.
Ist Eurem grossen Geist diß Lallen nicht zuwider /
 so wißt / daß unser Herz für lauter Danck zerfließt.
Ihr macht / daß wir ein Theil der Pallas-Söhne worden /
 daß Palaecome uns als Ihre Bürger liebt.
Apollo führet uns in den Gelehrten Orden /
 weil Eure Mildigkeit uns Krafft und Wachsthum giebt.
Ihr macht / daß wir allhier von Eurer Güte leben /
 daß uns der Kummer nicht an Fleiß und Arbeit stört.
Wir dörffen nicht zu sehr an Nahrungs-Sorgen kleben /
 weil Eure Kost uns speist / und Euer Tisch uns nährt.
So will das Vatterland der Musen Kinder säugen /
 so wird die Dürfftigkeit mit milder Hand erquickt:
So kan ein Armer auch auf Pindus Höhen steigen /
 da sonst den muntern Geist der Mangel niederdrückt.

Doch schweige / schwacher Kiel / dein ungeübtes Schreiben
erreicht den Inbegriff von dieser Wohlthat nicht.
Du must anjetzo nur bey treuen Wünschen bleiben /
die auf der Väter Wohl der Andacht Flehen richt.
Zwar / wirst du auch allhier wohl schwerlich fassen können /
wie sich die Schuldigkeit in aller Herzen regt /
Wie so viel heisse Trieb' in aller Seelen brennen ;
doch schreibe / was die Pflicht dir in die Feder legt.
Ihr seyd den Musen hold : Ihr seyd die Lust der Zeiten /
die Ihr für Kirch und Schul mit tausend Sorgen wacht.
Der Himmel wacht für Euch / und stehet Euch zur Seiten /
wenn er die schwere Last Euch ganz erleichtert macht.
Ihr laßt von milder Hand viel Gutes uns genießen /
durch Euch steigt unser Glück in höhern Grad empor.
Der Himmel selbst laß Euch die Seegens-Quelle fließen /
Blüht ! Wachst ! Steigt langsam auf zu aller Engel-Chor !
So glücklich müße sich die späte Zeit verneuen /
wenn Palaecome einst das andre Hundert sieht.
Wir wollen uns indeß / so lang wir leben / freuen /
wann auch ein jedes Jahr mit neuem Glücke blüht.

VI.

CARMEN EVCHARISTICVM

quod finita inaugurationis Doctorum et Magistrorum Poetarumque caerimonia

IO. IGNATIVS MICHAHELLES

Poeta recens creatus

recitauit;

ad pag. 259 referendum.

O DEVS *omnipotens, qui numine cuncta gubernas,*
Quique iubes canum procedere tempus ab aeuo,
Magnas testamur curuo TIBI *poplite grates;*
Gaudentesque tuum ferimus super aethera nomen.
Candida maiorum tu mitis uota precantum
Auribus attentis audisti, nosque nepotes
Nunc uoti damnas. Laetis Academia nostra
Floribus et docta musarum exuberat arte.
Quanto candidior, quam cetera sidera, fulget
Luciferi uultus, roseis cum surgit ab undis;
Tanto splendidior reliquis augusta renidet
Artibus Eusebie, quae nobis dogmata tradit,
Queis tua, summe DEVS, *possunt oracula nosci,*
Et queis monstratur cunctis, qua uoce rogari,
Quoue coli cupias animo, quo turis honore.
Alma Themis pariter praeclara luce coruscat,
Illius et proles praesens Astraea uidetur,
Scilicet in nostris superest rectumque, fidesque,
Terris, et quando discordia iurgia feruent,
Iudicis arbitrio promte sedantur et aeque;
Nil datur iratae menti, nil gratia pollet,
Ne qua suo supplex fraudetur iure caterua,
Nec sine uindictis scelus ullum possit abire.
Haud minor est Themidi radiis Hygiea serenis,
Tristia quae grauium morborum nubila pellit,
Aut adhibens teneris sanas cum floribus herbas,
Vel quae Paeonios Thetys progignit ad usus,
Aut quaecunque ferunt medicamina, uiscera terrae.
Nec modo praesentis rabiem compescere morbi
Arte potest, uerum quoque corpora nostra tuetur,
Vt multos uigeant annos immunia noxis.
Non aliter Sophie deformes discutit umbras

Errorum, mentesque suo splendore serenas
Reddit, nunc satagens prauos expellere mores,
Nunc monstrans, quae norma boni, qui limes honesti
Naturae firma cunctis sit lege statutus.
Non opis est nostrae, leuibus comprendere uerbis
Laudes, quas semper TIBI *nos debere fatemur,*
O DEVS, *humanae gentis spes fonsque salutis!*
Nam non amne suo rutilas tot uoluit arenas
Pactolus, miscens Hermi cum fluctibus undam,
Nec tot fecundae Libycis numerantur in aruis
Spicae, nec radiant puro tot sidera coelo:
Quam miseris quot TV *nobis benefacta refundis.*
Ast, quae reddemus pro tantis munera donis?
Quoue tuas cultu digne uenerabimur aras?
Non TE *delectat Panchaei turis aceruus,*
Nec perfusa diu Clitumni uictima lymphis:
Obsequium, pietas, et seruantissima recti
Corda placent, gratique TIBI *sunt instar odoris.*
Ergo haec, nilque aliud, TE *desposcente, feremus;*
Acceptisque bonis uita sapienter in omni
Vtemur, nobis ne rursus commoda demas.
Maxime post summum celebro TE, CAROLE, *numen,*
Gloria Teutonici populi, mundique uoluptas,
Quo nil terrarum maius reperitur in orbe,
Et quo non melior ualidisque potentior armis
Vllus ab Augusti tractauit tempore frena
Imperii. Quacunque extendit Nereus undas,
Et qua purpureo surgunt temone iugales
Solis, quaque petunt prono praesepia cursu,
Haud aliter nomenque tuum uirtusque timetur,
Quam quae saepe domos percussit fulminis ira.
Nimirum Gallus pugnaci iunctus Ibero
Terga tuis fugiens ostendit, CAROLE, *signis;*
Atque pharetrati ciciderunt agmina Thracis
Infausto geminam pugnam subeuntia Marte.
Ambigo, an antlatos Alcidae Iuno labores
Sit mirata magis, quam nunc Europa secundo
Bella tot euentu per TE *finita stupescit.*
Nam, quae TV *uictor reserasti limina Iani,*
Inuictus rursum potuisti claudere firmo *Ob-*

Obiice, ſicque omnem pacatam reddere terram.
Nec uero ſolum iuſtis conniteris armis;
TV *quoque pacis amas artes, miteſque Camenas,*
Praeſidioque tuo noſtrae laetantur Athenae.
Dulcia TV *placidus dono das otia nobis,*
Otia, queis illi magno decorantur honore,
Qui gnaui doctas animum coluere per artes.
O quis promerito poterit TE *dicere uerſu,*
Aut aequare tuis factis praeconia, CAESAR!
Talia, TE *regnante, ualemus condere ſaecla;*
Qualia Saturno currebant ſceptra tenente.
Scilicet ingenuae doctrinae porro uigeſcent,
Atque ſuus conſtabit honoſque decorque Camenis.
Macte tuis igitur uirtutibus, OPTIME PRINCEPS,
Et tutando artes TIBI *ſummam perge parare*
Famam, perpetuum quae ſit manſura per aeuum.
Sic etenim cunctae gentes TIBI *fauſta uouebunt,*
Proque ſalute tua ſemper ſic carmina fundent:
Viue diu felix, uiue, auguſtiſſime CAESAR,
Donec grandaeuus caeleſtia regna reuiſes,
Et Patri ſimilis mittetur ab aethere proles,
Proles, quae poſt TE *multis dominabitur oris.*
Votis, ceu decuit, pro noſtro CAESARE *factis,*
VOS *dulcis* PATRIAE PATRES *mea Muſa loquetur,*
Sub quorum iuſſis urbs Norimberga uireſcit,
Noſtraque Palladiis Academia rebus abundat.
Nunc ſileat ſanctos illuſtris Roma Catones,
Spartaque deſiſtat iuſtos iactare Lycurgos:
VOS *aeque niueis ſuperatis moribus illos,*
Cetera ceu uincunt denſae uiburna cupreſſi,
Creſcendo atque ſuum tollendo culmen in altum;
Hos uero recti tantum praeſtatis amore,
Noctiuagis quantum ſtellis ſplendore coruſco
Clara ſolent rutili praecellere lumina ſolis.
Si mihi ſufficeret Thymbraeus Phocidis undas;
Dicere ueſtra tamen non poſſem carmine digno
Nomina. VOS *etenim generoſo ſanguine creti*
Laurigerum Pindi numen, blandaſque Camenas,
Aedibus his ſemper magno decoratis honore.

Vos alitis doctas permagnis sumtibus artes,
Vt uariis pariter doctrinis nostra Lycea
Florescant, ueluti studiis urbs Cecropis olim
Floruit, et clarum tenuit per saecula nomen.
Hic etenim linguas haurit studiosa iuuentus;
Hic aut ueridicas sortes exponere discit,
Aut sontes grauibus legum compescere poenis,
Aut medicaminibus tristes depellere morbos,
Aut ueris turmas errorum uincere uerbis.
Si quis auet celebres uates aequare canendo;
Limpida noster ei Parnassus flumina praebet.
Si quis submota se uult cute, noscere, quis sit:
Illi dat nostrum spectacula mira theatrum.
Si quis scire cupit uires et nomina florum;
Illi se noster cultis Epidaurius hortis
Ostendit facilem. Quod si cui sidera caeli
Assidue lustrare placet, motusque notare
Solis et errantis Phoebes; en, splendida quouis
Vranies illi panduntur tempore fana.
Tardius ire dies solito, cursumque morari
Deberet Phoebus, PATRES, SVMMIQVE PATRONI,
Carmine si uellem nunc munera larga referre,
Queis nostras artes maiorum more fouetis.
Haec igitur mitto, uestrumque imploro fauorem,
Vt curae porro sint uobis nostra Lycea.
Nam sic magnificis uos tollent laudibus omnes,
Vestraque digna cedro censebunt nomina Musae.
Ad TE *me tandem uerto,* VENERANDA CORONA!
Et TIBI *promeritas promo de pectore grates.*
TV *nostris aderas etenim pronissima sacris;*
TV *nobis biduum linguisque animisque fauebas,*
Atque bonis dicebas optima uerba diebus.
Siue ferebamus laetas ad sidera uoces;
Tu quoque mulcebas faustis concentibus auras:
Siue precabamur clementi prospera fata
AVGVSTO, *et* PATRIBVS PATRIAE, SVMMISQVE PATRONIS;
TV *placido uultu flagrantia uota probabas.*
O igitur seruet TE *semper Rector olympi,*
Atque tibi placidae fortunae munera soluat!

ACCES-

ACCESSIO.

RECTORIS SENATVSQVE
ACADEMIAE ALTORFINAE
PROGRAMMA
de ordine Praelectionum et Acroasium publicarum in posterum obseruando.

* *

RECTOR ET SENATVS
VNIVERSITATIS ALTORFINAE.

QVod haud ita pridem diuinis auspiciis exorsi sumus, alterum huius Academiae saeculum, ut rei sacrae et literariae in uniuersum, ac nostris praecipue Musis Altorfinis, ex omni parte faustum fortunatumque procedat, iterum iterumque DEVM IMMORTALEM religiosissime precamur. Verum et nos, quantum quidem in nobis est, nihil scientes prudentesque praetermittemus, quod ad pristinum huius Academiae decus retinendum faciat, et iuuentuti studiosae maiori fructui esse possit. Quo consilio, de uoluntate ILLVSTRIVM huius Academiae CVRATORVM, qui pro immortali nominum meritorumque suorum gloria, huius coetus eruditi incrementis procurandis nihil prius sanctiusque habent, nouum quendam laborum Academicorum ordinem in posterum seruandum censuimus. Et enim, cum constet, plurimas Germaniae Academias, itemque Gymnasia, atque scholas, operam suam eruditam ita plerumque dispertiri solere, ut circa ueris et auctumni tempora, absolutis doctrinae suae pensis, nouos labores ingrediantur; in hoc quoque literarum uirtutisque domicilio posthaec easdem recitationum Academicarum, cum finiendarum, tum denuo inchoandarum, rationes habere constituimus, ne, si qui aliunde ad nos accesserint, Academiae huic nomina sua daturi, identidem non nisi in me-

dium operarum Academicarum curſum incidant, aut magno ſaepe cum incommodo ſuo expectare neceſſe habeant, usque dum ſcholae nouae ſtudiorumque ſuorum rationibus accommodatae aperiantur. Itaque, quod DEVS optimus maximus bene uertat, operam dabimus, ut non ſolum ſingulis futuris annis binos Acroaſium Academicarum indices, ſiue catalogos, alterum quidem uerno tempore, paullo poſt diuini Paſchatos ſacrum, alterum poſt diem diuo Michaeli in faſtis Chriſtianorum adſcriptum, euulgemus; ſed etiam, ut circa eorundem temporum articulos, ſuae quisque diſciplinae tradendae noua curricula, quantum fieri poſſit, ineamus, initaque nauiter continuemus. Etſi enim publicos labores noſtros ſtatae quaedam eaeque ceteris etiam Academiis uſitatae feriae diſtinguant; iis tamen non facile priuatas ſimul ſcholas interrumpi patiemur. Id unum Ciues noſtros Academicos adhuc peramanter monemus, ne, Doctoribus ſuis inſalutatis, fere pro more illaudabili parumque honeſto, ingrati diſcedant; ſed potius, ut, ad ueras laudes excitati, in poſterum honorarium aequis conditionibus conſtitutum ſtatim ſub initium quarumuis ſcholarum ſoluere et *praenumerare* ne detrectent. Ita enim futurum eſt, ut et ipſi, DEO fauente, multo uberiores ſtudiorum Academicorum fructus capiant, et docentes eo alacriori animo munere ſuo perfungantur. Ad extremum, Numen diuinum ſupplices oramus, ut adſit honeſtis Patrum Ciuiumque Academicorum coeptis, et hanc ſedem diuinae humanaeque ſapientiae conſecratam ab omni temporum atque hominum iniuria porro clementiſſime defendat.

P. P. XVIII Auguſti, A. S. R. CIↃ IↃ CC XXIII.

CARMEN PANEGYRICUM

IN

IVCVNDAM

PRIMI ACADEMIAE ALTORFINAE IVBILEI

MEMORIAM

DE

MERITIS

POTENTISSIMORVM

REGVM SVECIAE

IN

ILLVSTREM

REMPVBLICAM NORIMBERGENSEM

ALTORFI

IN ANNIVERSARIA ACADEMIAE SOLENNITATE

ANNO MDCCXXIV

RECITATVM

A

MAG. MATTHIA ASP SVECO

REGIAE ACADEMIAE VPSALIENSIS

VICE-BIBLIOTHECARIO.

TYPIS IOD. GVILIELMI KOHLESII ACAD. TYPOGR.

PERILLVSTRIS AC LIBERAE S. R. I. REIP. NORIMBERGENSIS ILLVSTRES AC GENEROSISSIMI DOMINI LEGATI, CVRATORES ACADEMIAE HVIVS ALTDORFINAE MVNIFICENTISSIMI;
MAGNIFICE VNIVERSITATIS DOMINE RECTOR;
MAGNIFICE DOMINE PRO-CANCELLARIE;
MAXIME GENEROSE OPPIDI DISTRICTVSQVE ALTDORFINI DOMINE PRAEFECTE;
EXCELLENTISSIMI OMNIVM ORDINVM DOMINI PROFESSORES ET DOCTORES;
HOSPITES ITEM CIVESQVE ET NATALIVM SPLENDORE ET ERVDITIONIS LAVDE FLORENTISSIMI, CLARISSIMI.

Illuſtre ALTDORFVM, Noricae clariſſima terrae
Gloria, cui doctae ſpirant praeſagia rupes,
Quae ſacri uitreo fontis torrente ſuperbis,
Atque fauente nouum coepiſti Numine ſeclum,
Martis ad iratos nunquam concuſſa furores;
In laudes adſurge Tuas, ac ſuſpice, quantum
Pacato placidi ſplendeſcant lumine uultus,
Ignibus et quantis totus deſcendat Olympus,
Aethereisque natent cuncta haec decliuia flammis.
Sufficit illuſtri nondum Germania famae,
Dalmatico tantum nec clauditur aequore nomen,
Audax Herculei nec Te ſilet unda Tarenti,
Nec gelido Boreae glacialis in orbe Bootes,
Frigida ad aeternos Helice nec friget honores.
Quumque Tibi centum nuper renouauerit annos
Titan, in taciti curſum reuolubilis aeui,
In plauſus natura nouos, noua ſoluitur ora;
Ipſum aequor coelumque ſuos Tibi pandit amores,
Dulciaque obſignat numeroſo gaudia uoto.
Quid populos gentesque loquar? quid murmura turbae
Officioſa piae, ſuperas audita per auras?
Floreat haecce nouo uigeatque Academia ſeclo,
Laurus et in Noricis grate reuireſcat Athenis.
Pulcra Tibi ſurgat roſeis Aurora capillis,
Suauiaque in miti colludant otia uultu,
Obſcuris ſpiſſus nec nubibus horreat aether.
Haec erat undantis, non una ex gente, cateruae
Vox, haec communis nuper quoque ſumma fauoris.
Nec ſolum patria his tellus fuit ebria uotis,
Externas etiam cupida in conſortia gentes
Traxiſti, crebra dantes ſuffragia uoce.
Parrhaſius nec preſſit enim Septentrio plauſus,
Laetitiam ſaepe ore ſuam teſtatus ouanti.
Ignoſcas ergo, ALMA PARENS, quod tanta canoris
Nomina ſueta tubis, cantata et oloribus arua
Debilis exili Clio moduletur auena,
Carminibus Phoebique omni deſueta calori.
Cantet Achillaeos ad Troica caſtra dolores
Maeoniae uox clara lyrae, ferat alta Maronis
Muſa Anchiſiaden per uaſti caerula ponti,
Et Peluſiacae tumeant Stilicone Camenae.
Nobis ampla huius dabit argumenta laboris,
Sed primis leuiter modo delibanda labellis,
GRATIA HYPERBOREIS SEMPER CONNATA TIARIS,
PRAESTITA QVAE NORICAE, IAM LONGO A TEMPORE, TERRAE.

Ardua

Ardua sublimis dispellit gloria coepti
Degeneremque metum, soluentem et membra pauorem,
Arentesque facit repleat spes mascula uenas.
Vos uero Aonides, tot nomina trita Poetis,
Vosque Aganippei, placide requiescite, fontes.
Non aliud certe sibi docta cacumina poscunt
Praesidium, nulloque magis se Principe Phoebus
Aestimat, aut summae stringit fastigia laudis,
Quam VOBIS, magni qui lucida Sidera Regni,
Qui Patriae Patres, Clarii qui splendida collis
Fax, puri quorum ore faui, mellitaque stillant
Verba, omnemque uno capitis qui pectore Phoebum.
Me VESTRI, precor, adspiret nunc aura fauoris,
Et ueneranda meos moderetur purpura cantus,
Icariis ne forte petam sublimia pennis,
Et Phaetontaei tendam in uestigia currus.
Iam fortes SVECI, Gothicique illustria Regni
Germina, res quorum gestas uentura loquetur
Posteritas, serique ferent super alta Nepotes,
In meritas, res namque iubet, consurgite laudes.
Cana fides, nulloque minor discrimine uirtus,
Quae Proauis fuit, et turpis uita inscia luxus,
Et probitas, ac firma bonae fiducia caussae,
Inuenere uiam, celsisque tropaea colossis
Sculpsere et stupido mirandas marmore palmas.
Hinc ad Vestra procul pressae quoque foedera gentes
Conuenere olim, rebus solamen in arctis;
Nec caruere suis Vestri successibus enses.
Dic mihi, Calliope, Graiio num laetior orbi
Luxerit illa dies, qua castris mistus Achiuis
Aeacides, grauiore feram conamine stragem
Edidit, inque truces uictrici saeuiit hostes
Ferro? Pellaei uel Lux praesaga Monarchae
Num fuit optato quondam fulgentior ortu,
Illa, qua *Noricas* uenit GVSTAVVS ad oras?
Cuius ad aduentum crebris plausere Quirites
Vocibus, et duris Germania uincta catenis.
Non sic messe imbres, florum nec serta puellis,
Prospera nec fessis optantur flabra carinis;
Auxilium ut, GVSTAVE, Tuum. Namque ipsa reluxit,
Te ueniente, salus, pulsis sua in antra procellis,
Pacatoque grauis subsultim turbine belli.
Tuque inopinus ades, coelo demissus ab alto,
REX, moestaeque adstas, mille inter iubila, portae,
Vndique cum tristi fumarunt sanguine campi,
Hostilesque diu sensit *Noriberga* furores.
Sic uires creuere Vrbi, quas ferreus armat
Mars, et Sueca nouis indurat turba triumphis.
Extulit interea fortes Respublica uultus,
Liberiore fruens aura; dum iura togasque
Vltrix propugnat MAGNI uindicta MONARCHAE,
Dumque superba suis suffulcit moenia curis.
Nauita ut undiuagae dum temperat ardua prorae,
Et rapidi insanos dum praeuidet aequoris aestus,
Puppe sedet summa, clauoque immobilis haeret,
Impulsaeque regit quassatas nauis habenas;
Sic Vrbem, magnum *Imperii* GVSTAVVS *Ocellum*,
Texit, et illustri prudenter abegit ab ora

Saeuitiem *Bauari*; ſic *Wallenſteinica* fregit
Murmura, et armatas Victor compeſcuit iras.
Quas ibi tum clades, uictrix quos dextra triumphos
Ediderit, quanto rorarit ſanguine tellus,
In faſtos, Noriberga, refer. Tibi cernere coram
Namque datum fuit, inque Tuis concurrere campis
Vidiſti multo criſtatas milite turmas.
Sed Suecos ſpecula dum REX cognouit ab alta
Aduerſis non Marte pares, populosque diurna
Caede fatiſcentes, tenſis ad ſidera palmis:
Magne DEVS, uaſtique, inquit, moderator Olympi,
Tu mihi, Tu pugnae Princeps, qui ſaepius hiſce
Succurriſti armis, noſtrosque leuare labores
Dignatus, precibus cupidisque allabere uotis.
Non ueni externos temere populare penates,
Nec mundum turbare alium, nec pellere pacem
Gentibus, et lento laſſare haec ſecula Marte:
Libertas quaeſita mihi eſt, ac debita cultus
Cura Tui, uehemensque pii uindicta decori.
Hinc ego dum patior, Tua mecum cauſſa laborat.
Nunc hoſtem murosque inter concludor utrinque,
Et uario dubiam tento diſcrimine pugnam.
Hic locus irarum ſit finis, et ultima ſaeuae
Meta Eridos, ſitque iſta meis Vrbs tecta maniplis,
Quam tueor, noſtris et circumcinximus armis.
Haec ubi dicta dedit, medios ruit acer in hoſtes,
Quos uarios rotat in gyros, totisque fatigat
Viribus, in pauidam donec Rex hoſtica pellit
Caſtra fugam, crebroque tonat Noris imbre globorum.
Tigris ut, audaci quam ſi commiſeris hoſti,
Cum furit, indomitos geſtatque in corde furores,
Haud ceſſat uariis ſatiare in mortibus unguem,
Quam trepidam glomerare fugam tandem agmina cernit
Hoſtica, praecipiti fera uertit et impete tergum,
Tunc dentem in ſcapulis uertat furibunda cruentum.
Sed Dominis adſerta adeo *Noris* inclyta priſcis,
Et uulgus, laetaeque ſuo cum pignore matres,
Vrbe ruunt, populique una iam ſtrage redemti,
Blanda cruentatis affigunt oſcula palmis.
Te, Patriae, GVSTAVE, Patrem ueneranda ſalutat
Canities, animoſa Tuis rediuiuaque geſtis;
TE iuuenes cantant: TE quilibet optat auitae
Praeſidiumque Laremque domus: TIBI marmora ſculpit
Vrbs, immortales molitur et arte coloſſos.
Gratia ſi noſtras inuolueret aequa Camenas,
Noſtraque ſi diues rueret per pectora carmen,
Puluereamque lyram melior pulſaret Apollo;
Officioſa darem grato praeconia cantu,
Quae tunc in ſummos aptauit Regis honores
Vrbs *Noriberga* potens, tantarum conſcia rerum.
Mille inter uoces, unus de ſanguine Vatum
Haecce triumphali fremuit modulamina plauſu:
Iam mihi Tu ſalue, Suecanae gloria gentis,
Cui plaudit Rhenus, quem ſuſpicit Iſter ouantem,
Cuius et auguſtos aeterno in pectore uultus
Geſtat, et ipſa geret pugnax ad buſta Sicamber.
Exultant patriae ſublimibus oppida muris,
Aduentu ſacrata Tuo, ſubmiſſus adorat
Pegneſus et blandos uoluit ſine murmure fluctus.

Vtque

Vtque ſit ingentis non ulla obliuio facti,
En FONTEM, pia purpurei quem cura SENATVS
Immortale Tui ſignum iubet eſſe fauoris,
Auſpicio quod laeta Tuo Permeſſidos unda
Iam fluat, et Phoebus ſolitas reuocetur ad oras.
Haec populi matrumque inter noua iubila fatus
Ingenioſa grauis monſtrauit pondera molis,
Quae Rex ipſe ſuis digniſſima dona tiaris
Excepit, ſtarentque iſthac, praecepit, in urbe.
Illuſtri quid non oriunda propagine ſpondet
Poſteritas, titulique heroo ſanguinis alti
Ordine deducti, ſtellato et didita coelo
Virtus, aetatis ſemper ſecura futurae,
Auxiliisque armata Dei, ſi ſidera terrae
Clara ſago atque toga, ſi tot primordia ſtirpis
Excutias patriae, Gothicum ueneranda per orbem,
Luminaque in memori iam pridem condita corde?
Ecquid erit, precor, Arctoo praeſtantius orbi
Nomen, et in Noricis Aſtrum dilectius oris,
CAROLE quam GVSTAVE, Tuum? Quem robur in armis,
Quem rigor et pietas tenerisque herous ab annis
Ardor nobilitant, celſi et decor igneus oris.
Viuus fronte micat fulgor, Tibi blanda labellis
Gratia et auguſtis maieſtas ſpirat ocellis.
Te fouit foecunda ſinu natura benigno,
Magnaque facturum dixit, quae marmore ſculpet
Perpetuo gratisque dabit gens poſtera faſtis.
Nec uotis fruſtrata fuit: Tu mitteris *Auctor*
Pacis, et optata redimitus tempore lauro
Ingrederis Noricam, crebris cum plauſibus, urbem.
Nec mora: concordes coeunt in foedera dextrae,
Priſtinaque infractae redeunt in clauſtra procellae,
Et Phlegetonteae muteſcunt murmura ripae.
Quanta fuere Tui cupidae tunc gaudia gentis,
Et quantis Proceres tunc certauere Patresque
Officiis, non Maeonidae, nec pulcra Maronis
Carmina, Tyrinthl iunctae nec Apolline uires
Significare ualent, nec turba nouena ſororum
Exprimet, et diuo Tritonia nata cerebro.
Non ſic laetata eſt Memphitis turma Canopi
Inter adoratos faſces, ſparſosque frequenter
Flores, et raucis ſtrepitantia claſſica ſignis,
Regia cum premeret quondam inclytus eſſeda Joſeph,
Gemmantique auro, nitidoque micaret in oſtro.
Nec tantum gaudet loca feſſis grata carinis
Nauita quando intrat, medii de gurgite ponti,
Et laxat reduci laceratos puppe rudentes.
Sed CAROLVS, uiridi crines decoratus oliua,
In gelidam properat ſtipatus uocibus Arcton.
Altera Teutonicis poſt Hydra repullulat oris,
Materiesque nouis oritur diffuſa triumphis,
Cauſſaque laetitiae Noricis certiſſima pratis,
Bellica uictrices quando obtinet *Haſſia* lauros,
Et *Franci Bauarique* quatit faſtigia Regni.
TE, FRIDERICE, loquor, Borealis ſplendida terrae
Stella, Pater Patriae, Gothicus cui militat orbis,
Atque inuicta ſuos ſubmittit *Suecia* faſces,
Et famulas ubicunque manus cum pectore praebet

Obsequii pleno; pacatae et tempora uitae
Longa uouet, placidis ut fessa fruatur habenis.
TE, FRIDERICE, loquor, nunc, ipsius instar Achillis,
Pugnantem, nunc antiquas Alcidis in iras
Surgentem, demtis uaria de gente tropaeis.
Arua, Tuis uicina actis, *Hochstettica* testor,
Pascuaque effuso late stagnantia tabo,
Atque redemta iterum bellacis regna Sicambri.
Dedecus, en, *Tallarde*, Tuis inopinaque regnis
Damna paras, nouus horror ades, cataphracta trahendo
Agmina per uarios tractus, per rura, per urbes,
Et tristi attonitos infestas Marte colonos.
Sed, *Galli*, *Bauarique*, altas attollite turres,
Exstruite immanes scopulos, opponite syluas,
Aemoniumque altae superaddite Pelion Ossae;
Subsident, puto, cuncta bonae non inuia caussae.
Mox FRIDERICVS enim trepidis discrimina castris
Ense infert stricto, grassantes inque phalanges
Irruit, et crudo fortem Mauorte iuuentam
Asperat, ultricem maculatque in sanguine dextram.
Tigridis exemplo, catulos cui raptor ademit
Audax, quae rabido ruit inflammata furore,
Spumosos uersatque per inuia et auia dentes.
Fama sed ingentis *Noribergam* nuntia cladis
Dum uenit, raro palantesque agmine *Gallos*
Vidit, et exultans Vrbs alta silentia rupit,
Haec, meritis praesaga Tuis, tunc forte locuta est:
Siste gradum, FRIDERICE, Tuae fastigia laudis
Siste, nec astriferum penna alite uectus in altum
Te mihi subducas, celsis sublimior astris
Ne Tua languentes eludat gloria Vires.
Non plausus Tibi, SVMME DVCVM, non publica desunt
Praemia, nec *patriae* felix *uirtutis* imago.
Tu noster GVSTAVVS eris, CAROLIque per orbem
Picta feres uexilla, pium Patriaeque Parentem
Te dicet, gratoque olim uenerabitur ore
Suecia, et Arctoi soluent demissa Triones
Obsequia, et *triplici* cingent Te, credo, *corona*.
O HEROS dilecte DEO, cui mitior aequum
Promittit Fortuna decus, cui carcere missi
Lenius Aeolii spirant in classica uenti;
Te lauris inuolue nouis, uotisque superstes
Viue diu cupidis. Iamque undique fracta residant
Spicula et Eridani ludant per prata iugales.
Iam trabeam Bellona nouam, iam Curia discat
Laurigeras, pacata iterum, gestare secures.
Viue, inquam, FRIDERICE, nouis et perge triumphis
Deuincire Tibi mundum, generosa perennes
Vt Tua gesta gerant, per plurima secula, fasti.
Has fudit *Noriberga* preces, uenerandaque PATRVM
Sic fremuere, reor, sociis subsellia uotis.
Haec, AVDITORES, SVECORVM est Gratia REGVM,
Dignaque fragranti meritorum pignora cedro,
Quae Vobis Vestrisque olim sunt praestita terris.
Quaeque noua placidam cum Libertate Salutem
Progenuit, caecos tempestatumque furores
Vobis disiecit, saeuumque paratior ictum
Auertit, sacrum trepidis in rebus asylum.

Tu

Tu uero ALTDORFVM, praesentis filia secli,
Exorere auspiciis, placidoque renascere uultu,
Et facunda Tui iam tolle cacumina Pindi.
Haec Phoebi delubra loquor, celebresque recessus,
Haec loca mansuetis dudum deuota Camenis,
Pegasidumque graui decorata haec Atria cantu.
Exorere auspiciis, Lux postulat haecce, serenis,
Quodque intras felix redeuntis gloria secli
Hoc sibi poscit opus, laetaeque haec iubila uocis.
Non Patara Clariisque minor, Tenedoue secunda es,
Cecropiis ullo nec tempore cedis Athenis.
Praestantes DOCTORVM animas, et clara Virorum
Pectora, quos totum commendat fama per orbem,
An loquar? Anne Illos, condit quorum ossa sepulcrum,
Sed Virtus rutilos coeli supereminet ignes?
Anne fidem, Gothicae quae saepe est praestita genti,
Commemorem, tenuique pias Tibi carmine grates
Reddam, quod facili me rursum exceperis ore,
Hospitio dignata Tuo, reducemque paterno
Foueris alma sinu, partes cupidumque per omnes
Duxeris ingenium, Pimplaei prodiga fontis?
Anne Tuas memori narrem modulamine laudes,
Fataque non eadem, uariasque alterna procellas
Diuerso peperere Tibi quas tempora uultu?
Haec loquerer, uerum inceptis ipse obruor ausis,
Tardus et in primo mihi limine Phoebus hebescit,
Destituitque omnem, mea surdus ad ora, laborem.
Sed tumidum modo trans pelagus, trans murmura ponti,
Neptunique domos, uitreique palatia Nerei,
Arctois audita plagis Tritonia cantu
Officiosa nouo, uocalique eminus ore,
Finem praeteriti reducisque exordia secli
His fere communi gratata est nomine uerbis:
Delicium Patriae, magni breuis area Pindi,
ALTDORFVM, quae decrepiti dispendia mundi,
Quae Graiiae Latiaeque iterum subsellia turbae
Instauras; nitidoque doces mitescere uultu
Phoebum, atque ingenuas partiri ciuibus artes:
Grata Tibi natura fauet, suauesque recludit
Chloris opes, grauidasque Ceres protrudit aristas.
Ipsa Tuis quoque se dudum sapientia tectis
Intulit, Aonias spirantque palatia uoces.
Nam Clarias cornu Tibi diuite fundit Apollo
Artes, atque Tui summo de uertice Pindi
Illustrat uario spatiosam Lumine terram.
Nec modo per Gothiam late micat ardua famae
Gratia, et Arctois multum decus eminet oris;
Immortale super coeli caput exseris orbes,
Et mundo totam pergis promittere Cyrrham.
Indue Daphnea textam de fronde coronam,
Et superas clamor bene diuidat obuius auras,
Donec laeta suos in gaudia prouocet axes.
Praegnanti doctus Te stirpe maritet Apollo,
Et socias inter, ueluti Regina, sorores
Intemerata micet uenerandi gloria uultus.
Castalii largis manent Tibi fontibus amnes,
Antraque Pegasidum, sacrique cacumina montis,
Et Tua Gorgoneae narrent praeconia rupes.
Garrulus alituum Te cantet in aere caetus

Con-

Concordesque modos resonis e frondibus edat.
Non in populeo gemat arbore Daulias ales,
Tristitiam querulo nec prodat praefica lesso.
Multa serenato Tibi gratia rideat ore,
Laetaque inexhausto sol uoluat secula motu,
Praesagisque Tibi praegnent conuexa figuris:
Ipsa ego sed memori semper sub pectore condam
TE, firmumque, Tibi quo iungor, foedus amoris,
Dum uolucris solitos Phoebi rota tendat ad ortus,
Et creperam nocturna uiam dum Cynthia uerrat.
Dixerat, ingenti fremuitque *Vpsalia* plausu,
In laudes quae prona Tuas, optatque perennem
Doctorum seriem, uegetumque ante omnia florem.
Sed nequit incultum complecti singula carmen,
Virtutumque choros, tantaeque encomia famae.
Hinc taciturna piae praestat reuerentia mentis.
Pictor ut obducto caute tegit illud amictu,
Dextra quod artifici non exprimit ulla colore.
Ergo Tuum permitte, precor, puluinar adorem,
CAROLE, *Caesarea* qui *Maiestate* tremendus,
Qui Stator simul Imperii, quo Vindice Phoebus
Surgit, et iratus pridem desaeuiit aether.
Auspice quo, sacro circumuallata Senatu
Curia felices spondet melioribus annos
Seclis, ad TANTVM, nostro dum tempore, SIDVS
Ausint Teutonicae sua flectere uela carinae.
Continuat diuina Tuas clementia lauros,
CAROLE, et innumeris Gens quaelibet ebria uotis
Augurio felice uacat, TIBI prodiga totum
Exhaurit fortuna penu, quo iusseris ire,
Ad solos accincta TIBI Germania nutus.
Nos TIBI confusum linguis et caetibus agmen
Imus, et Augustae longissima tempora Vitae
Optamus: iamque interea TIBI Templa, penates,
Curia concordi deuotas foedere mentes
Promittunt: Sint cuncta Tuis tranquilla sub alis.
Vos quoque, purpurei, Vos, portio magna Senatus,
Qui Noricam Vestro facitis splendescere terram
Lumine, et ipsa omnis dudum fastigia laudis
Vincitis: Haec etenim fere TullI rostra fatigat,
Hancce senis stupet Actaei facundia, robur
Haec ueterum eludit Graiium, tumidoque Maronis
Vult, altis consueta tubis, tantum ire cothurno.
Vos dico, Norici mitissima Sidera Pindi;
Mellitum placido eloquium qui funditis ore,
Quorum Sidonio distinctaque murice uestis
Aeternos, dum mundus erit, promittit honores;
Plaudite ad illustres ALTDORFI plaudite laudes,
Quae Genitrix clarorum olim foecunda Virorum
Sub uestris nitet auspiciis, uestraque sub aura,
Discit feralem, sine sidere, rumpere noctem.
Viuite et Euboici transcendite pulueris annos,
Gratia ut irradiet Vestras uberrima terras:
Viuite, ut haud rupto numeretis in ordine lauros,
Et series, sero sit Luminis orba, Nepotum.
Sic PATRVM succrescet honos, secura futuri
Sic Virtus moestum dediscet adire sepulcrum,
Sic pia constrictas soluet facundia linguas,
Ciuicaque undabunt uotis praecordia. DIXI.

Bayerische Staatsbibliothek MÜNCHEN

91.a.22

Bayerische StaatsBibliothek
Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Schwarz, Christian Gottlieb, 1675-1751 / Schwarz, Christian Gottlieb, / Bö llmann, Hieronymus,

Acta Sacrorvm Saecvlarivm Qvae Favente Deo Immortali Svb Avspicatissimo Gloriosissimoqve Imperio Caroli VI. ... Romanorvm Imperatoris Ex Avctoritate Et Mvnificentia Illvstris Senatvs Norimbergensis A. D. III Kal. Qvinctil. A. S. R. MDCCXXIII. Pio Solenniqve Ritv Celebravit Academia

[Altdorf] 1723

2 H.lit.p. 1
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10633057-1
VD18 14784734